LOGICA ELENCTICA

SIVE

SUMMA CONTROVERSIARUM,

Quæ circa
Materiam, & Præcepta Logicæ,
agitari ſolent.

In qua etiam
NOVÆ aliquot QUÆSTIONES
tractantur.

Gough c

Authore *THOMA GOVEANO*, M. A.
Verbi Divini Miniſtro.

DUBLINII,
Excudebat *Joſ. Ray*, ſumptibus ejuſdem; proſtant
venales apud *Eliph. Dobſon*, ad Inſignia Stationariorum in vico vulgò dicto Caſtle-ſtreet. 1683.



LECTORI

INGENUO & PERITO, S.

UT ad mentes Tyronum Logicorum initiandas, & ſtaminandas, neceſſaria imprimis eſt Logica *Didactica*, in qua Præcepta hujus Artis, definitionibus, diviſionibus, & Canonibus perſpicuis, proponuntur, & exemplis illuſtrantur; ita etiam ad eaſdem exercendas, & perfectiori notitia imbuendas, neceſſaria proxime eſt *Elenctica*; in qua controverſiæ tractantur, quæ minus recte ab aliis tradita ſunt corriguntur, & difficultates quæ rectæ præ-

ceptorum intelligentiæ officiant, enodantur. Hanc igitur partem Priori ſuccedere volui, ne quid eorum deſiderent juvenes, quæ ad plenariam Logicæ Inſtitutionem neceſſaria viderentur.

Et, cum in priori parte, hoc mihi incommodum accidit, ut multis ſphalmatis, & erratis conſpurcata prodiret, ex quibus nonnulla incogitantiæ & feſtinationi meæ, in ſcribendo, & recognoſcendo, imputanda ſunt; (nolim enim culpam meam in alium conjicere,) pleraque autem incuriæ Typographi, cum ipſe à prelo longe abeſſem, nec (ut contigit) qui ei præeſſe, & inſpicere poſſet, haberem; experientia licet ſerò edoctus, utique infortunio, in hac Editione, prævenire, totis viribus ſtudui; hoc

eſt

eſt majori cura, & diligentia, unumquodq; primum deſcripſi, & deſcriptum recaſtigavi; amicum etiam quendam peritum, & fidelem delegi, qui Typographiæ præeſſet; ut, favente Deo, quantum ingenii mei imbecillitas patitur, expectationi Lectorum melius reſponſura, quæ nunc evulgo, confidam:

In præſentia igitur opere, non omnes tractavi Quæſtiones quæ hactenus circa Argumenta logica ventilari ſolent, ſed quæ utilitatem aliquam habere videbantur. Nonnullas etiam novas propoſui, & definivi, de quibuſdam ſcilicet præceptis, quas Recentiores, præſertim Carteſiani, ſyſtemati logico addiderunt. E primariis autem finibus, quos in his Controverſiis

pro-

propoſueram, unus fuit, fundamenta errorum in religione, præſertim illa quæ à Pontificiis poſita ſunt, convellere. Sæpius enim optaveram, ut integrum Philoſophiæ Syſtema ab iſtiuſmodi dogmatis, orthodoxus & peritus aliquis ſcriptor repurgaret. Et mecum fortaſſe alii reprehendendum judicabunt, quod, cũ Pontificii, ſcripta philoſophica, ſine fine multiplicent, parum aut nihil ejus generis (niſi obiter in tractatibus theologicis) à noſtris præſtitum ſit. Præter ea enim quæ Keckermannus, & Burgerſdicius, didactice magis quam elenctice, ediderunt, nemo, quod ſciam, integrum Curſum tractandũ ſuſcepit, unico Derodone excepto. Hic autẽ poſtquam Logicam, & Metaphyſicam, & compendium quoddam

dam Physiologiæ perfecit, morte è terris translatus est. Cum igitur occasio mihi, per aliquot annos, de hujusmodi rebus cogitationes agitandi, data sit, satius putavi à me, ut aliquid in hoc genere, quam à nemine, in his regnis, tentaretur. Nec enim convenit, ut solos Jesuitas, aliosq; Pontificios scriptores, de hisce Quæstionibus legendos, Juventus Logicæ & Philosophiæ studiosa haberet.

Quæ minoris momenti aut difficultatis visa sunt, paucis expedivi: quæ disputandi materiam aptiorem aut digniorem haberent, latius tractavi, & definitionem quæstionis cujusq; gravioris, Thesibus tradidi. Ubiq; etiam brevitati studui, quantum materia pateretur. Unde factum est, ut sine terminorum præcogni-

cognitione, quasi ex abrupto, plerumq; ad statum quæstionis procedatur. Supponenda enim ubiq; ut præcognita, erant, quæ in Institutionibus jam tradideram. Cæterum ne in vestibulo Lectorem diutius teneam (licet nullo novitatis studio, aut singularis scientiæ affectatione ductus, virorum doctorum sententias nonnullas hic reprehenderim,) occasionem cogitandi ex his scriptis sumpsi, de vanitate scientiæ humanæ. Sicut enim nos, sæculo nostro, Antecessorum scripta castigandi libertate utimur, ita etiam posteri, nostra, jure, vel injuria, redarguent; & quæ nobis nunc placent, ætati sequenti displicebunt.



INDEX RERUM ET QUÆSTIONUM PRÆCIPUARUM.

Numerus paginam indicat.

A.

 Ars

D.

E.

F.

F.

G.

H.

I.

Modus

Q.

R.

S.

Scripta

Syllo-

T.

V.

Univer-

Indicis Finis.

Admonitio ad Lectorem.

CUm omnem diligentiam ordinarie requisitam adhibuerim, quo hic Libellus ab omnibus erratis purissimus prodiret, exitus longe alius fuit ac speraveram. Utrum in Typographi incuriam, aut malam fidem, an in eum qui prælo præfuit, culpa conjicienda sit, nec mea nec tua (amice Lector) refert. Hoc me præcipue dolet, esse ullibi in hac impressione quod te offendat. Interim, cum malo aliter mederi non possim, hoc à te peto ut priusquam lectionem libri aggrediaris, Errata sequentia corrigas.

Pag. 9. l. 18. *ei*; ib. l. 22. *esse*; p. 29. l. 11. *quadam*; ib. l. 21. sit [.] p. 30. l. 23. *vita*; p. 31. l. 23. dele *videntes vero*, & repone *aut*; p. 38. l. 2. *theoriam*; p. 46. l. 2. dele [.] p. 57. l. 14. *definitivum*; p. 58. l. 21. *tractantur*; p. 64. l. 27. *quam*; ib. l. 17. *seipsam*; p. 65. l. 20. adde *est*; ib. l. 22. *esse*; p. 78. l. 6. pro (.) (,) p. 84. l. 15. *percipientis*; p. 93. l. 17. dele [;] p. 97. l. 9. XI. p. 103. l 5,6. *operosior probatio*; p. 107. l. 33. 4. p. 109. l. 16. [,] p. 110. l. 19. *est*; p. 122. dele lineam 17. p. 130. l. 8. adde *cum*; p. 140. l. 29. *quæres*; p. 152. l. 14. *essentia*; ib. l. ult. *ut*; p. 155. l. 21. dele *quoniam vix unquam idem denuo peragitur*; p. 158. l. 30. *cognationem*; p. 161. l. penult. *intrinsece*; p. 190. l. 9. *una in*; ib. l. 31. *superadditas*; p. 210. l. 22. *est*; p. 225. l. 18. *ut*; p. 227. l. 25. *notius*; p. 230. l. 28. *exercentem*; ib. l. 32. *dignius*; p. 238. l. 4. post *vel*, dele *seipsum*; ib. l. 15. dele *sit*; p. 241. l. 5. *cum nunc*; p. 245. l. 26. dele [.] p. 250. l. 2 *seipsam*; p. 251. l. 16. XI. p. 257. l. 7. *eum*; ib. l. 19. *causa*; p. 260. l. 4. *multa*; p. 267. l. 2. *differunt*; p. 269. l. 23. *dissimilitudinem*; p. 273. l. 4. adde *quod*; ib. l. 5. dele *quæ*; p. 277. l. 3. *conceptus*; p. 284. l. 31. *artem*; p. 295. l. 7. 2. p. 298. l. 35. *rei*; p. 300. l. 28. dele *nam*; p. 313. l. 16. *rerum*; p. 314. l. 1, 2. *Univocum*,

cum; ib. l. 34. adde 1. p. 330. l. 16. *id*; p. 344. l. 7. *illæ*; p. 348. l. penult. *duo*; p. 351. l. 12. adde *si*; p. 362. l. 10. dele *de*; ib. l. 16. *illa*; ib. l. 21. dele(,) post *hodie*(,) p. 363. l. 26. lege *determinatura*; p. 415. l. 12. *illius*; p. 436. l. 8. *docet*; p. 442. l. 22. *differentia*; p. 443. l. 28. adde *an*; p. 445. l. 17. *simplicis*; ib. adde *sint*; & l. 18. *insit*; p. 449. l. 22. *tales*; p. 460. l. 33. *appetitus*; p. 466. l. 23. dele *aut evidentiam*; p. 474. l. 2. *doceat*; p. 477. l. 19. *qua*; p. 479. l. 3. *medio*; ib. l 8. adde *vel*; ib. l. 9. dele *vel*; p. 483. l. 25. dele [.] p. 488. l. 15. dele (.) p. 495. l. 24. *inordinatione*; p. 499. l. 14. *communi*; p. 500. l. 19. *traduntur*.

In ELEMENTIS LOGICÆ,

Pag. 8. l. 29. post *medio* dele *&*.



ELENCTICA

Protheoriæ Philosophiæ.

DISPUTATIO PRIMA,

De ipsa Philosophia.

QUæstio I. *An Philosophia, unica definitione, perfecte,* hoc est definitione Essentiali, *definiri possit?* Quidam negant; Nos affirmamus. Ratio est, quia facile assignari possunt Genus illius proximum, scilicet quod sit collectio *Notitiarum*; in quo convenit cum Theologia supernaturali, & artibus ignobilioribus, quæ in Philosophiæ censum non admittuntur; & Differentia proxima Essentialis, quæ partim Objectum designat, scilicet *res scitu difficiliores,* & digniores; quarum respectu ab Artibus Ignobilioribus distinguitur; partim originem, nempe principia, quæ vel menti per naturam inscripta sunt, vel per sensum & experientiam colliguntur; qua ratione differt à Theologia Supernaturali.

Obj. Philosophia est Aggregatum ex pluribus habitibus diversæ speciei, quæ unica definitione explicari

nequeunt. *Resp.* Licet Habitus illi, ſecundum rationes proprias, ſigillatim unica definitione explicari nequeant; Prout tamen unum Totum conficiunt, ſatis perfecte explicantur, eo modo quo jam diximus. Sicut & omne compoſitum, qua tale, perfecte definiri cenſetur, ſi Genus illius, & differentia aſſignetur, licet partes, ut partes ſunt, non, niſi quatenus omnes ſimul concurrunt ad Totum conſtituendum, explicentur. Ex. g. perfecta cenſetur Definitio hominis, cum dicitur *animal ratione præditum*, licet homo conſtet pluribus ſubſtantiis, diverſæ naturæ, puta mente, & corpore.

Varie à variis definitur Philoſophia. Ex Platone multi ſic definiunt, *Cognitionem rerum Divinarum, & Humanarum, quatenus homo, per lumen Naturale, aſſequi poteſt.* Conimbricenſes dicunt, eſſe *Cognitionem rerum prout ſunt*, hoc eſt, ut ipſi explicant, *per ſuas cauſas.* Euſtathius, *Comprehenſionem eorum quæ lumine naturali cognoſci poſſunt.* E noſtris, Kekermannus definit, *Compagem ſcientiæ, & prudentiæ.* Burgerſdicius, notitiam ex principiis per ſe notis. Derodon denique, dicit Philoſophiam conſiderari poſſe, vel ut Totum collectivum; & ſic definit. *Collectionem habituum evidenter diſcurſivorum:* vel ut totum Eſſentiale, & ſic dicit, eſſe *Habitum evidenter diſcurſivum.* Sit igitur,

Quæſtio 2. *Quid de his definitionibus cenſendum ſit?*

Resp. Prima, ex Platone deſumpta, *Objectum Philoſophiæ Adæquatum non exprimit.* Multa enim in Philoſophia tractantur, quæ proprie loquendo, nec ſunt res Divinæ, nec Humanæ. Ut in Geometria, *anguli, circuli, &c.* in Phyſiologia, *ignes, nubes, lapides, plantæ, bruta animalia,* & Homines.

Obj. Omnia opera Dei ſunt res Divinæ; & actiones ac opera hominum ſunt res Humanæ. Iſta autem omnia comprehendunt quæ in Philoſophia exquiruntur. *Resp.* Per opera dei, vel intelliguntur ea quæ à ſolo deo, & immediate, in initio facta ſunt. Et hæc quidem divina dici poſſent. Verum Philoſophia contemplatur

platur etiam opera illa, quæ à Causis Naturalibus fiunt. Quod si ista omnia Res Divinas appellare libet, possent etiam Res quædam Humanæ, ut sentire, intelligere, velle, & nolle, pariter Divinæ vocari: & sic duo illa rerum Genera, ex parte, coincidunt. Non igitur omnia quæ in Philosophia tractantur, satis commode, his vocibus significantur.

Definitio Conimbricensium, prout primo proponitur, *obscura est*; ut Explicatio subjecta fatetur. Complectitur etiam Historias, & Artes Serviles. Quia in his sæpe cognoscuntur res *ut sunt*, & per causas. Nec Philosophia ubique res concipit prout sunt, hoc est per causas: nec per causas solas, sed etiam per signa, & effecta, aliáque media. Deinde cognoscere res *prout sunt*, est vere eas cognoscere, sive per causas cognoscantur sive non.

Definitiones Eustathii, & Burgersdicii, Artes serviles in Philosophiæ ambitum admittunt. Illæ enim ex lumine Naturali, & principiis per se notis procedunt.

Definitio Kekermanni, Theologiam supernaturalem Philosophiæ accenset. Illa enim est, secundum alteram partem sui, nempe illam quæ praxin dirigit, suprema Prudentia.

Utraq; Definitio Derodonis reprehendenda est. 1. quia Philosophia non ubique evidenter discurrit, eo sensu quo *evidenter discurrere* à Derodone accipitur; scilicet pro discurrere ex sensu, aut ratione naturali necessaria. Sæpe enim ex solis probabilibus discurrere cogitur. 2. Quia etiam Theologia supernaturalis aliquatenus discurrit evidenter; scilicet ex principiis per se evidentibus Hæc enim duo sunt principia prima ex quibus discurrit, *Quicquid Deus testatur est verum, & Deus testatur de se, & voluntate sua, in sacris literis.* Prius agnoscitur pro vero, ab omnibus qui sciunt quid voce *Dei*, vere significetur, nempe Ens *perfectissimum*. Sed & posterius per se evidens est, si, quid nomine sacræ Scripturæ veniat, satis perpendatur; nempe scrip-

tum quod non niſi afflatu divino exarari potuit. Et proculdubio principium iſtud evidentius eſt, quam multa ex quibus, in pluribus Philoſophiæ partibus, diſcurritur.

Obj. At omnes conſentiunt diſcurſus Theologicos eſſe inevidentes, licet certiſſimi ſint. *Reſp.* Sunt inevidentes, quatenus non procedunt ex principiis internis rerum de quibus concludunt. Et ſic, quoad evidentiam, differunt à diſcurſibus Philoſophicis plane evidentibus. Non tamen ſunt inevidentes ſimpliciter. Evidenter enim ex illis innoteſcit quod res ita ſe habeant, licet cauſa ignoretur. Nec ſine omni evidentia, ulla certitudo ſubjectiva reperitur.

Poſterior Definitio in eo peccat, quod ſupponit Philoſophiam conſiderari poſſe ut Totum eſſentiale, ſeu Genus quoddam. Nec enim *Logica*, *Phyſica*, *Mathematica*; & *Ethica*, ſunt ſpecies Philoſophiæ, ſed partes integrantes. Philoſophia igitur, ad eas collata, Totum eſt, non Eſſentiale, hoc eſt Univerſale, (ſic enim Totum Eſſentiale hic ſumitur à Derodone), ſed collectivum. Tota enim ratio Totius Univerſalis continetur in qualibet illius parte; ut *tota Humanitas* in Petro. At quis diceret totam rationem Philoſophiæ in Mathematica, aut Aſtronomia contineri? Deinde vera Definitio rei, niſi ſingularis ſit, debet eſſe Univerſalis: at hæc definitio talis non eſt. Non enim verum eſt omnem habitum evidenter diſcurſivum eſſe Philoſophiam, ſed ad ſummum eſſe habitum Philoſophicum, hoc eſt ad Philoſophiam pertinere, ut pars integralis pertinet ad ſuum Totum.

Quæſtio 3. *An vox* Philoſophiæ, *Objectum ipſius unquam ſignificet? Reſp.* Affirmat Derodon, qui idcirco dividit Philoſophiam, in *Habitualem*, *Actualem*, & *Objectivam*. Primam definit, ut ſupra, collectionem habituum evidenter diſcurrentium; Secundam, collectionem actuum cognoſcendi evidentium: Tertiam collectionem rerum quæ per actus illos ſciuntur.

Quæ-

Quæstio illa de voce est. In qua videtur Derodon voce *Philosophiæ* abuti, & novam quandam significationem ei pro libitu imponere. Est enim Philosophia Sapientia Naturalis. At vox *Sapientia* significat, primario quidem, Habitum, & secundario actus, quibus is generatur, & qui ab eo postmodum oriuntur; Non autem objecta, in quibus contemplandis occupatur.

Obj. Doctores in Scholis, dicuntur Philosophiam docere; hoc est res quæ in Philosophia tractantur. Ergo datur Philosophia Objectiva.

Resp. Non sequitur. Quia Doctores Philosophiam docent, quatenus media adhibent, quibus cognitio actualis rerum, & per eam Habitus, discentibus ingenerantur. Nec dicuntur docere res, puta Materiam, aut Spiritum, sed de rebus. Et licet docere dicantur quænam aut quales res sint, nihil tamen aliud phrasi istac significatur, quam quod efficiant ut discentes intelligant quæ & quales illæ sint.

DISPUTATIO II.

De Cognitione Speculativa & Practica.

QUæstio I. An & quomodo verum sit, quod vulgo in Scholis tradi solet, *Cognitionem Speculativam esse Rerum necessariarum, Practicam vero esse Contingentium.*

Resp. Non esse stricte, & Universaliter verum. Si enim Objectum complexum harum Notitiarum, hoc est Conclusiones, quæ in illis sciuntur, consideremus, certum est utrobique esse & necessarias, & contingentes: Hoc est practice cognoscimus quasdam propositiones Necessarias; ut has, *Deus est colendus, virtus*

omni bono externo anteferenda eſt. Et ſpeculative tantum cognoſcimus quaſdam contingentes, ex. g. illas quæ ſunt de motibus ſpontaneis brutorum, præfertim qui à cauſis externis, ex accidenti aliquo, excitantur; & de effectis fortuitis agentium Naturalium. Deinde, ſi objectum incomplexum ſpectemus, certum etiam eſt, aliquam cognitionem practicam eſſe rerum neceſſariarum; practicè enim ſcimus amorem beatitudinis, qui tamen in nobis neceſſario oritur. Et aliquam Speculativam eſſe rerum contingentium; ut cognitio Monſtrorum, quæ ab animalibus contingenter, & ex accidenti, procreantur. Ratio eſt quia Cognitio Speculativa, & Practica dicitur, præciſe ex eo, quod ad effectionem ſui objecti directiva, ex natura ſua, ſit, vel non, ſive objectum illud contingenter oriatur ex ſuis cauſis, ſive neceſſario.

Quæſt. 2. *An Cognitio Speculativa ſit expetibilis propter ſe?*

Reſp. Illud communiter dici ſolet; ſed non eſt abſolute verum. Omnis enim Cognitio noſtra, natura ſua ordinatur ad operationem; ut ſcilicet bene, & recte vivamus. Et quæ ad hunc finem nullo modo utilis eſt, nulla ratione expetibilis eſt. Et ſi expeti jure poſſet, propter delectationem, quam mens in ea caperet, neque ſic per ſe expetibilis eſt Quin neque ipſa viſio beatifica Dei, propter ſe expetibilis eſt, ſed propter voluptatem quæ ex ea oritur, & propter amorem Dei, qui eam conſequitur, utque mens ea cognitione illuſtrata, Deum creatorem ſuum celebret, & glorificet. Cognitio igitur Speculativa, expetibilis *propter ſe* dicitur, quatenus non eſt expetibilis propter effectionem ſui Objecti, ut Cognitio Practica.

Quæſtio 3. *An ulla Cognitio eorum quæ facere non poſſumus, ſit in nobis Practica?* In Nobis dico, qua Cognitio ejuſdem rei, quæ in nobis Speculativa eſt, in Angelo poteſt eſſe Practica. Reſpondemus cum diſtinctione. *Cognitio eorum, quæ nec poſſumus, Nec unquam potuimus facere, nec Potentia eorum faciendorum,* ex ordine naturæ noſtræ,

ſtræ, *nobis debetur, eſt pure Speculativa, nullatenus* vero *Practica.* Non enim directiva eſt ullius operationis, quæ naturaliter nobis poſſibilis eſt. Sed Cognitio eorum quæ, licet jam facere non poſſumus, aliquando tamen facere potuimus, aut quorum potentia effectiva nobis, per naturam, debetur, Practica eſt per ſe: & ſi Speculativa dicenda ſit, per accidens tantum talis dici debet. Unde cognitio cantandi, in eo qui mutus, aut raucus, ex accidenti aliquo, evaſit, & cognitio ſaltandi, in eo qui claudus, aut pedibus infirmus factus eſt, Practica eſt. Hinc ſequitur, non eſſe de Eſſentia Cognitionis Practicæ, ut is in quo eſt potentiam actu habeat operandi, multo minus ut actu operetur; ut cognitio ædificandi in Architecto, qui non operatur, aut vim operandi amiſit.

Quæſtio 4. *An igitur inutilis ſit Cognitio quæ natura ſua practica eſt, ſi ad praxin actu non applicetur? Reſp.* Actu quidem inutilis eſt reſpectu finis proprii, qui eſt effectio ſui objecti. Aptitudine tamen utilis eſt ad finem etiam proprium, quia ad eum acquirendum adhiberi poteſt, ſi velit is in quo eſt. Et actu utilis eſſe poteſt, ad alium finem. Per eam enim inſtructior eſt animus ad alia facienda. Ut qui muſicæ peritus eſt, ſed cantare non ſolet, inſtructior eſt ad diſſerendum de ſonis. Et qui præcepta virtutum tenet, licet ipſe male vivat, aptus aliquo modo eſt ad alios docendos. Non igitur ſimpliciter inutilis eſt Cognitio Practica, etiam cum ad praxin proprii objecti non uſurpatur.

Quæſtio 5. *An omnis Cognitio Inductiva ad Praxin Practica ſit?* Inductiva vero ad Praxin illa cognitio eſt, quæ motiva recte operandi vel agendi, proponit.

Reſp. Cognitio quæ ſolum inducit aut excitat ad praxin, non eſt proprie Practica. Ratio eſt, quia ſic omnis fere Cognitio Speculativa, Practica foret. Cognitio enim eorum quæ nullatenus ſunt in noſtrà poteſtate, ut perfectionum Divinarum, & rerum Naturalium, pure Speculativa eſt, ut omnes agnoſcunt; inductiva tamen eſt, natura

ſua, ad praxin: ut ad Deum amandum, & reverendum. Quia tamen nos non inducit, multo minus dirigit, ad res illas efficiendas, ſed alias, ideo Practica non eſt. Cum igitur dicunt Theologi Cognitionem de Deo, & rebus Fidei, eſſe Practicam, late, & improprie ſumunt Cognitionem Practicam, pro quavis Cognitione quæ ad Praxin refertur, ſive inducendo, ſive dirigendo, ſive circa objectum ſuum, ſive circa alienum.

Quæſtio 6. *An igitur Cognitio Speculativa, ullo modo ad praxin dirigit eum in quo eſt. Reſp.* Remote ſaltem *iſtud præſtat*; quatenus principia quædam ſuppeditat, ex quibus veritates ſtricte & immediate Practicæ, elici poſſint. Ut ex his principiis Theoreticis, *Deus eſt Spiritus, cordium ſcrutator, veritatis amans, ſimulationis inimicus*, inferri poſſunt hæ concluſiones, Ergo *colendus eſt in Spiritu, & veritate; abſtinendum eſt ab omni fuco, & dolo, &c.* Ex ſolutione hujus, & præcedentis Quæſtionis, patet, non recte definiri Cognitionem Practicam, quæ ad *praxin* vel *operationem ordinatur*. Quia omnis fere Cognitio Theoretica, aliqua ratione ad praxin ordinatur, vel dirigendo, vel excitando, vel aliquo modo diſponendo.

Quæſtio 7. *An Cognitio rei jam factæ, aut operationis alienæ, qua cognitione regitur, Practica ſit, an Speculativa?*

Reſp. *Non eſſe Practicam formaliter, & proprie*; quia Cognitio Practica, proprie & formaliter, eſt rei factibilis ab eo in quo eſt. At nec res jam facta, nec operatio aliena, factibilis amplius eſt.

Obj. In re jam facta poteſt eſſe vitium aliquod emendabile: ſicut & res jam facta, & operatio aliena, dirigere poſſunt ad ſimile opus, aut ſimilem operationem præſtandam. *Reſp.* Cognitionem de vitio, aut defectu, in re jam facta, emendando, eſſe practicam; ſed emendatio illa non eſt res jam facta, ſed factibilis. Vitium autem quod jam admiſſum eſt, non eſt denuo idem numero factibile. Quod vero res jam facta, aut operatio aliena, dirigere poſſit intuentem, ad ſimile faciendum, probat tantum hanc & illam eſſe cauſam exem-

plarem

plarem praxis, quatenus imprimere apta est ideam alius operis, aut operationis, ab intuente præstabilis; Non vero Cognitionem earum esse Practicam, propter rationem datam.

Quæstio 8. *An Cognitio sanitatis, & morborum, in Medico, Plantarum in Agricola, et ejusmodi, Practica sit?*

Resp. Negative. Ad Cognitionem enim Practicam, ut supra dictum est, requiritur, ut Objectum ipsius factibile sit, ab eo in quo ipsa est, aut saltem ut naturaliter in eo esse debeat potentia ipsum efficiendi. At nec Medicus Sanitatem efficere potest, nec ex ordine naturæ exigit ut possit eam efficere. Similiter de Agricola respectu Plantarum dicendum est. Occasiones enim solummodo dant causis naturalibus, efficiendi sanitatem, & plantas. Unde in Medico, sola Cognitio Administrandi medicamenta, & in Agricola Cognitio colendi terram, semen debito modo, & tempore opportuno, & committendi, & istiusmodi actionum, quibus agentia naturalia passivis applicantur, Practica est.

Quest. 9. *An Cognitio Practica semper sit eorum, in quibus efficiendis, errare potest is in quo illa est? Resp.* Cognitionem Practicam hominis, in hac vita, sæpius est rerum istiusmodi. Unde et plerumq; ad errores vitandos ordinatur. Sed *non universim talis est.* Deus enim practicè novit sua opera, in quibus tamen efficiendis absolute impossibile est eum errare. Et beati in Cœlo, practicè norunt sua officia, in quibus tamen præstandis non amplius errori sunt obnoxii. Quin nec Artifex peritus, si materiam idoneam, & Instrumenta apta nactus fuerit, & debitam diligentiam adhibuerit, supposito concursu Dei ordinario, in arte sua errare potest.

Quæstio 10. *An Cognitio Practica semper sit eorum quæ is in quo est, potest agere vel non, pro libitu?*

Resp. Cum Distinctione. Cognitio Practica, semper est eorum, quæ is in quo est, (si potentiam ejus absolute, seu secundum se, spectemus), potest non tantum agere, sed etiam ab agendo abstinere aut contra-

contrarium agere. Cognitio enim Practica est Spiritui rationali propria, in quo est voluntas libera, & secundum essentiam suam indifferens ad agendum, vel non agendum, vel contrarium agendum. At si voluntatem illius qui Cognitionem Practicam habet, ut certo modo dispositam, bene, vel male, consideremus non semper est eorum quæ potest velle agere vel non, aut contrarium agere. Sic beati in cœlo, absolute habent potentiam cessandi ab officiis status glorificati, (quæ practice norunt) aut etiam male agendi. Non tamen velle possunt ab officio cessare, aut contra illud quidquam facere.

Quæstio 11. *An Cognitio Speculativa evadere possit Practica, aut vicissim. Resp.* Cum Cognitio Speculativa sit eorum quæ nec sunt actu in nostra potestate, nec per naturam esse possunt, Practica autem contra, palam est *neutram in alteram transmutari posse.* Quod autem quis ob potentiam operandi amissam, aut debilitatam, operari non possit, aut potentiam illam recuperet, per accidens est ad Cognitionem Practicam.

Obj. Cognitio operum, quæ spiritualiter, (ut dici solet) bona sunt, in homine post lapsum, nec per gratiam restituto, Speculativa est. Nec enim opera istiusmodi præstare potest, nec per naturam exigit potentiam ea præstandi. Post regenerationem vero, cum potentiam novam acquirit, Cognitio illa evadit Practica.

Resp. Cognitio ejusmodi operum, etiam in irregenito, quousque debitum modum ea præstandi attingit, natura sua Practica est. Eorum enim, natura sua, directrix est. Quod autem irregenitus eam ad praxin non applicet, per accidens est, propter defectum (præcipuè) bonæ voluntatis. Potentia autem præstandi opera absolute bona, homini lapso moraliter quidem indebita est: quia per Apostasiam indignus evasit cui illa donetur: Naturæ tamen Humanæ debita est, & congrua; Sicut & ei in principio adfuit: & quod ea nunc destituatur per accidens est, propter peccatum.

Quæ-

Quæstio 12. *Quomodo differant Praxis Moralis & Artificialis? Resp.* Duobus modis. Primo *Objectis.* Praxis enim Moralis, est eorum quæ Homo tenetur facere, vel per naturam, quatenus Homo est; ut Deum colere, proximum diligere; vel ex lege aliqua positiva, à Deo lata; ut Diem septimum cultui Divino impendere. Artificialis vero versatur circa ea, quæ præcise utilia sunt, vel jucunda, de quibus præstandis, aut prosequendis, nulla lex particularis posita est, sed tantum Generalis quædam, quæ unumquemq; obligat ad ea omnia facienda, quibus faciendis cum idoneus sit, bono suo & publico, maxime inservire possit. Sic nemo tenetur esse Musicus, textor, Sartor, &c. aut ullam aliam artem determinate exercere; Sed tantum aliquam indeterminate, hanc, vel illam, quæ genio & facultati suæ magis congruit. Secundo Differunt principiis. Nam praxis moralis, sive bona, sive mala, penes voluntatem, & propositum animi præcipue pensitatur. Adeo ut bona requirat bonam voluntatem, per quam actio in bonum finem refertur, puta in Dei gloriam, & verum bonum nostrum, aut aliorum. Quæ autem eò non refertur, bona non est, licet omnia reliqua adsint. At praxis artificialis bona est, si juxta regulas artis instituatur; quæcunque tandem sit intentio operantis. Unde Praxis Moralis mala, si ex ignorantia profecta sit, eatenus excusatur: Artificialis contra, si ex ignorantia procedat, vituperatur si autem quis, sciens, & volens, contra regulas operatus sit, vituperatur quidem operatio, & opus, quia regulis Artis non consentiunt; non tamen reprehenditur is qui operatur, ut malus Artifex, nec etiam semper ut malus vir: Ut si quis ob finem aliquem bonum, ex proposito, contra regulas Grammaticæ scribat, aut loquatur.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Intelligentia & Principiis Cognoscendi.

QUæstio 1. *An sint veritates, per se, seu luce sua, mentibus nostris evidentes.*

Resp. Affirmativæ. Cum enim mens nostra, dum unam veritatem ex alia elicit, semper procedere debet ab evidentiori ad minus evidentem, nec progredi possit in infinitum, necesse est ut tandem in aliquo principio per se manifesto sistat; alioqui nulla erit cognitionis Humanæ certitudo: nec mens nostra unquam in veritate aliqua, tanquam satis evidenti, acquiesceret.

Quæstio 2. *An sit Intelligentia pure apprehensiva, sine judicio,* explicito, vel implicito. Intelligentiam *pure apprehensivam* vocamus eam, quæ est rerum aut modorum simplicium, quæ per se notæ, non possunt aut non debent per alias notiores declarari. Esse autem istiusmodi perceptionem, patet, Primo instantiis. Ideæ nostræ de *aliquid,* & *nihil esse,* et *non-esse,* sunt per se evidentissimæ, nec per definitionem declarari possunt. Item primæ ideæ quas formamus de rebus singularibus, quæ sub sensum Internum, vel Externum cadunt. Illæ enim non possunt per priores, adeoq; nec per evidentiores explicari. Deinde Ratione. Quia, nisi esset ejusmodi Intelligentia, nunquam acquiesceret mens nostra in ullius rei explicatione. Siquidem omnis explicatio est à notiori.

Quæstio 3. *Quidnam sit Primum Cognitum, seu principium Cognitionis Humanæ?* Peripatetici communiter dicunt Primum Cognitum singulare, esse quod primò sub sensum cadit: Universale vero, esse aliquod ex principiis illis quæ vulgo Metaphysica vocantur; nempe hoc, *Nihil potest simul esse et non esse.* Cartesius vero, ejusque discipuli, dicunt Primum Cognitum singulare esse, *Ego Cogito,* Universale autem, *Quicquid cogitat existit.* Cum enim (inquiunt) de reliquis omnibus extra men-

mentem dubitare possimus, an tamen cogitemus dubitare non possumus. Nam ex eo quod dubitemus, manifeste sequitur nos cogitare. Similiter de altero, dubitare nemo potest, an id quod cogitat existat: aut an possibile sit, id quod cogitat esse nihil actu in rerum natura. Nos quid in controversia ista tenendum censemus, sequentibus thesibus definimus.

Thes. 1. *Quæ sensus externos,* tactus, & auditus, *afficiunt, primo omnium à nobis percipiuntur*; *Non* autem *nos cogitare.* Prior pars patet: quia, in utero, sensum tactus primo exercemus; & deinde auditus, postquam organum auris perfecte instruitur. Posterior vero, quia pueri per aliquot forte annos, nesciunt se cogitare. Nec enim sciunt quid sit cogitare: nec necesse est, ut mens, statim ac cogitat, cogitationem suam, per actum reflexum, percipiat

Thes. 2. *Primum Cognitum universale, ex quo* magna pars cognitionis nostræ pendet, *est aliquod ex illis principiis, quæ Metaphisica* vulgo *vocantur.* In aliquo enim ex his, discursus nostri sæpe desinunt; suntque ex iis nonnulla quæ nec probari possunt, nec probatione indigent. In specie autem dicimus Prima Cognita Universalia esse duo illa Axiomata, *Nihil potest simul esse et non esse,* et *Quidlibet est vel non est.* Sunt enim per se evidentia, tum quoad omnes terminos simplices, ut *res, nihil, simul, esse,* et *non esse*: tum quoad connexionem attributi cum subjecto. Sensus enim prioris est, quod *esse* et *non esse* simpliciter, et *esse tale,* ac *non esse tale,* (ex.gratia, esse album et non esse album) maxime repugnent, adeo ut, eidem, secundum eandem partem, sub eadem ratione, et eodem tempore, convenire non possint. Posterioris vero, quod inter esse et non esse ejusdem rei, item inter rem esse talem, et non esse talem, nullum detur medium; seu quod nihil cogitari possit tertium, cui alterum ex his non conveniat: hoc est quod immediate sint opposita. Deinde omnia fere reliqua axiomata, ad quamcunque tandem dsciplinam pertineant, in altero ex his fundatur; ut *Nihil est causa suiipsius, Totum*

tum eſt majus ſua parte, &c. Nec alterum ex his per alterum probari poteſt, ut quidam putarunt: Quod lectori ipſi penſitandum relinquo.

Theſ. 3. *Prima ſingularia quæ certiſſime percipimus, & ex quorum cognitione ad cognitionem aliarum rerum deducimur, ſunt illa omnia, quæ per ſenſum quendam intellectualem, immediate, in nobiſmetipſis, percipimus*: ſive, omnia illa, quorum nobis ſumus conſcii: ut Apprehenſiones, judicia, ratiocinationes, dubitationes, conſilia, affectus, amor, odium, gaudium, triſtitia, &c. Licet enim de reliquis omnibus dubitaremus, de his tamen, cum in nobis ſunt, dubitare non poſſumus; ſecus enim tolleretur omnis cognitionis noſtræ certitudo. Nam ſi incerti ſimus utrum cogitemus an non, multo magis incerti erimus utrum illud de quo cogitamus, ſit prout à nobis concipitur. Ad hoc enim neceſſe eſt ut certi ſimus, non tantum quod de ea concipiamus, ſed etiam quod ſub tali forma, ſeu idea, eam concipiamus. Et hactenus quidem recte ait Carteſius, *Primum Cognitum* (ſi ſingulare addas) eſſe Ego Cogito. Et ex his experimentis, magna cognitionis noſtræ pars originem ducit: ut primo inde naturam, & facultates mentis noſtræ intelligimus; Deinde Deum Creatorem noſtrum: cum certi ſimus nos ab alio eſſe, nec à nobiſmetipſis nec ab ullo Ente, niſi Omnipotente, & Sapientiſſimo, eſſe potuiſſe.

Theſ. 4. Non ſola experimenta illa, verum etiam *quæ per ſenſum externum percipimus, pro primis Cognitis habenda ſunt.* Certum enim eſt, Nos multa per ſenſum externum percipere: nec aliam eorum rationem reddere poſſe, quam quod ſic percipiamus: Deinde ex illis multa alia, per ratiocinationem, deducimus. Certum etiam eſt, ſenſus non ſemper nos fallere, & ſiquando fallant, fallaciam plerumque detegi poſſe, ut infra dicetur.

Theſ. 5. *Hæc veritas Quicquid cogitat exiſtit*, licet eatenus per ſe nota dicenda ſit, quod apud eos, qui uſum medio-

mediocrem Rationis habent, nulla probatione indigeat, non *tamen eſt ſimpliciter prima*: Præſupponit enim alias priores: has ſcilicet, *Quicquid operatur*, ſeu exercet potentiam activam, *exiſtit*: *Quicquid dat alteri exiſtentiam exiſtit*: *Non Ens non eſt cauſa efficiens entis*: Et per illas demonſtrari poteſt, ut omnibus manifeſtum eſt: Non tamen opus eſt ut demônſtretur; quia omnes facile, rationes quibus innititur, ſine monitore, percipiunt.

Quæſtio 4. *An, & quo ſenſu, verum ſit, principia prima*, licet demonſtrari non poſſint, *Inductione tamen declarari*? Reſpondemus Theſibus ſequentibus.

Theſ. 1. *Principia illa quæ de ſingularibus loquuntur*, ut ego cogito, volo, ſol eſt lucidus, & iſtiuſmodi, *non poſſunt inductione illuſtrari*: quia ſubjectum in illis, ſingulare cum ſit, non continet plura ſub ſe inferiora, ex quibus fieri poſſit Inductio.

Theſ. 2. *Principia Univerſalia, abſolute prima, nullam ex Inductione lucem fænerantur*. Ex. g. hæc, *quidlibet eſt vel non eſt, nulla res ſimul eſt, et non eſt*. Ratio patet: Quia æque manifeſta eſt, immediata, & ſumma repugnantia inter eſſe, & non eſſe in genere, quam inter eſſe & non eſſe hujus & illius rei ſingularis.

Theſ. 3. *Reliquorum principiorum veritas, exemplis, Univerſalitas Inductione declarari poteſt*, et apud Tyrones, ac judicio infirmos, minuſve attentos, declarari debet. Qualia ſunt illa, *Totum eſt majus ſua parte, quæ æqualia ſunt eidem tertio, interſe æqualia ſunt*. Declarari enim poſſunt ſi dicamus, Totum corpus noſtrum eſſe majus capite, vel manu; totam domum eſſe majorem uno pariete: duæ ulnæ, ſi æquales ſint eidem tertiæ, inter ſe æquales ſunt. Ratio eſt quia ſingularia notiora ſunt Univerſalibus, (utpote in ſenſum incurrentia, adeoque ſæpius menti obverſantia); niſi univerſalia ſuprema fuerint, et termini per ſe evidentes, quales ſunt Res, nihil, eſſe, et non-eſſe.

Quæſtio 5. *An Principia abſolute prima, poſſint, à quovis ſanæ mentis, negari*. Reſp. *Poteſt quilibet, voce tenus, ea negare.*

Hoc

Hoc est, potest voces formare quæ contradictionem eorum significant. Sed *mente*, seu judicio interno, *nemo ea, cognita significatione terminorum* unquam *negat*, *aut negare potest:* Quin *nec assensum eorum cohibere*. Ratio est quia nemo dubitare potest de eo, quod evidenter percipit hoc vel illo modo esse. Et si dubitare non potest. neque assensum suspendere poterit, quamdiu ad illud oculos mentis intendit. Sicut nemo apertis oculis, & satis ad videndum instructis, objecto proposito, in debita distantia, visionem cohibere potest.

Quæst. 6. *Quidnam sint veritates per se evidentes*; & *ubinam existant? Cartesius*, cum sectatoribus, omne illud quod menti nostræ obversatur, ad tria capita referunt, scilicet *Rem*, & *Modum* rei, & *propositiones æternæ veritatis*. Statuunt igitur, propositiones illas esse distinctas à Rebus, & rerum Modis: Et in sola mente, Divina, vel creata, existere. Nos his thesibus sic definimus.

Thes. 1. *Propositiones per se evidentes extra mentem nostram sunt*. Ratio est, quia in mente nostra nihil est, præter habitus & actus. Potentiæ enim illius naturales ab ea non distinguuntur, nisi ratione. At veritates per se evidentes, nec sunt potentiæ, nec habitus, nec actus, seu conceptus. De potentiis mentis concedent Cartesiani. De Habitibus, & Actibus probatur. Veritates illæ nec sunt propensiones mentis ad assentiendum veritati, nec assensus ipse qui veritati datur, sed objecta assensus: nec enim assensus ille, sibiipsi objectum est; nec versatur circa aliquem actum, aut habitum mentis, reflexè; sed directè fertur in objecta extra mentem. Ut cum huic veritati assentimur, *nulla res potest simul esse & non esse*, assensus noster fertur in repugnantiam inter esse, & non esse, in omnibus rebus quæ sub intellectum nostrum cadere possunt.

Veritates igitur illæ non resident in Intellectu nostro, ut aiunt Cartesiani; quia sunt objecta conceptuum nostrorum, & eorum quidem, qui non reflexe feruntur in mentem ipsam, aut aliquid aliud quod in mente no-

stra

stra est, sed in res alias. Adeoque objective tantum in mente nostra sunt. Quod autem objective est in mente, nisi vel sit mens ipsa, vel habitus, aut actus mentis, aut purum nihil, habet esse aliquod reale extra mentem.

Thes. 2. *Veritates illæ*, si objective spectentur, *sunt res ipsæ, de quibus loquuntur.* Nec distinguuntur ab illis omnibus simul sumptis. Neq; enim significant conceptus mentis, ut jam ostendimus; nec purum nihil, ut per se patet. Significant igitur res ipsas, earumque affectiones reales. Ex. g. *Totum est majus sua parte* significat attributum illud, scilicet *Majoritatem*, Toti convenire. *Majoritas* autem illa est ipsum Totum, prout plus includit quam pars. Idem de reliquis dicendum est. Totum autem est quævis res integre spectata, præsertim illa quæ ex pluribus Entibus coalescit.

Existunt igitur *Veritates illæ in rebus ipsis*: non autem in mente nostra, nisi objective, ut omnes etiam res quando à nobis concipiuntur. Et cur quæso in mente nostra residere dicendæ sunt, quæ, ut Cartesiani aiunt, æternæ veritatis sunt? Mentes enim nostræ non fuerunt ab æterno. Nec est major ratio, cur propositiones per se evidentes, & æternæ veritatis, in mente nostra resideant, quam cæteræ, quæ ex illis pendent, & innotescunt. Reliquæ enim sunt in mente nostra, quando de illis cogitamus.

Obj. Axiomata illa, quæ Prima Cognita Universalissima esse diximus, nusquam sunt, aut esse possunt, nisi in mente: Quod enim ad prius attinet, *simul esse & non esse*, & *impossibile* non est ulla res, sed purum nonres. Ad posterius vero, *esse* vel *non esse indeterminate*, nulli rei convenit; Quicquid enim est, determinate est; et quod non est, determinate non est.

Resp. Negatur Antecedens. Sunt enim ista in rebus, extra mentem, non minus quam reliquæ omnes propositiones veræ. Nam in priori, repugnantia, seu inconsistentia inter *esse* et *non esse*, cum ad idem conferun-

tur, nihil aliud ſunt quam ipſum eſſe et non eſſe. Per ſe enim et ex natura ſua, repugnantiam et incompatibilitatem habent, (ut Scholæ loquuntur), extra mentem. Sunt autem *eſſe* et *non eſſe* in rebus ipſis. In poſteriori vero, ſenſus non eſt, *eſſe* vel *non eſſe* convenire rebus indeterminate, ſed tantum eſſe vel non eſſe indeterminate conceptum, determinate omni rei convenire. Adeo ut tantum neget medium aut tertium ſtatum, ulli rei convenire. Vere autem rebus ipſis convenit carentia iſtiuſmodi tertii ſtatus, qui medius ſit inter eſſe, et non eſſe.

Inſt. At carentia iſta non exiſtit extra mentem.

Reſp. Retorquendo: Carentia viſus non exiſtit extra mentem: eſt enim non ens. Sicut igitur male hinc Inferes, hanc propoſitionem *Homerus eſt cæcus,* non eſſe in rebus, ſed tantum in mente, ita etiam de priori conſequentia cenſendum eſt. Ratio eſt quia exiſtentia non entis, eſt non-exiſtentia entis: vere autem in omni re, eſt non-exiſtentia omnis rei diſtinctæ.

Quæſtio. 7. *An virtus mentis per quam primis Principiis aſſentimur, ſit Habitus acquiſitus, an facultas naturalis?* Plerique enim ex Ariſtotele, qui eam definit *Habitum principiorum*, Habitum eſſe volunt.

Theſis, *Virtus mentis per quam aſſentimur primis principiis, non eſt Habitus, ſed facultas naturalis.* Probatur. Omnis habitus mentis, præter eos qui ſupernaturales, ſeu infuſi vocantur, diſcurſu acquiritur. At virtus per quam primis principiis aſſentimur, non acquiritur per diſcurſum. Principia enim illa per ſe evidentia ſunt, et diſcurſu, per quem evidentia fiant non indigent.

Obj. Virtus illa per cognitionem præviam terminorum acquiritur: aſſuefactione etiam aſſentiendi, facilius, et perfectius iis aſſentimur. Eſt igitur Habitus.

Reſp. Ad prius, per præcognitionem terminorum

non

non acquiritur virtus illa, ſed via paratur ad illius exercitium, ſive ad actum aſſentiendi; ad quem cognitio illa eſt Conditio neceſſaria, eo quod Judicium ferri nequit in incognitum. Poſterius etiam, ſi de primis Principiis loquamur, falſum eſt. Æque enim notum eſt, *quidlibet eſt vel non eſt*, cum prima vice ipſum mente perpendimus, ac cum ſecunda, tertia aut centeſima. Et cum primo ſentimus nos cogitare, aut velle, æque certi ſumus quod cogitemus, et velimus, ac multos poſt annos.

DISPUTATIO IV.

De Scientia, Fide, Opinione & Arte.

QUæſtio. 1. *An ſit aliqua cognitio hominis in hac vita,* (quæ viribus naturæ acquiritur,) *certa, et evidens ex ratione intrinſeca?* Sive an detur ejuſmodi cognitio quæ *Scientia* vocatur? Fama communis eſt, quoſdam ex antiquis Philoſophis, omnem Scientiam ſuſtuliſſe. Et Academicos novos docuiſſe; nos, de omnibus rebus, opiniones tantum, ſeu conjecturas probabiles habere; Pyrrhonicos vero, ne hoc quidem conceſſiſſe. Non tamen putandum eſt, vel hos, vel illos, ſerio, et ex animo, ita ſenſiſſe, ſed potius, propter magnam, et frequentem incertitudinem, præſertim in Phyſiologia (ubi ad ſpecies rerum deventum eſt,) opiniones illas affectaſſe. Eſtque proculdubio, vera Scientia rarior, inter ipſos literatos, et eruditos, quam multi reputarunt. Interim tamen, *certum eſt, aliquam cognitionis noſtræ partem eſſe Scientiam,* hoc eſt, certam, et evidentem. Quaſdam enim ve-

ritates, ex ejusmodi principiis evidenter deducimus, de quibus, ne vel minimam rationem dubitandi, habemus; quales sunt pleræque quæ in Logica, Mathematica, et Ethica, et plurimæ quæ in Pneumatica, et Somatica, traduntur.

Quæstio. 2 *An de omnibus rebus detur Scientia, an de aliquibus tantum, et quænam illæ sint.* Communia enim inter Philosophos effata fuerunt, *de singularibus, de corruptibilibus, de contingentibus, nullam esse Scientiam.*

Thes: 1. *De plurimis rebus non habemus veram, et solidam Scientiam,* sed tantum opinionem quandam, seu verisimilitudinem, Nempe primo de illis, quorum nulla suppetunt principia certa, et quorum causæ nos latent; ut in Physiologia, seu Somatica, de ventis, de fulgure, et tonitru, de fluxu et refluxu maris, de motu gravium et levium, et plurimis aliis istiusmodi. Item in Pneumatica, utrum Spiritus sit vere extensus, an instar puncti Mathematici. Deinde, de iis, quorum mens nostra non est capax, quales sunt quæstiones plurimæ de rebus infinitis, ut de æternitate, de divina omnipotentia; ex. g. an possibilis sit creatura ab æterno aut infinita perfectione, an possit esse corpus magnitudine infinitum, numerus infinitus, motus velocissimus item de compositione continui, de indivisibilibus. Res enim maximæ cognitionem nostram superant, minimæ eandem fugiunt.

Thes. 2 *De singularibus creatis, quatenus sunt singularia, nulla est Scientia sed Experientia, aut Fides.* Prior pars hinc probatur. Quicquid de singularibus certo et evidenter cognosci potest, vel est essentiale, vel accidentarium. Et quod accidentarium est, vel commune est, vel proprium. At Essentialia omnia Sciuntur per Scientiam speciei; et similiter accidentalia communa, si modo de illis detur Scientia; accidentia autem propria non percipiuntur per Scientiam. Nec enim de illis certitudinem habemus, nisi moralem; ex g de his propositionibus, et similibus,

libus, *Socrates fuit filius Sophroniſci, Alexander Macedo fuit everſor regni Perſici.*

Poſterior pars patet. Quia ſingularia, qua talia, vel percipimus per ſenſum, ſive internum, et intellectualem; ut mentes noſtras, earumque actiones, et effectus; ſive externum; ut omnia quæ videmus, audimus, palpamus &c. Et iſtæ perceptiones *experientiæ* vocantur: vel per Teſtimonium aliorum, qui ſi homines ſint, eſt fides Humana; ſi deus, vel qui ita a deo ducantur in teſtando, ut fallere non poſſint, eſt fides Divina,

Obj. 1. De ſingularibus, quatenus ſunt ſingularia ſcimus quod ſint incommunicabilia, quod dividi non poſſint in plura ejuſdem rationis, et varia iſtiuſmodi. Hæc enim conveniunt ſingularibus quatenus ſunt ſingularia.

Reſp. Iſta quidem certo et evidenter percipimus. Sed non conveniunt ſingularibus quatenus ſunt hæc et illa ſingularia, ſed quatenus participant de communi ratione ſingularitatis; ſive ut propria ſunt rei ſingulari in communi, non huic et illi ſingulari.

Obj. 2. De Sole, Luna et reliquis aſtris, item de Globo Terræ, multa certo ſciuntur; ut magnitudo, motus, diſtantia, Figura, &c. Quæ omnia ſingularia ſunt.

Reſp. Attributa iſta non ſunt propria rerum illarum, ſed communia aliis poſſibilibus: adeoque non ſciuntur de illis quatenus ſunt hæc ſingularia.

Obj. 3. Scimus proprias facultates et virtutes rerum ſingularium, tum per cauſas earum neceſſarias; ut, hunc aut illum hominem eſſe doctum, quia novimus eum ingenio pollere, & literis operam diu et ſedulo dediſſe; tum ex effectis; ut Maronem fuiſſe optimum Poetam, ex ſcriptis ſuis; Vandicium Hollandium eſſe inſignem pictorem, quia

eum ipsi vidimus ingeniosissime pingentem.

Resp. Nihil horum omnium, et similium ita proprium esse huic aut illi singulari, quin aliis saltem possibilibus convenire potuerit, eadem enim specie eruditio potuit alii alicui convenire. Et eadem specie opera potuerunt ab alio fieri.

Thes. 3. *De singularium attributis, quatenus de facto eorum propria sunt, datur Scientia.* Ut si videamus causas in actu, quæ necessario inferent hæc vel illa effecta, in hoc aut illo singulari, quæ de facto illi propria sunt; aut si certo percipiamus effecta, hæc vel illa, ab hoc singulari producta, certo colligere possumus ex causis effecta, et ex effectis potentiam seu virtutem, quæ horum propria causa est. Exempla ex objectione præcedenti pete. Quanquam in his certitudo non est maxima. Siquidem possibile est absolute loquendo, eum qui ingenio præditus est, et diu literis vacavit, omnium oblitum esse: et qui optimam effigiem delineavit non esse pingendi peritum. Quia fieri potest, manum ipsius, non per artem in mente, sed per Genium aliquem directam fuisse.

Thes. 4. *De Deo* qui ex essentia sua unicus est, *maxime datur Scientia.* Multa enim ex perfectionibus ipsius, à posteriori, per effecta, nempe per opera Creationis & Gubernationis, evidenter, & certissime intelliguntur, ut affirmat Apostolus, ad Romanos, cap. 1. v. 20. Et ex uno attributo aliud demonstratur, quasi à priori, per causam: ut Immensitas, per Omnipotentiam; Immutabilitas, per Supremitatem, & Sapientiam; esse adorandum, & omni obedientia prosequendum, quia est Creator, & Conservator noster; ut ex ratiocinationibus Theologicis patet.

Thes. 5. *De illis qui actu non existunt, datur Scientia,* non minus quam si existerent; ut de Rosa in hyeme. Unde Artifex, certo & evidenter, novit virtutes & effecta operis à se faciendi, aut quod ab alio fieri potest,

per

per Scientiam materiæ ex qua illud facere, & formæ quam materiæ isti addere statuit. Sublata enim re, eadem manet illius idea in mente. Et ex iis quæ existunt, vel extiterunt, judicium facimus de similibus quæ existere posse novimus.

Obj. De non existentibus nulla attributa positiva affirmari possunt: ut in hyeme rosa non suaviter olet, non habet vim exiccantem, &c. Er. nihil de illis sciri potest.

Resp. Rebus non existentibus conveniunt omnia attributa existentium, non absolute, & simpliciter, sed ex hypothesi quod existerent.

Thes. 6. *Privationes sciuntur per causas, qnibus habitus seu formæ tolluntur, & formas & habitus ipsos quos tollunt.* Clare enim percipimus *non esse* illius cujus *esse* percipimus: ut *mortem* per vitam, *cæcitatem* per visum. Et certi scimus eum cui caput abscinditur, aut in mari projicitur, nec enatare potuit, si nemo opem tulerit, mortuum esse.

Thes. 7. *De puris negationibus, & Impossibilibus, Scientiam aliquam habemus*; illam scilicet, per quam attributa negativa certo percipimus illis convenire: Quæ Scientia *negativa* dici potest. Positivam Scientiam habere non possumus: quia hujusmodi objectorum nulla sunt attributa positiva. Nec de illis aliqua Scientia particularis instituitur. Ridicula enim foret.

Thes. 8. *De rebus transeuntibus, & corruptibilibus, datur Scientia.* Transitionis, enim & corruptionis, causæ necessariæ esse possunt. Et licet res ipsæ corrumpantur, aut pereant, vera tamen est connexio attributorum, cum suis subjectis, & inter se, quæ idcirco certo, et evidenter percipi potest; ex hypothesi scilicet quod existant, seu quamdiu existunt.

Obj. Mutato objecto tollitur Scientia.

Resp. Mutato secundum naturam, & ortum ex causis, Scientia tollitur, seu falsa redditur. Verum

mutatione facta duntaxat in objecti existentia actuali, non tollitur.

Thes. 9. *De rebus contingentibus, quatenus, habent attributa necessaria, sive absolute, sive ex hypothesi aliqua, datur Scientia*, seu certo cognosci pussunt secundum naturas suas, & modum contingentem in genere, quo e causis oriuntur. Ratio patet ex iis quæ jam dicta sunt. Eatenus enim propositiones quæ de illis fiunt, necessariæ sunt & immutabiles. Quatenus vero attributa habent quæ mere contingenter ipsis conveniunt, eatenus ab intellectu creato, certo, & evidenter, cognosci non possunt. Sic sciri non possunt eventus futuri contingentes; ut exitus sortitionis; aut in quam partem voluntas petri circa res indifferentes sit inclinatura. Ratio est, quia ex hujusmodi causis pendent, quæ ex æquo possunt hunc effectum producere, ac alium disparatum, vel oppositum, vel etiam nullum. Credimus tamen ista omnia ab intellectu divino certo cognosci. Hinc, de propositionibus contingentibus, quatenus contingentes sunt, & de rebus fortuitis, ac casualibus, nulla est cognitio Humana, quæ certa & evidens sit, sed tantum Conjectura, vel probabilitas. Sicut omnis Scientia est propositionum quæ aliquo modo necessario veræ sunt, nempe vel absolute, vel ex hypothesi aliqua; Et per rationes quæ necessario inferunt, idque vi materiæ, nempe per causas necessarias, vel per signa & effecta necessaria.

Quæstio. 3 *An Opinio, Fides, & Scientia, de eadem conclusione, in eodem homine, eodem tempore esse possint.* De diversis enim conclusionibus, & de eadem in diversis hominibus, & denique de eodem homine diversis temporibus primo intuitu certum est esse posse.

Thes. *De eadem veritate, potest esse, in eodem homine, Fides, Opinio & scientia simul, sive eodem tempore.* Ponamus enim, quod facile contingere potest, eundem hominem, eodem tempore, tria genera rationum

num pro hac vel illa conclusione, intueri, nempe Testimonium Fide dignum, rationem probabilem, & rationem necessariam, Assensus quatenus testimonio nititur, est actus Fidei, quatenus rationi quæ duntaxat probabilis est, Opinativus est; quatenus rationi necessariæ,est Scientia. Potest autem omnibus his tribus generibus mediorum simul niti: quid enim impedit, si modo mens ad quatuor objecta simul attendere possit? Sic intelligimus terram in medio universi consistere, per Fidem Humanam, quia sic testantur viri docti; per Fidem Divinam, quia idem testatur Scriptura, Per rationem vero ferme necessariam, quia videmus stellas circa eum moveri & fixas quidem eandem distantiam ad eam servare.

Obj. 1. Si verum illud sit, sequeretur intellectum de eadem propositione esse simul certum & incertum, quod repugnat.

Resp. Repugnat intellectum, de eadem propositione, esse simul certum, & incertum, per idem medium, seu per eandem rationem, sed non per diversas, potest enim essensus, per unam rationem, esse firmus, per aliam infirmus.

Obj. 2. Sequeretur intellectum posse simul assensum adhibere contradictoriis, nempe hanc vel illam conclusionem necessario esse veram, & non esse.

Resp. Non sequitur: quia non assentitur eam esse necessario veram, & non esse necessario veram absolute, sed tantum sic dicit, propter rationem certam agnosco esse necessario veram, propter aliam vero incertam, si nulla alia esset, agnosco non esse necessario veram.

Obj. 3. Assensus scientiæ absorbet & expellit assensum Opinionis ; tollit enim omnem formidinem partis oppositæ: sicut major lux absorbet minorem.

Resp. Concedimus assensum Scientiæ assensum opinionis non necessarium reddere, non tamen eum plane expellit. Sicut lux major minorem non annihilat, sed tantum efficit ne percipiatur. Licet enim, per

unum

unum medium, mens plane persuadeatur, hoc tamen non impedit quo minus aliud suum pondus habeat. Ad rationem in oppositum, concedimus mentem de eadem veritate non posse simul formidare & non formidare. Verum cum habet rationem necessariam veritatis, Assensus, quem eidem adhibet, propter rationem probabilem, non includit formidinem. Formido enim non est actus mentis ut intelligens est, sed ut appetens, nempe ut veritate delectatur, falsitatem vero fugit, ut malum. Unde potest Mens simul agnoscere pondus rationis probabilis, & necessariæ.

Inst. At Assensus Opinionis dubitationem includit, assensus Scientiæ eandem excludit. Eidem autem actui mentis non potest simul inesse dubitatio, & dubitationis carentia.

Resp. Assensus Opinionis quando per se, & solus in mente est, dubitationem includit: sed non, quando unà de eadem re est Assensus Scientiæ. Opinio enim non est nuda dubitatio, sed duplicem actum mentis complectitur; unum, per quem Mens assensum remissum propositioni adhibet, propter rationis verisimilitudinem, seu quæ aliquid ponderis habet: alterum, per quem dubitat, quoniam satis ponderis non habet. Et prior cum scientia, eodem tempore consistere, quin & eidem numero actui convenire potest: posterior in præsenti casu abest per accidens, propterea quod Mens simul intuetur rationem necessariam.

Quæstio 4. *Utrum Ars, an Natura præstantior sit.* Per Naturam intelligimus virtutem agendi, & recipiendi, rebus creatis ingenitam. Respondemus igitur ad quæstionem thesi sequenti.

Thes. *Natura, absolute loquendo, perfectior, & præstantior est Arte.* Probatur. 1. Quia Natura est Ministra dei, Ars hominis. 2. Natura dat vitam, Ars minime. 3. Natura agit per influxum & efficientiam realem; Ars tantum moraliter, & directive. 4. In Effectis, quæ à Natura per Artem adjuta, proficiscuntur

tur, Natura est causa principalis, Ars causa secundaria, & subserviens. 5. Natura pleráque opera sua præstat sine Arte; at Ars nihil producit sine Natura.

Obj. 1. Ars est dux & regula Naturæ.

Resp. Quoad modum agendi duntaxat, non quoad actionem ipsam.

Obj. 2. Ars præstantiora efficit quam Natura: Ut dat recte loqui, harmonice sonos edere; cum Natura tantum præstat ut utcunque loquamur, & sonos formemus.

Resp. Ars cum Naturâ præstantiora quandoque efficit, quam Natura sine Arte. At non per se sola, sine Natura. Vel sic distinguas: Ars præstantiora efficit quoad modum operis, non autem quoad modum & substantiam simul, ut in exemplis memoratis.

Obj. 3. Ars operatur cum cognitione, Natura rarius sic operatur, nempe in iis solis quæ cognitione pollent.

Resp. Præstantia tamen illa, perfectionibus Naturæ, quas recensuimus, superatur.

Obj. 4. Ars est principium operandi liberum, natura necessarium.

Resp. 1. Natura non semper operatur necessario, prout necessarium libero opponitur, ut in actionibus naturalibus Angelorum, & mentis nostræ, quarum, Natura sine Arte, principium est. 2. Ars est principium liberum operandi, non per se, sed propter libertatem animi cui inest. Hoc est Ars est principium Artificii quod in opere est; Natura vero est principium libertatis in eo producendo.

Obj. 5. Ars perficit Naturam.

Resp. Hinc non sequitur Artem esse præstantiorem, quia à minus præstanti potest perfectio aliqua prestantiori conciliari. Sic modi substantiarum substantiis ipsis ignobiliores sunt, eas tamen perficiunt.

DIS-

DISPUTATIO V.

De Objecto, Causis, & Proprietatibus Disciplinarum.

QUæstio 1. *An miserum sit omnia speculari & novisse?*

Resp. 1. Non per se, & natura sua. Deus enim omnia videt, & novit, qui tamen beatissimus est. Angeli etiam beati omnia genera rerum, &, (ut longe probabilius est) omnes etiam species speculantur.

Resp. 2. Ex accidenti igitur homini aliunde misero, & miseriæ obnoxio, incommodum est omnia scrutari, & speculari. Quatenus scilicet notitia quarundam rerum dolorem adfert; ut calamitatum quæ nos manent, vel vitiorum occultorum alterius: Aut in abusum trahitur; aut quia immensi laboris est, & hominem, nunc brevis vitæ, in nullo excellere permittit.

Quæstio 2. *An in omni, aut ulla Disciplina, sit Objectum quoddam, ad cujus cognitionem, omnia reliqua quæ in ea tractantur, natura sua ordinantur*, quod Objectum *Attributionis* multi appellant? Affirmant plurimi, præsertim Pontificii. Nos sic statuimus.

Thes. 1. *In multis disciplinis est aliquod Objectum primarium*, cujus cognitio, vel productio, maxime intenditur: ut in Logica, *Definitio*, vel *Demonstratio*; de quibus utra sit præferenda, disputant Logici. In Ethica, *Cognitio*, & *Acquisitio summi Boni*; In Physiologia, cognitio nostri maxime expetenda est.

Thes. 2. *Non potest, in omni Disciplina, ejusmodi Objectum assignari, cujus cognitio præcipue*, & supra cognitionem omnium reliquorum, *jure intenditur, seu*

intendi

intendi debet. Quodnam enim erit objectum istiusmodi in Geometria; planumne, an solidum? Et si posterius dicant, attendere debent solidum plurima corporum Genera comprehendere, de quibus rursus quæritur, sitne Pyramis, an Cylindrus, an Cubus, an Sphæra? Idem dici potest de Arithmetica. Et, si Artes respiciamus, quodnam erit Objectum Attributionis Rhetoricæ? an Oratio demonstrativa, an deliberativa, an juridicialis? In arte sutoria, an calceus, aut ocrea, chirotheca, tunica, &c?

Thes. 3. *In omnibus Disciplinis quidam tractantur quorum cognitio ad cognitionem aliorum ordinatur:* ut in Grammatica, literæ, syllabæ, & singulæ voces ad notitiam Orationis. In Logica termini simplices, ut vocantur, ad notitiam propositionum, & syllogismorum. Cognitio enim unius objecti cognitioni alterius frequenter inservit, & cognitio unius ex cognitione alterius pendet: ut cognitio generum, partium, causarum, ad cognitionem specierum, totorum, effectuum, conducit; & cognito uno oppositorum facilius cognoscitur alterum in Disciplinis etiam practicis, est unus aliquis finis, ad quem omnia earum præcepta respiciunt, ut in Medicina, *Sanitas*; in Grammatica, *rectitudo Sermonis.*

Thes. 4. *Non tamen assignari potest, in omni Disciplina, objectum aliquod particulare,* puta unum specie, *ad cujus cognitionem omnium reliquorum cognitio natura sua ordinatur.* Si enim esset ejusmodi Objectum, ex. g. in Physica, illud esset vel Homo, vel Angelus; hæc enim præcipua illius Objecta sunt. At quomodo ostendi potest, cognitionem Lapidum, Metallorum, Maris, Lunæ, Solis, &c. ad cognitionem Hominis vel Angeli natura suâ ordinari aut inservire. An non æque facile cognoscitur Natura Humana vel Angelica, ab eo qui naturam Lapidis, aut ferri ignorat, quam ab alio qui eam maxime novit? Sexcentæ istius generis instantiæ produci possent.

Obj. Si aliqua esset Disciplina, in qua nullum tale Objectum reperiretur, nullus etiam illius finis esset, aut scopus, in quem tenderet; Nulla partium connexio, & ordo; nulla denique unitas.

Resp. Verum, sine ratione ista omnia dicuntur. Nam in Disciplinis practicis, finis est acquisitio cujusdam boni, non autem nuda illius cognitio. Et in speculativis finis cum fine alicujus quæ practica sit, coincidit: omnium enim finis est hominis fœlicitas, quæ finis peculiaris Ethicæ est. Partium autem connexio in Practicis, ex subordinatione unius ad aliam, aut omnium ad finem ultimum; in speculativis vero, ex cognitione objectorum, non autem ex sola aptitudine unius notitiæ ad aliam acquirendam, oritur. Denique unitas Disciplinæ, per unitatem objecti formalis in speculativis, in Practicis vero, ex unitate finis, satis conservatur.

Quæstio 3. *An & quatenus sensibus externis in prosecutione scientiæ fidendum sit?*

Respondet Cartesius cum sectatoribus, *suspecta esse debere, & pro incertis ac falsis habenda omnia quæ sensus externi nobis offerunt:* quanquam regulam illam, non ad actiones vita extendant, sed ad solam veritatis inquisitionem. Nos sic statuimus.

Thes. 1. *Sensus externi nos aliquando fallere possunt, si judicium de rebus, juxta ideas, quas ipsi nobis proponunt, formemus.* Unde pueri, rustici, & alii, qui minus cauti in judicando sunt, per eos decipiuntur. Ramus enim integer, partim in aqua, partim extra aquam positus, fractus apparet: turris quadrata à longe conspecta, rotunda videtur; sol non major disco putatur; Iris speciem arcus præbet, &c. sensus etiam Internus, seu Imaginatio, erroribus obnoxius est; idque non tantum in Somno, sed etiam cum vigilamus: ut, cum qui vertigine laborant, omnia quæ circumjacent corpora, in orbem ferri existimant: aut cum ebrii, & melancholici, varia copuscula ante oculos volitare autumant.

tumant. Unde nemo qui compos rationis est, in ea sententia esse solet, ut existimet res semper vere ita esse, prout à sensibus repræsentantur.

Thes. 2. Sicut plurimæ res sunt, quæ nullatenus sensu percipiuntur, ut omnes res spirituales, & multæ etiam materiales, illæ scilicet omnes, quæ propter exiguitatem, organa sensuum non afficiunt; Ita etiam earum, quæ sensu percipiuntur compositio, seu textura, situs partium, figura, motus, &c. per sensum sæpe non deprehenduntur. Quis enim adeo lynceis oculis est, ut visu percipiat, quomodo partes ligni, aut lapidis, cohæreant? *Sensus* igitur *ad omnes res, etiam materiales* & quæ quotidie nobis occurrunt, *dijudicandas non valent.* Et hæc concedimus Cartesio.

Thes. 3. *Non tamen putandum est sensus res semper falso nobis repræsentare, nec suspicandum est eos semper nos decipere.* patet,

1. Quia ministerio sensuum multa percipimus esse, quæ alioquin nunquam mediis naturalibus perciperemus, tactu enim multa apprehendimus, ut lapides, ligna, aquam, aerem ipsum & ventum; Visu percipimus res distantes plurimas, quas cæci non percipiunt, videntes vero valde imperfecte; quatenus scilicet voces, quæ res similes significant, eas per auditum menti exhibent.

Resp. *Le Grand Instit. Philos. Part.* 1. *Cap.* 2. *Sensus nos duntaxat instruere quod res illæ sint, non autem docere quid sint, seu qualem naturam & essentiam habeant.*

Resp. Concedimus quidem, totam naturam seu essentiam rerum istarum, per ideas illas quæ sensibus ingeruntur, non percipi; sicut nec tota per mentem intelligitur; aliquid tamen essentiale in rebus istiusmodi per sensus intelligimus: ut duritiem in lapide, ligno, ferro; mollitiem & fluiditatem aquæ, lucem corporum natura sua lucentium &c. Deinde licet essentias rerum, sensus, nulla ex parte, mentibus nostris exhiberent, multa tamen accidentia vere

proponunt, ut figuras, motus, diſtantias, &c. quibus cognitis mens multa alia ipſarum attributa exquirit & adinvenit. Annon igitur per ſenſum certi ſumus ſolem eſſe lucidum, ignem eſſe calidum, glaciem eſſe frgidam, licet per eum, quid ſit lux, calor, & frigus, nonniſi imperfecte percipiamus?

2. Si Senſibus nunquam eſſet fidendum, corrueret magna pars Phyſiologiæ. Nam notitia noſtra de rebus materialibus tota à ſenſibus incipit. Unde ſi omnia judicia quæ ex ſenſibus fiunt, incerta eſſent, lubrico niteretur fundamento maxima pars iſtiuſmodi notitiæ. Annon enim per ſenſum certo percipimus res materiales extenſas eſſe, quod fundamenti loco ponunt Carteſiani in ſua Somatologia?

3. Si ſenſibus nunquam eſſet fidendum, in proſecutione ſcientiæ, ſuſpicandum eſſet Deum ita nos condidiſſe, ut in erroribus innumeris perpetuò verſari nos oporteat: Quod ſapientiæ & bonitati ejus minime congruit. Quorſum enim iſtiuſmodi creaturas conderet, præſertim quæ alioqui ratione præditæ ſunt.

4. Non eſſemus certi quod ſenſus nos aliquando fallant, niſi etiam certi eſſemus quod aliquando non fallant. Ut ſcire non poſſemus viſum falſo repreſentare baculum, in aqua, ut curvum, niſi per viſum, vel tactum, ſciremus eum extra aquam, rectum eſſe. Nec enim falſitas, in rebus quæ ſub ſenſum cadunt, aliter quam ex veritate oppoſitâ, innoteſcit.

Objiciunt Carteſius, & Carteſiani, 1. Nunquam illis fidendum eſt, qui nobis vel ſemel deceperunt. Tunc enim exiſtimare debemus fieri poſſe ut nos ſemper decipiant. At ſenſus ſæpe nos fallunt.

Reſp. Regula illa, nunquam fidere illis qui vel *ſemel* nos fefellerunt, nimis ſtricta eſt. Fieri enim poteſt ut quos novimus nos prius decipiſſe, diſpoſitione ad decipiendum jam vacare: ut cum quis, è mendaci & doloſo, verax & ingenuus factus eſt. Similiter,

liter, licet satis novimus sensus nos aliquando decipere, circumstantiis tamen mutatis, certi esse possumus vera eos testari. Ideo enim sensus nos fallere solent, vel quia objectum longius distat; ut cum turris quadrata, eminus conspecta, rotunda apparet; vel quia objectum, nimia propinquitate, sensum obruit, & impedit, quod tamen in solo visu contingit; vel nimia sensibilitate organum lædit; ut cum sonus vehementior auditum obtundit, ut distincte eum percipere non possit; vel ob parvitatem sensum fugiat; vel quia medium ineptum est; ut cum per vitrum rubedine tinctum, omnia videntur rubra; vel deniq; quia organum sensus male affectum est; ut cum Icteriacis pleraq; flava apparent, Ebriis unum objectum duplex videtur. Verum si objectum debitæ magnitudinis sit, ut sensum nostrum vivide afficere, nec tamen obruere possit, si in debita distantia constituatur, si medium purum, & expeditum sit et organum integrum fuerit. putandum non est sensus nos decipere, quousq; objecta repræsentant. Possumus autem certo distinguere inter casus istos: Unde et errores sensuum detegimus.

Obj. 2. Sensus nobis à Naturâ concessi sunt, non ad veritatem eruendam, seu ad principia rerum contemplanda; sed ad indicandum quænam vitæ nostræ corporeæ commoda sint et noxia. Plurima enim eorum quæ in scientiis tractantur, nulla specie corporea nobis offeruntur. Rerum autem corporearum, non tantum initia, sed etiam figuræ, sensus fugiunt, nec revera quales sunt per eos repræsentantur.

Resp. Negatur Antecedens, propter rationes supra adductas. Probationes nihil aliud concludunt, quam solo sensu nullam scientiam comparari; quod conceditur. Ad priorem igitur dicimus, per cognitionem eorum quæ sensus nobis proponunt, ad ea contemplanda ducimur quæ sub sensum minime cadunt. Primo enim, sensu percipimus, in rebus corporeis,

extenſionem, & partes majores. Et inde, per rationem colligimus partes illas aliis partibus conſtare: Et, quæ adeo exiguæ ſunt, ut ſenſum noſtrum fugiant, vel conſtare aliquot aliis, quæ minimæ ſunt, nec ulterius dividi poſſunt, vel diviſibiles eſſe in infinitum. Beneficio etiam idearum rerum quæ majoris ſunt quantitatis, percipimus res ſimiles, quæ propter parvitatem ſenſu percipi nequeunt: ut ex idea ſphæræ cujus diameter digitus eſt, ad Globulos cæleſtes (ſi modo ſint) intelligendas. Deinde ex intuitu rerum corporearum, & motuum, ac mutationum, quæ in illis contingere obſervamus, ad exiſtentiam & naturam ſpiritualium; ut Dei ipſius, Angelorum, & mentium quæ in aliis hominibus ſunt agnoſcendam aſſurgimus. Ad poſteriorem probationem dicimus, licet initia, ſeu principia rerum corporearum, ſenſu non detegamus, ex illis tamen quæ ſenſu detegimus, ad principia, per rationem, progredimur. Quod autem ad figuras attinet, illæ, ſi ſenſum fugiant rarius per Rationem deteguntur. Dicant enim nobis Carteſiani, an figuræ guttarum, quæ è nubibus cadunt, ſint exactæ rotundæ, aut an ſuperficies ullius rei ſive naturalis, ſive per artem levigatæ, ſit exacte plana, ſine omni cavitate, & extuberatione.

Quæſt. 4. An & quatenus verum ſit, *Quicquid eſt in Intellectu prius fuit in ſenſu?* Dictum illud exagitant Carteſiani. Et fatendum eſt, non eſſe verum in ſenſu proprio. Quoniam multa mente intelliguntur, quæ ſub ſenſum non cadunt; ut Deus, mens noſtra, earumque virtutes, & actus; Angeli; res materiales quæ quantitate minores ſunt, quam ut ſenſus noſtros ferire poſſunt. Item omnes res univerſales, quatenus tales ſunt. Senſus igitur hujus Effati eſt, Cognitionem noſtram non quidem totam, ſed magna, ſi non etiam maxima ex parte, à cognitione quæ per ſenſus habetur originem ducere, & pendere. Quod veriſſimum eſt: ut ex illis quæ in

ſupe-

superiore quæstione dicta sunt, satis apparet. Utique ex mundo hoc aspectabili, agnoscitur Deus, ex motibus corporum, agnoscuntur animæ quæ ea movent. Per ideam Hominis quam ex nobismetipsis accipimus, cognoscuntur omnes alii homines, a nobis nunquam visi. Per res etiam corporeas, cognoscimus, tanquam per opposita, incorporeas. Per singularium cognitionem, formamus ideas Universales, quæ eandem, hoc est similem naturam in omnibus repræsentant.

Quæst. 5. *An omnes Homines, per naturam Scientiam expetant.*

Resp. Affirmative. Quod vel ex curiositate Sciendi, quâ communiter aguntur, satis liquet. Ratio a priori est, quia omnes appetunt quod sibi bonum videtur. Interim tamen non omnes appetunt Scientias Phisolophicas, appetitu efficaci. Quidam enim Scientias negligunt; vel quia nimis difficiles videntur; vel quia aliis studiis animos jam addixerunt. Omnes tamen per appetitum simplicis Complacentiæ, in Scientiam feruntur; vellentque si fieri posset, omnia scire.

Obj. 1. Quicquid naturale est, perpetuum est: at Desiderium Sciendi non est perpetuum, sed Scitia acquisita, cessat.

Resp. Etiam cum Scientia acquiritur, manet appetitus tum complacentiæ, per quam in ea acquiescimus tum desiderii de ea retinenda, & augenda.

Obj. 2. Fratres ignorantiæ, (ut vocantur,) inter Pontificios, nihil se scire velle profitentur, præter Christum, Virginem Mariam, & St. Franciscum

Resp. Illud ex superstitiosa, & simulata affectatione singularis pietatis oritur, non ex contemptu Scientiæ, absolute & in se spectatæ.

Quæst. 6. *Sintne præstantiores, Disciplinæ Theoreticæ, an Practicæ.* Plerique Theoreticas præferunt. Nos his Thesibus litem definimus.

Thes. 1. *Disciplinæ Theoreticæ præstant Practicis illis, quæ Artes vulgo vocantur.*

1. Ratione Objectorum: Illæ enim agunt de Deo ipso, & rebus Naturalibus, quæ à solo Deo fieri possunt: Hæ de solis operibus Humanis, quæ longe inferiora sunt operibus Divinis.

2. Ratione Finis. Disciplinæ enim Theoreticæ, ad optimam Hominis partem, nempe Mentem perficiendam, ordinantur, & ad Fœlicitatem illius magis conducunt, nempe ad pie & honeste vivendum, instructiorem etiam Hominem reddunt, ad veritatem cœlestem, contra adversarios, tuendam. Artes vero ad vitæ hujus terrenæ commodum, & jucunditatem, proxime spectant. Grammatica autem, & Logica, in specie, ad omnes Disciplinas acquirendas inserviunt, adeoque ad illas rationem habent medii ad finem.

3. Ratione Subjecti, & causæ proximæ. Disciplinæ enim Theoreticæ, non nisi ab illis, qui præstantiori ingenio pollent, in gradu insigni acquiri possunt. Artes vero à quibusvis addiscuntur.

Thes. 2. *Disciplinæ Theoreticæ, ratione objecti, præstant omnibus practicis, etiam Ethicis.* Ratio est, quia agunt de Natura & perfectionibus Dei, & de præstantissimis è rebus creatis. Practicæ vero etiam ipsæ Ethicæ, de solis actionibus Humanis, ad rectitudinem Moralem dirigendis, & fœlicitate quæ ex ea sequitur.

Obj. Ethica agit de Deo & summo Hominis bono. Theologiæ igitur Naturali, ratione Objecti æquiparatur.

Resp. Ethica non agit de Deo secundam Naturam spectato, nisi indirecte, quatenus, ex principiis Theologiæ Naturalis, demonstrat eum esse Beatitudinem nostram Objectivam, & finem ultimum. Directe enim agit de sola fruitione, Dei, & mediis quibus ad eam pervenitur, juxta primævum statum creaturæ rationalis.

Thes.

Thes. 3. *Quædam ex Disciplinis practicis, nempe Ethica, ratione finis, omnibus Theoreticis præstant.* Patet quia finem ultimum Hominis explicant, & media ad eum perveniendi, ex primævo Hominis statu, proxima, et unice necessaria, proponunt. Cum Theoreticæ media tantum remotiora complectantur, nempe varia motiva ad prosecutionem finis ultimi. Adeoque non ordinantur ad finem illum, proxime, ut Ethica, sed remote tantum.

Obj. 1. Disciplinæ Theoreticæ sunt sui gratia; Practicæ propter operationem. Ergo præstantiores sunt.

Resp. Sensus Antecedentis tantum est, Disciplinas Theoreticas non ordinari ad effectionem objectorum suorum, nec immediate spectare ad operationem, ut Practicæ: Absolute enim loquendo ad operationem ordinantur, nempe ad praxin, præsertim moralem, dirigendam, & excitandam.

Obj. 2. Disciplinæ Theoreticæ, per se, Hominem perficiunt: practicæ non nisi auxilio virtutis.

Resp. negatur Anteced. Nam etiam Disciplinæ Practicæ, per se, & sine virtute, hominem aliquatenus perficiunt; nempe prout mentem imbuunt cognitione finis ultimi, et mediorum quæ ad eum tendunt.

Obj. 3. Disciplinæ Theoreticæ perficiunt hominem, per assimilationem ad Deum, & Angelos beatos, felicitate contemplativa: Practicæ, solum in ordine ad societatem Humanam, felicitate activa.

Resp. Neque hinc sequitur Disciplinas Theoreticas esse præstantiores: partim, quia assimilatio illa Hominis ad Deum, & Angelos, quæ in nuda cognitione veritatis consistit, longe minor perfectio est, quam illa quæ in pietate, & justitia consistit, de qua disserit Ethica. Per illam enim, sola si fuerit, homo miser est. Partim quia Ethica non perficit hominem, in ordine duntaxat ad societatem Humanam, sed etiam in ordine ad societatem Divinam, si peccatum non obstaret.

Obj. 4. Appetitus mentis noſtræ magis fertur in Theoricam, quam praxin.

Resp. De appetitu ordinato verum non eſt : ex appetitu autem vitiato nihil ſequitur.

Obj. 5. Diſciplinæ practicæ ſunt minus certæ.

Resp. Negatur iſtud. Nituntur enim principiis certiſſimis, & evidentiſſimis, qualia ſunt *Deus eſt colendus, & omni obedientia proſequendus, quod tibi fieri non vis, id alteri non facias,* & iſtiuſmodi.

Inſt. Facilius dubitamus de principiis practicis quam de Theoreticis.

Resp. Contingit iſtud propter inordinationem voluntatis Humanæ, quæ principiis practicis non facile ſe regi patitur, & mentem ad dubitandum inducit de illis quæ non amat: non propter incertitudinem, & inevidentiam principiorum Practicorum in ſe.

Obj. 6. Objectum Diſciplinarum Theoreticarum ſunt res neceſſariæ, & immutabiles; practicarum vero, res contingentes, & mutabiles.

Resp. Si de objectis complexis loquamur, veritates practicæ non minus neceſſariæ ſunt, & immutabiles, quam dogmata Theoretica, ſi debita comparatio inſtituatur. Nam præcepta legis Naturalis ſunt abſolute, & neceſſario vera; ut *ſolum Deum, cultu à ſe probato, reverenter, & ſincero animo, colere.* Quæ autem legis poſitivæ ſunt, neceſſario etiam vera ſunt, ex hypotheſi legis poſitæ: & quædam dogmata Theoretica non aliter neceſſario vera ſunt niſi ex hypotheſi. Si autem de objectis incomplexis loquamur, conceſſimus illorum ratione diſciplinas Theoreticas eſſe præſtantiores. Illa tamen præſtantia ſuperatur à quibuſdam practicis nempe Ethicis, ratione finis proprii qui in illis ſupremus eſt.

Quæſt. 7. *Unde ſit, quod tot errores, in Diſciplinis Philoſophicis, prout à multis traduntur, locum habeant?*

Reſpondet Carteſius, cum Diſcipulis, oriri iſtud ex eo

eo quod *homines in Infantia, & pueritia, multos errores imbiberunt, quos postea non facile deponere possunt: ut solem esse minorem jugero agri; astra non esse majora flamma candelæ; plus materiæ plumbo, aut lapidi inesse, quam igni, aut aeri; nihil esse corporeum nisi quod sensibile est: Et hinc omnia immaterialia ad modum rerum sensibilium concipiunt.* Sic *Le Grand Instit, Philos. Part.* 1. *cap.* 1.

Resp. Concedimus homines, in infantia, & pueritia, varios errores imbibere, eo quod in multis dijudicandis, sensu magis ducantur, quam ratione. Et, ex erroribus istis nonnullos mentibus adultorum adhærere. Interim tamen, (& sit Thesis) *parum aut nihil præjudicia ista scientiarum acquisitioni officiunt.* Ratio est, quia adeo plerumque crassa sunt, & rationi dissona, ut in matura ætate, facile ab iis exuuntur, qui de mente excolenda solliciti sunt, hoc est serio scientiarum studio eam applicant. Quod vel hinc patet, quòd, apud neminem Philosophorum, præjudicia infantiæ & pueritiæ, pro dogmatis veritatis defendantur, nisi forte ex affectatione singularis cujusdam opinionis; quales fuerunt ex Antiquis, qui solem bipedalem tenuisse perhibentur. Quis enim putet, vere illos, & ex animo, ita sensisse? cum quotidie observârint unamquamque rem, quæ oculo cernitur, pro majori distantia, minorem apparere. Adeo ut mirum sit, *Le grandium* huic sententiæ fidem adhibuisse. Adde quod nullum ex omnibus infantiæ præjudiciis, quæ Cartesiani proferunt, apud Peripateticos pro vero dogmate recipiatur: Quos tamen plurimum in Physiologia errare autumant. Aliunde igitur sunt errores in Physiologia, quam ab istiusmodi præjudiciis.

Quæst. 8. *An Philosophia Theologiæ Christianæ sit contraria.* Sive, *An quidquam in Theologia verum sit, quod in Philosophia est falsum.* Quidam affirmant, Nos negamus: sit igitur

Thes. *Vera Philosophia Theologiæ supernaturali, seu*

Religioni Christianæ, nullatenus adversatur.

Probatur, quia utraque est Dei donum; utraque veritas; altera Naturæ lumine, altera revelatione Divina, homini communicata. Dona autem Dei, inter se non pugnant, nec veritas veritati unquam contradicit.

Obj. 1. Monet Apostolus, ut Christiani à Philosophia, tanquam â vana deceptione caveant, Epist. ad Coloss. cap. 2. v. 8. Ergo mala est, & fidei Christianæ contraria.

Resp. Monet Apostolus ut caveant à falsis, & corruptis Philosophorum Ethnicorum dogmatis, seu à Pseudosophia; non autem à vera & genuina Philosophia.

Obj. 2. Sapientia carnis, qualis est Philosophia, est inimicitia adversus Deum, ut idem Apostolus testatur, ad Rom. 8. 7.

Resp. Per sapientiam carnis, Apostolus non intelligit veram Philosophiam, sed vitiosam naturæ Humanæ, per lapsum depravatæ, propensionem, & appetitionem.

Obj. 3. Humana cum divinis pugnant.

Resp. Verum est duntaxat de vitiis Humanis: non de donis, & beneficiis, quæ Deus in Homines, per industriam naturæ, confert.

Obj. 4. Philosophia dicit mundum fuisse ab æterno, & in æternum duraturum, ex nihilo nihil fieri, Virginem non parere, idem non esse trinum & unum, neminem justitia aliena justum esse; per actiones virtutum ad Beatitudinem perveniri; & multa istiusmodi, quibus Theologia supernaturalis contradicit. Hæc enim affirmat Deum, in principio temporis, omnia è nihilo creasse; mundum hunc aspectabilem, die novissimo, igne abolendum; Virginem Mariam, dum virgo fuit, Salvatorem mundi peperisse; Deum esse unum & trinum; justitiam Christi imputari peccatoribus credentibus, in justificationem;

ficationem; per opera legis neminem ad vitam pervenire.

Resp. Non sequitur; Vera enim Philosophia non dicit mundum fuisse ab æterno. Quippe an potuerit ab æterno esse, ambigit, & graves rationes in partem oppositam urget. ut in Tractatu de mundo ostendetur. Nec negat mundum dissolutum iri, sed dubitat: Et merito quidem: quoniam ex altera parte, certum est, Deum mundum dissolvere posse; ex altera, per rationem naturalem incertum est an velit. Nihil ex nihilo non fieri asserit quidem, sed per vires naturæ, non absolute: Deum enim agnoscit esse omnipotentem. Virginem parere negat, sed ex ordine naturæ tantum, non per potentiam Divinam. Dicit fides Christiana Deum esse trinum & unum, sed non *secundum idem, sed secundum aliud & aliud*; Unum Essentiâ, Trinum Subsistentia. Hominem vero justitia aliena imputata, justum esse ignorat quidem Philosophia, non negat. Agnoscit enim transactionem tum meriti, tum demeriti, ab una persona in aliam, ex pacto, aut lege: ut cum posteri majorum privilegiis fruuntur, aut eorundem damnis obnoxii sunt. Denique Philosophia, per actiones virtutis, ad Beatitudinem, seu fruitionem summi Boni perveniri, non ut plane certum pronunciat, nisi de homine integro; sed tantum dicit nullam aliam viam homini per lumen Naturale innotescere. De Homine autem integro, & vitii experte, idem asserit Theologia Supernaturalis, quod Philosophia; scil. perfectam & perpetuam adhæsionem ad Deum in hoc sæculo esse unicam viam ad Beatitudinem æternam.

APPEN-

APPENDIX.

De Variis, Familiis & Sectis Philosophorum.

QUoniam in Philoſophia Elenctica, ſeu Critica, nomina & ſectæ Philoſophorum, tam veterum quàm recentiorum frequenter occurrunt, idcirco ne de plane ignotis cum Tyronibus loquamur, operæ pretium erit, hic, non procul ab initio, aliquid ſemel de iisdixiſſe.

Principio Quæritur an primus Homo, ſtatim à creatione, prædītus fuerit Habitibus Diſciplinarum. Simile quid affirmant Conimbricenſes in proæmialibus Logicæ. Agnoſcimus nos primum Hominem, in ſtatu innocentiæ, facultates omnes naturales mentis ſuæ integras habuiſſe, & perfectas; adeo ut omnia actu cognoverit, quæ ad ſtatum beatum cognitu erant neceſſaria: et plurima alia facultatum ſuarum exercitio detegere potuerit. *Sed non conſtat eum Habitibus omnium Diſciplinarum inſtructum fuiſſe.* Ratio eſt, quia ſacra Scriptura hoc ſolum affirmat, quod in imagine Dei, et rectus factus fuerit, hoc eſt ſanctus, juſtus, et beatus, ſine peccato, et miſeria: ad iſtiuſmodi vero ſtatum, Habitus omnium Diſciplinarum non erant neceſſarii. Ita igitur conditus eſt, ut in cognitione proficere potuit, ſicut et Chriſtus ipſe ſecundus Adamus profecit. Lucæ 2. ult. Et Scientia Angelorum incrementa capit.

Obj. Ignorantia eſt pars quædam Miſeriæ, et dolorem adfert.

Reſp.

Resp. Verum istud est de sola ignorantia eorum quæ ad Fælicitatem Hominis, scitu necssaria sunt. Alioqui Adamus, ut esset beatus debuit esse omniscius, quod falsum est. Quid vero miseriæ in eo fuisset, si Adamus, compositionem continui, aut causam fluxus & refluxus maris, ignorasset? Quod igitur dicunt Conimbricenses, Ingenuas Artes, à Deo, tanquam primo fonte emanasse, nisi intelligant, Deum homini per naturam, facultates istiusmodi dedisse, quibus ipse, deo concurrente, ingenuas Artes invenire potuit, falsum est. Nec enim putandum est, Deum, per Immediatam revelationem, cognitionem Artium homini communicasse.

Sed utcunque res ista fuerit, certum est Hominem per lapsum multum de solertia, & perspicacia primæva, non tamen totam perdidisse. Unde plerisque sæculis reperti sunt, qui cognitione rerum, supra modum vulgarem, claruerunt. Ut Assyriorum & Persarum Magi, Ægyptiorum Sacerdotes, Bactrianorum Semanaci, Indorum Brachmanes, & Gymnosophistæ, Gallorum Druides, Græcorum Sapientes, Latinorum Doctores, &c. Rationi tamen consentaneum est ut putemus, Disciplinas & artes omnes, primo fuisse valde imperfectas; & prout à pluribus, per nova experimenta excolebantur, gradatim incrementa cepisse. Unde illud in Axioma abiit, *Nihil simul inventum & perfectum.* Et in hunc usque diem, ad *ætatem virilem* non pervenerunt. Quoniam vero acquisitio veritatis Difficilis est, & homines ingenio Dispares, non eandem, in ea exquirenda, viam instituerunt, Hinc maxima opinandi diversitas, & variæ sectæ inter Philosophos fuerunt.

Et, post Egyptiorum & Assyriorum Magos, quorum mentio in sacris literis fit, Duas præcipue Sectas prodit Historia, *Italicam*, & *Ionicam*. Italicæ Sectæ caput fuit *Pythagoras*, cui ordine successerunt *Thelauges*, *Zenophanes*, *Parmenides*, *Zeno Eleates*, *Leucippus*,

pus, Democritus, &c. qui â Magiſtro Pythagorici dicti ſunt. Ionicæ auctor fuit *Thales Mileſius*, è ſeptem Sapientium primus, Philoſophiæ Naturalis Inventor habitus. Hunc ordine ſecuti ſunt, *Anaximander*, *Anaximenes*, & *Anaxagoras Claromenius*, qui, ex Ionia, ſcholam Athenas traduxit; & ſucceſſorem habuit *Archelaum*, Socratis præceptorem; Socratem vero excepit *Plato*, divinus appellatus, eo quod de Deo multa diſſerere ſolitus ſit. Auditores illius Academici à loco ubi docuit, nempe ſuburbano, quod mille paſſus ab Athenis diſtabat, *Academia* nomine, appellabantur. Succeſſores habuit, *Xenocratem*, *Palæmonem*, *Crantorem*, *Cratetem*, quibus placuit diſſimulare ſcientiam, & nulli rei pugnaciter adhærere. Cratetem ſecutus eſt *Arceſilaus*, novæ Academiæ inſtitutor, Ignorantiæ Magiſter à Lactantio dictus, eo quod primus palam negaverit quicquam eſſe quod ſciri poſſet. Fuit & Athenis alia Secta, *Stoica* dicta, à *Stoâ*, hoc eſt porticu inſigni, quo Stoici ad Diſputandum convenerunt. Hujus Autor fuit *Zeno Citticus*. Poſt eum inſigniores fuerunt, *Cyranthes*, *Diogenes Babylonicus*, *Chryſippus*, *Panætius*, *Epictetus*, & *Seneca*.

Inter alios Platonis Diſcipulos celeberrimus fuit *Ariſtoteles*, quem, multis jam ſæculis, maxima, aut ſaltem doctiſſima pars orbis Chriſtianæ, in Philoſophando ſecuta eſt. Hic Peripateticorum princeps fuit, (à *Peripatéin*, ſic dicti, quoniam inter docendum deambulare ſolebant) ingenii mirabilis vir, qui de multis rebus, præſertim Logicis, & Phyſicis, longe perfectius, & accuratius omnibus qui eum antegreſſi ſunt, ſcripſit. Ei ſucceſſerunt, præter alios, *Theophraſtus*, *Strato Lampſacenus*, *Demetrius Phalerius*, *Hieronymus*, *Cratippus*, *Boætius*, &c. Scripta ipſius interpretati ſunt (conciſo enim ſermone, adeoque ſæpe obſcuro ſcripſit)

psit) *Alexander Aphrodisæus*, *Porphyrius*, *Themistius*, *Ammonius*, *Plutarchus*, & *Philoponus*; & ex Latinis *Boætius*, & *Averroes*.

Sectæ igitur veterum Philosophorum variis nominibus appellatæ: ut à Gymnasio, seu loco in quo docebant, *Academici* & *Stoici*; a deambulatione inter docendum, *Peripatetici*; ab autoribus *Pythagorici*, *Platonici*, *Aristotelici*, *Epicurei*; à genere vitæ *Cynici*, inter quos insignis fuit Diogenes *Hemerobius* dictus, quoniam, præter ea quæ quotidianis necessitatibus sufficiebant, nihil quærebat. *Cynici* vocati sunt, quod mordacibus dictis vitia reprehenderunt. Quidam à præcipuo dogmate, quo à reliquis distinguebantur, nomina sortiebantur; ut *Hedonici*, ab *Hedonès* voluptate; quia in ea summum hominis bonum locabant. Horum caput fuit Epicurus, à quo *Epicurei* dicti sunt; Alii à modo judicandi *Ephectici*, id est *inhibitores* ab *epechein*, & *Sceptici*, à *sceptomai* inspicio, quoniam in quærendo, & considerando, semper versabantur, & de illis quæ alii definiverant judicium inhibuerunt: Non autem ut apud multos audiunt, quod de nulla re statuerint.

Et hæc de Antiquioribus Philosophorum Sectis. Sequitur ut de recentioribus, præsertim hodiernis, aliquid subjiciam; à temporibus Alberti Magni, & Thomæ Aquinatis, cæptum est in scholis, strictius, & curiosius, de omnibus disputari. Quanquam in quæstionibus parum aut minime utilibus ventilandis, operam nimis locarunt; & Aristoteli nimis adhæserunt, tanquam nihil ab eo perperam traditum, nihil, ad rerum intelligentiam requisitum, omissum fuerit. Nec, ut olim ipse, quid suopte ingenio, adhibito priorum scriptorum adminiculo, possent, sobrie et prudenter tentarunt. Et licet Aristotelem nonnunquam deseruerunt, ut de existentia Mundi ab æterno, in

in aliis tamen, cum ipſi varios errores in fide, invaleſcente. Apoſtaſia Antichriſtiana, imbibiſſent, eundem errantem & deceptionis ſuæ patronum ſecuti ſunt; ut in iis quæ ad liberum Arbitrium, & de Beatitudine ex operibus virtutis ſpectant. Duæ autem temporum illorum ſectæ fuerunt celebriores; altera *Thomiſtarum*, qui Thomam Aquinatem; altera *Scotiſtarum*, qui Johannem Scotum ſecuti ſunt. Utraque ſcholas, non tantum Pontificiorum, ſed etiam Orthodoxorum, poſtquam à Synagoga Romana ſeceſſio facta eſt, occupavit. Inter Pontificios celebriores ſunt Jeſuitæ, præſertim *Vaſquez, Suarez, Hurtado*, & poſt eos *Rodericus Arriaga*, *Comptonus*, & plurimi alii. Hi omnes in eo multum operæ ſuæ locant, quo dogmata Philoſophica cudant, aut inflectant, ad errores Eccleſiæ Romanæ ſtatuminandos; ut in ſequentibus oſtendetur.

Sectæ hodiernæ præcipue ſunt *Ariſtotelici*, qui Ariſtoteli & rationi philoſophandi præteritis aliquot ſæculis uſitatæ, mordicus adhæreſcunt; (quanquam hi quotidie decreſcere videntur.) Et *Carteſiani*, qui *Renatum Des Cartes*, hominem certe ingenioſum, qui aliquot ab hinc annis, Univerſam fere Phyſiologiam immutavit, & rejectis principiis Ariſtotelicis, nova fundamenta jecit, vel potius antiquis, Democriti & Anaxagoræ, licet pluribus mutatis, & additis, inædificavit. Hujus Doctrinam plurimi avide hauriunt, & totam defendendam ſuſcipiunt, adeo ut metuendum ſit, (ſi modo id metuere debemus) ne omnis honos Ariſtoteli decedat, & in Carteſium transferatur: Et ſic in illud ipſum vitium incidant illius diſcipuli, quod in viris doctis ſuperiorum ſæculorum reprehendunt; hoc eſt, ut libertate philoſophandi prodita, in Carteſii Magiſtri verba juraverint. Sunt tamen qui rectius, omnia dogmata Carteſii nec ſpernant ut pertinaces Ariſtotelis admiratores, nec omnia deglutiunt, ſed delectu habito, in utriuſque

doctrina amplectuntur quod veritati magis consentaneum videtur. Reliqua quæ ad hunc locum pertinent, in Proœmio Physiologiæ Elencticæ, deo favente, dicentur. Nunc ad Quæstiones Logicas pergamus.

LOGICA
ELENCTICA:

SIVE

Synopsis Controversiarum, quæ circa Dogmata, & Præcepta Logicalia, agitantur.

LOgica Elenctica *controversias, circa illa quæ in Didactica traduntur, proponit, & definit. Ad singula enim fere capita controversiæ quædam agitantur, quas ideo nunc (sed breviter) tractabimus,* 1. *Ne à consuetudine recepta plane discedamus, easve superciliose contemnere videamur.*

2. *Quia Logico ignominiosum vulgò ducitur, eas plane ignorasse.*

3. *Quia ad ea, quæ in parte Didactica tradidimus, intelligenda, & confirmanda, nonnihil conducunt.*

4. *Denique quia ad ingenia Tyronum exercenda, & acuenda, utiles sunt. Ab illis autem quæ ad Naturam ipsius Logicæ spectant, incipiemus.*

DISPU-

LOGICA ELENCTICA.

DISPUTATIO I.

De Objecto, Genere, & Necessitate Logicæ.

Quæst. 1. Quidnam sit Objectum Logicæ? Mira hic est sententiarum diversitas. Alii enim *res* extra mentem; Alii ipsas *mentis operationes*, seu actus; Alii sola *Nomina*, seu voces, (Nominales ob id vocati;) Alii *Entia Rationis* statuunt. Nos Thesibus sequentibus, quid verisimilius sit statuemus.

Thesis 1. *Logica aliqua ratione agit, & agere debet, de rebus præter operationes mentis, Voces, & Orationem.*

1. Quia omnium consensu, Summa Genera rerum, quæ ab Aristotelicis *Categoriæ* vocantur, in Logica proponenda sunt: Quodque id fieri debeat ratio suadet. Etenim ad claram & distinctam rerum perceptionem, multum conducit Genealogiam, seu ordines Generales rerum ipsarum, mente tenere: ita ut uno quasi intuitu, perlustrare possis totam rerum Universitatem, incipiendo à Generalissimis, desinendo in speciebus infimis, aut saltem eo usque descendendo, ut cujusvis rei Genus, non valde Remotum habeas. Nec enim ad omnes species infimas descendere licet: Partim, quia plurimæ nobis ignotæ sunt: partim, quia si eousque descenderemus,

ut omnes quæ notæ ſunt complecteremur, longior eſſet ſeries quam ut memoriæ facile mandari poſſet. Multum certe ad res cognoſcendas confert, ad quem ordinem ſubſtantiarum aut modorum pertineant, cum quibuſnam aliis conveniant, à quibus differant, internoſcere. Utile enim illud erit ad res definiendas, diſtribuendas, & explicandas.

2. Omnes etiam fatentur, Attributa rerum communiſſima, qualia ſunt Eſſentia, & Accidens, Genus, Species, Differentia, Cauſa, Cauſatum, & reliqua iſtiuſmodi, quæ in Didacticis tradidimus, in Logica eſſe proponenda, & explicanda. Nullibi autem, tanta opportunitate, quam in Diſciplina illa quæ Regimini mentis præeſt, & januam ad reliquas aperit: præſertim cum eorum, tam in Logica, quam in reliquis Diſciplinis, frequens ſit mentio, & Uſus.

Reſpondent multi, *iſta omnia in Metaphyſicâ eſſe tractanda; in Logica vero tantum prælibanda.*

Reſp. Licet conſtitutio & ambitus Diſciplinarum, magna ex parte, arbitrarius ſit; Incommodum tamen eſt iſta alibi quam in Logica tractare. Si enim in Metaphyſicâ explicanda ſint, neceſſe eſt Logicam mutilatam eſſe & imperfectam, quæ tamen omni eorum notitia carere non poteſt; vel ut indecora & ſuperflua repetitione eadem bis tractentur; ut à pleriſque diu factum eſt. Deinde non conſtat inter Philoſophos an ſtatuenda ſit Metaphyſica aliqua à Pneumatica diverſa: nec ulla ratio poſtulat ut ſtatuatur.

Alii reſpondent; *Logicam non agere de iſtis rerum attributis,* puta de ipſo Genere, Specie, Differentia, &c. *Sed tantum de eorum conceptibus.* Ut, cum in ea dicitur, Genus eſſe aliquid commune pluribus, quæ Eſſentia differunt, ſenſum eſſe *Cum vis concipere Genus, concipe id quod commune eſt pluribus iſtiuſmodi,* & ſic de reliquis.

Reſp.

Resp. Falsum istud.

1. Quia si verum sit, utique verum etiam esset, nullam *D*isciplinam, agere de rebus ipsis extra mentem, sed tantum de earundem conceptibus. Ut, cum *Physica* dicit materiam esse quaquaversum extensam; aut Mathematica, Triangulum esse superficiem quæ tribus lineis comprehenditur, sensus esset, *cum vis concipere materiam, vel Triangulum res istiusmodi concipe.* Nulla enim disparitas ostendi potest.

Instantia. Genus & species non sunt in rebus ipsis, sed in sola mente.

Resp. At cur Genus, & Species in communi minus in rebus sunt, quam materia, aut Triangulus in communi?

2. Responsio ista ridiculos facit Logicæ inventores, quasi nomina Generis, Speciei, Causæ, Causati, subjecti, et adjuncti, & similium, conceptibus mentis imposuissent, cum ad res & earum attributa designanda communiter adhibeantur.

3. Multa dicuntur de Genere, Specie, &c. quæ non, nisi per vim, ad conceptus mentis trahi possunt. Ut quod Genus affirmari possit de pluribus Speciebus, Species de pluribus individuis: quod Differentia cum Genere, speciem constituat. Quod accidens sit additamentum rei in Essentia constitutæ; & plurima alia, quæ non de conceptibus, sed de rebus ipsis veritatem obtinent.

4. Cum, conformiter ad ideas affectionum istarum communium, res apprehendere conamur, non ad earum conceptus, (nisi quatenus res repræsentant,) sed ad res ipsas mentem convertimus. Ut cum intelligere volumus, an attributum rei quod menti nostræ obversatur, sit Genus, an non, ad ipsam naturam Genericam, quæ in rebus est, respicimus, non autem ad illius conceptum.

Obj. 1. Res sunt objecta aliarum Disciplinarum. Ergo, non sunt in Logica tractandæ.

Resp. Logicam non instituere plenariam rerum tractationem, sed tantum ordines illarum Generales, & Attributorum Locos communes proponere: Specialem vero horum & illarum tractationem cæteris Disciplinis relinquere.

Obj. 2. Logica solos conceptus mentis, & Sermonem externum dirigit. De his igitur solis, non de rebus tractat.

Resp. Contrarium sequitur. Quia enim Logica conceptus & Sermonem dirigit, de omnibus mediis necessariis ad finem illum agere debet. Ex quibus unum est, Rerum Genealogiam, & Attributorum capita tenere.

Thes. 2. *Logica non agit de solis rebus*; ut quidam affirmant, quorum sententiam ingeniose depingit, & tuetur Derodon, in proæmio Logicæ. *Objectum Logicæ* (inquit) *sunt modi disserendi. Modus* autem *disserendi duplex est, Objectivus & Formalis. Objectivus est Res una manifestans aliam: ut vestigium leporis illius transitum. Estque præcipue triplex, Definitio, Divisio, & Argumentatio. Definitio objectiva est res una explicans aliam; ut Animal rationale, Hominem. Divisio objectiva, est res dividens, scilicet partes quæ dividunt totum; ut Corpus & anima, Hominem. Argumentatio objectiva alia est simplex, scilicet, res probans, sive Antecedens, ex quo infertur conclusio: Alia composita, nempe complexio rei probantis & probatæ, antecedentis scilicet & consequentis: ut ignis urit, ergo est calidus. Modus disserendi formalis est conceptus, quo modus disserendi objectivus concipitur. Prior est objectum Logicæ primarium, Posterior secundarium tantum, & indirectum, sive per accidens.* Sententia ista ab ingenio pertinaci, non sine specie rationis, defendi potest. Scilicet, si quis, mutatis terminis, contendere velit, Objectum Logicæ in genere esse *Logous*, sive *rationes* rerum *generales*, adeoque Definitionem esse attributa quibus res explicatur; Divisionem esse partes rei, vel species, & quæcun-

que

que in ea distingui possunt; Propositionem affirmantem, esse identitatem rei & attributorum suorum; negantem, esse rerum diversitatem, seu distinctionem; Argumentationem esse connexionem propositionum, quoad veritatem, & falsitatem; Methodum denique esse ordinem rerum, & Attributorum, propositionum, & Argumentationum. De his enim omnibus agit Logica. Nihilominus varie peccat ista sententia.

1. Quod, si terminos à Derodone usurpatos retineamus, vim inferat vocibus, sive coactas locutiones adhibeat. Licet enim *logoi*, seu Rationes Rerum Generales, media differendi sint; quandoquidem mens, ex earum intuitu, ad recte differendum dirigitur; modi tamen differendi, non, nisi per Catachresin satis duram, dici possunt. Siquidem modi differendi proprie, sunt modi conceptuum, & sermonis externi; non autem rerum. Unde & formales tantum sunt, non autem objectivi; sicut modus videndi, aut audiendi, non est in objecto, sed in visu, & auditu. Improprie etiam dicitur una res definire aliam. Nam Definitio objectiva, uti in scholis vocatur, non definit aliam rem, sed unaquæque res seipsum definit per sua attributa; similiter nec divisio proprie est res dividens, sed, (si ulla divisio *objectiva* dici debeat.) Res dividentes. Nec Argumentatio ipsa, sed medium in argumentatione, est res probans. Sicut nulla Argumentatio objectiva, si esset aliqua quæ sic appellanda sit, est simplex, sed complexio trium terminorum aut propositionum.

2. Quibuscunque tandem terminis efferatur sententia illa, in veritatem ipsam peccat. Multa enim ex præceptis Logicæ, de solis conceptibus mentis, & sermone externo, loquuntur, non autem de rebus extra mentem, & sermonem. Ut quod Definitio sit *explicatio essentiæ*; quod Divisio sit *Enumeratio partium vel specierum*; quod Definitio debeat esse *clara* &

quantum fieri poteſt *brevis:* Cum res non ſint explicatio Eſſentiæ, Enumeratio partium; nec in illis eſt claritas, aut obſcuritas, brevitas, aut prolixitas. Senſus igitur illorum præceptorum eſt, quod definitio ſit conceptus vel oratio explicans eſſentiam, hoc eſt evolvens & aperiens attributa rei eſſentialia, quod conceptus de re clarus, vel oratio clara ſit: quod Diviſio ſit conceptus partium diſtinctus, ſeu oratio diſtincta, qua illæ ſignificantur. Similiter dicit Logica propoſitionem eſſe affirmantem, vel negantem, veram, vel falſam; Cum tamen res nec negant, nec affirmant: Et licet veræ vel falſæ ſint, non tamen ſenſu Logico. Siquidem in Logica propoſitio dicitur vera, quoniam res eſt prout ipſa exprimit, & falſa quoniam res aliter eſt. At res ſibiipſi nec conformis, nec difformis eſt. Veritas igitur & falſitas propoſitionis eſt veritas, & falſitas conceptûs, & ſermonis. Præterea, propoſitio disjunctiva eſt, in qua è pluribus, unum indeterminate ſtatuitur: at in rebus nihil eſt, hoc ſenſu, indeterminatum. Nam ex his, *Petrus nunc currit, vel non currit,* alterum determinate in re eſt: at à propoſitione alterum indeterminate tantum ſtatuitur. Propoſitio igitur illa non eſt res, ſed conceptus vel oratio. Figuræ etiam & modi ſyllogiſmorum, non ſunt res, aut modi rerum, ſed conceptuum, & ſermonis. Nam ex iiſdem plane terminis, poſſunt diverſæ propoſitiones, & ſyllogiſmi diverſarum figurarum, & modorum, fieri, cum res ſignificatæ, manent immutatæ. Multa alia hujus Generis produci poſſent.

Obj. Plurima ex præceptis Logicæ, de ſolis rebus aperte loquuntur; ut quod *Definitio reciprocari debeat, cum re definita, quod Diviſionis membra debeant eſſe oppoſita, & toti adæquata; Propoſitionem neceſſariam eſſe, in qua connexio terminorum eſt immutabilis, contingentem in qua mutabilis eſt.* Et cæterorum eadem ratio eſt, licet de conceptibus aut oratione loqui videantur.

Reſp.

Resp. 1. Concedimus in Logica agi de rebus; Quin & ubi de operationibus mentis dirigendis directe agitur, rerum alicubi mentio fit: ut exemplis hic adductis. Perinde enim aliquando est, ad mentem dirigendam, sive objectum monstremus, circa quod actus rectus exercetur, sive actum, qui ad illud terminari debeat. Sed negamus omnium præceptorum eandem esse rationem, propter ea quæ jam dicta sunt.

2. Sicut Autores hujus sententiæ, omnia Logicæ præcepta de rebus verificare student; ita etiam dici potest, hæc & similia, de conceptibus præcipue esse intelligenda. Adeo ut sensus sit, conceptum definitum ea attributa sumere debere, quæ cum re definienda reciprocantur; Divisivum vero, ea membra, quæ opposita sunt, & toti æqualia. In conceptu de veritate necessaria, subjectum & attributum immutabiliter cohærere; de veritate contingente mutabiliter. Quanquam fatendum sit, in his postremis exemplis de solis objectis seu de rebus sermonem esse. Nec enim actus judicii, circa materiam necessariam, semper necessarius est, sed sæpius contingens. Plerique enim actus mentis nostræ contingentes sunt, & voluntatis imperio, quoad exercitum, subjiciuntur. Et qui circa materiam contingentem exercetur, potest esse æque necessarius, ac alius qui circa necessariam versatur.

Thesis 3. *Objectum Logicæ primarium sunt conceptus seu operationes mentis.* Et Logicæ quidem Geneticæ objectum sunt operationes mentis recte eliciendæ, seu ut dirigendæ, ad faciliorem, certiorem, uberioremque consecutionem veritatis. Analyticæ vero, sunt eadem operationes, ut jam elicitæ, sive bene, sive male.

Probatur 1. Quia omnis Disciplinæ practicæ objectum primarum est praxis, seu operatio quam dirigit:

dirigit: ut in Grammatica, ſermo externus; in Ethica, actiones humanæ, quatenus dirigendæ ad honeſtatem, & finem ultimum; & ſic in reliquis. Logica autem, quoad primariam ſui partem, practica eſt.

2. Præcipua Logicæ præcepta; ſeu quæ primario intenduntur, veritatem obtinent de conceptibus mentis; ut præcepta de propoſitione, Definitione, Diviſione, Diſcurſu, & Methodo, quæ primario ſignificant actus judicandi in mente, & enunciandi in ore; rarius autem objecta, niſi figurate, per Metonymiam. Hinc recte Logica circa modos ſciendi verſari dicitur. Modum enim quendam inducit in actus mentis noſtræ; ſicut omnis Ars in ſuam Materiam.

Obj. 1. Operationes mentis eſſe conſiderationis Phyſicæ & Ethicæ, non igitur Logicæ.

Reſp. Non ſequitur: quia eadem res objectum eſſe poteſt plurium Diſciplinarum, ſub diverſa ratione: quod & de operationibus mentis verum eſt. Siquidem illæ ſecundum naturam ſpectatæ, in Phyſiologia, nempe in ea illius parte, quæ Pſychologia vocatur: in Ethica etiam de iiſdem agitur, quatenus legibus pietatis et juſtitiæ conformes, aut repugnantes eſſe poſſunt: ſed in Logica conſiderantur ut rectæ, vel vitioſæ, in ordine ad veritatem, ubique, quoad fieri poteſt, attingendam.

Obj. 2. Operationes mentis ſunt res tranſeuntes, adeoque ſi vitioſæ ſint, non permanent dum correctionem accipiant: ſi vero rectæ fuerint, nulla directione indigent.

Reſp. Si vitioſæ ſint, non manent quidem dum corrigi poſſint, eædem individuæ; nec Logica docet quomodo eædem ſingulares operationes vitioſæ, evadant rectæ: poſſunt tamen loco earum quæ vitioſæ ſunt, aliæ ſubſtitui, quæ recte procedunt. Poteſt etiam vitioſa actuum mentis formatio caveri. Qua ratione utrumlibet fiat, illud eſt quod docet

Logica. Deinde ubi operationes mentis rectæ sunt, licet directione non indigeant, opus tamen est regulis quibus de earum rectitudine certi simus. Illæ autem eædem sunt, quæ ostendunt qua ratione recte elici, & formari possint.

Obj. 3 Rectitudo actuum mentis est finis Logicæ, ad quem consequendum considerantur, in Logica, res, sub rationibus Generalissimis, nempe quænam attributa essentiam rei ostendant, quænam sint partes & species, & varias connexiones attributorum cum subjectis, ac veritatum inter se. His autem cognitis facile percipimus quinam actus mentis nostræ veri & recti sint, prout scilicet rebus conformes, vel difformes fuerint. Ergo rectitudo actuum non est Logicæ objectum.

Resp. 1. Rectitudo actuum mentis in particulari, seu prout ipsi versantur circa materiam particurem, quemadmodum in reliquis disciplinis fit, est quidem finis Logicæ. Finis enim ejus est, ut in scientiis, mens nostra recte procedat. Interim tamen rectitudo actuum in communi, est illius objectum.

2. Consideratio rationum illarum Generalium, quæ in rebus ipsis sunt, est medium quidem ad finem Logicæ; Verum non Unicum, nec etiam primarium. Ut enim mens in reliquis scientiis, recte procedat, opus est non tantum cognitione aliqua Generali rerum, sed etiam ut modum recte procedendi, in ipsis actibus mentis, prospectum habeamus.

Thes. 4. *Logica aliquatenus agit de vocibus & Sermone externo.*

Patet. 1, Quia communiter, cum de rebus meditamur, eas consideramus prout vocibus subsunt, hoc est prout per eas significantur, præsertim ubi res sub sensum non cadunt. Animi enim nostri conceptus, per signa externa, communicare solemus, quæ ple-

rumque

rumque voces ſunt. Hinc res menti noſtræ obverſari ſolent,ut vocibus alligatæ. Unde quia non ſemper eodem modo illis ſubſunt,indeq; periculum errandi oriatur,neceſſariæ ſunt regulæ quædam ad illud vitandum.

2. Quia finis Logicæ eſt, non tantum utipſi recte ſciamus, ſed etiam ut conceptus noſtros recte interpretando, & res proponendo, alios inſtruamus, ut in Didactica præſcribitur. Item ut aliorum dicta,& ſcripta, tum intelligamus, tum aliis intelligenda exponamus,prout in Analytica,præſertim Hermeneutica,docetur. Iſta autem ut rectius præſtemus,præcepta quædam de vocibus,& ſermone externo,neceſſaria ſunt.

Reſpondet Arriaga, *ſic Logicam ſupplere defectum Grammaticæ.* Sed replicamus; multa, in Logica traduntur de vocibus, & ſermone, quæ fini Grammaticæ extranea ſunt. Ut cum agit de phraſium æquipollentia in propoſitionibus: cum præcipit ut à vocibus, & locutionibus obſcuris,& figuratis in Scientiis Philoſophicis tradendis,abſtineamus; utq; vocum delectum iſtiuſmodi faciamus, eaſq; ita ordinemus, quo res ſimplici modo,& luculenter menti audientis exhibeant.Grammatica autem nil majus curare debet, quam regulas congruitatis ſeu idiomata cujuſque linguæ tradere.

Theſis 5. *An ulla eorum quæ in Logica traduntur, Entia rationis ſint,* Hoc eſt an tali nomine appellanda ſint, Logomachia eſt. Certum enim eſt, Logicam non agere de figmentis, quæ communiter Entia Rationis vocantur: nec iſtud volunt qui Entia Rationis objectum Logicæ faciunt, ut immerito iis imputat Comptonus, & alii. Certum etiam eſt Logicam agere de illis rationibus communibus rerum, quæ rebus tribuuntur ex noſtro modo concipiendi, ut de ſubjecto, & attributo, antecedente & conſequente, de majori & minori extremo, & medio in ſyllogiſmo, ſæpe enim aliquid ideo ſubjectum potius quam prædicatum eſt, quia in conceptu & ſermone noſtro, primum locum obtinet: ſæpe propoſitio antecedens eſt, quia ex ea

aliquid

aliquid inferimus, cum tamen consequens esse potest, seu ex alia inferri. Idem de terminis in syllogismo statuendum est. Oriuntur igitur istæ affectiones objectorum mentis nostræ, ex nostro modo concipiendi. An vero vocandæ sint Entia rationis, quæstio est de voce. Si enim illa sola Entia rationis vocari debent, quæ pura sunt figmenta, affectiones istæ non erunt Entia rationis, quia non finguntur à mente nostra, sed oriuntur in rebus à modo quo mens ea concipit. Si vero Entia rationis appellare libeat omnia quæ pendent à Ratione nostra, tum Entia Rationis vocandæ sunt.

Obj Illa sunt Entia Rationis, quæ tantum existunt objective in intellectu: ex quibus nonnulla mere fictitia sunt, & impossibilia: alia habent fundamentum in rebus; formaliter tamen nusquam sunt, nisi objective in intellectu: ut *genus, species, subjectum, prædicatum, definitio, definitum, divisio, divisum, syllogismus* objective consideratus. At de his agit Logica. Ergo agit de Entibus Rationis.

Resp. Negandum est ista existere solum objective in mente nostra. Sunt enim *res*, prout cognitioni subjacent, sive tali modo conceptæ. Adeoque duo denotant, scilicet res ipsas, & modum quo cognoscuntur. Utrumq; autem est quid reale, & existunt sive de illis cogitemus sive non; licet posterius, nempe modus cogitandi, sine cogitatione non existit. Et res quidem existunt extra mentem: modus autem cogitandi est in ipsa cogitatione, ut in subjecto. Exempli gratia. Genus est natura communis plurium specierum, & species plurium singularium, concepta ut una, hoc est uno conceptu. Subjectum est res concepta ut habens aliquid quod ei convenit; Prædicatum est res ut alicui convenit. Definitum est res ut explicata per sua attributa; Definitio vero objective sumpta, est illa ipsa attributa, distincte cognita. Divisum est ipsa res quæ habet partes, aut species, concepta ut eas habet. Divisio objectiva sunt partes et species illæ, distincte conceptæ

Ante-

Antecedens, ut partem diſcurſus denotat, eſt propoſitio aliqua prius cognita quam alia, & ad aſſenſum aliûs mentem inducens. Conſequens eſt alia propoſitio, poſt, & per aliam agnita Syllogiſmus objective ſumptus, eſt complexum quid ex tribus propoſitionibus, & tribus terminis. Propoſitio vero objective ſumpta ſi affirmans ſit, eſt identitas rei cum ſeipſa, alio & alio modo conſiderata; vel conjunctio unius rei cum alia, ut partis cum parte in compoſito, modi cum ſubjecto in concreto. Si vero negans ſit, tum eſt plures res nec identificatæ, nec conjunctæ ſed diſtinctæ, vel etiam ſeparatæ. Termini autem vel ſunt res diverſæ, vel plura attributa ejuſdem rei, vel res cum ſuis attributis. Attributa denique rei vel ſunt res, aut modi, ut aliis adjunguntur, vel res ipſa ut alias reſpicit, aut negationes aliarum connotat. Exempla tibi ipſi excogitanda, aut à peritiori ſuggerenda, brevitatis cauſa relinquo. In his igitur omnibus nihil eſt non reale.

Inſt. At res tali modo à nobis cognoſcuntur, tanquam aliquid ipſis conveniret, quod revera non convenit: ut cum genus concipitur ut una & eadem Natura in pluribus ſpeciebus, illiſque ſuperior; ſpecies vero ut inferior generi; ſubjectum univerſim ut ſuſtinens aliud; Attributum ut ſuſtentatum ab alio, eique adjacens. Modi etiam ſubſtantiarum abſtracte conſiderari ſolent, tanquam per ſe ſubſiſterent, inſtar ſubſtantiarum. Rebus igitur alienas ſeu extraneas formas, mens noſtra affingit, & eas ut ejuſmodi formis affectas, conſiderat Logica.

Reſp. Diſtinguendum eſt Antecedens. Res ita à nobis cognoſcuntur, tanquam aliquid ipſis conveniret; quod *proprie* illis non convenit, verum eſt, ut Generi eſſe ſuperius ſpeciei, ſpeciei eſſe inferiorem Generi &c. conceditur. Quod nullo modo convenit, negamus. Nam ſub vocibus illis, Metaphoricæ, ſeu

seu analogicæ significationis, aliquid innuitur quod proprie rebus convenit. Ut cum Genus concipitur ut una natura, & ut superius specie; hoc tantum intelligitur, quod sit ipsa natura specierum in quantum conveniunt in Essentiis, & quod plura comprehendat quam quævis species sigillatim. Cum subjectum consideratur ut sustinens, Attributum ut sustentatum, & Adjacens, intelligitur Analogiam quandam gerere ad sustinens, & sustentatum proprie, nempe ad substantiam & modum, quæ Analogia in eo sita est, quod sicut Substantia, quæ proprie subjectum sustinens est, concipi potest, cum modus non concipitur, modus autem concipi nequit, quin aliquod subjectum sustinens concipiatur, saltem indeterminate, & confuse, ita & subjectum prædicationis concipi potest, sine hoc vel illo attributo, quod de eo efferri potest; sed nullum attributum concipi potest nisi ut conveniens alicui subjecto. Quod autem ad conceptum Abstractivum attinet, per eum non consideratur forma, aut modus, ut per se subsistens, sed tantum concipitur secundum se, ita ut subjectum cui inest, directe non concipiatur, ut in conceptu concreti, sed tantum indirecte, cum scimus esse modum; aut non omnino concipiatur, cum nescimus utrum sit modus, an non.

Quæstio 2. *Ad quodnam Genus virtutis intellectualis Logica referenda sit.* Quidam enim scientiis, alii artibus annumerant; alii *Habitum Organicum*, seu instrumentarium appellare malunt. Quæ hic disputantur majori ex parte de nomine sunt: Dum alii *scientiam* pro sola cognitione speculativa accipiunt: alii ad practicam extendunt: Alii nomine *Artis* ejusmodi Habitum intelligunt, qui circa materiam corpoream exercetur; alii qui circa quamlibet rem factibilem, in qua ratio honesti aut turpis non reperitur. Sit igitur in ista Quæstione.

Thesis 1. *Si vocem* Scientiæ *accipiamus pro quavis cogniti-*

cognitione discursiva ex principiis evidentibus, (quæ acceptio *usitatior est*) *Logica inter scientias numeranda est.* Patet, quia ex principiis certis et evidentibus præcepta sua demonstrat; ut definitionem reciprocari cum Definito, quia est Essentia Definiti explicata. Membra divisionis cum re divisa consentire, quia partes aut species illius sunt. Syllogismum simplicem tribus terminis constare, quia duorum unum est vinculum, seu medium. Conclusionem Syllogismi demonstrativi certam esse, quia infertur ex principiis certis; & plurima istiusmodi. Et si Logica non esset certa, nulla esset certitudo reliquarum disciplinarum. Illæ enim veritate præceptorum Logicorum nituntur.

Obj. 1. Logica ordinatur, ad omnes scientias dirigendas. Ipsa igitur non est scientia: sic enim seipsum dirigeret, quod absurdum est.

Resp. Logica ordinatur præcipue ad alias disciplinas dirigendas; seipsam etiam dirigit, non quidem tota totam, sed una pars aliam, ut præcepta definiendi, et dividendi, ad syllogismos recte definiendos et dividendos.

Obj. 2: Scientia demonstratione acquiritur: at non sic Logica, quia est omni demonstratione prior: quippe rationem illius efficiendæ docet.

Resp. Scientia acquiritur demonstratione, vel naturali, quum mens sine ope præceptorum format, vel artificiali, quæ beneficio artis fit, priori acquiritur Logica. Hanc enim non docet, nec eâ prior, sed posterior est.

Obj. 3. Scientia est rerum necessariarum; at Logica contingentium; nempe actuum mentis, qui contingenter à nobis eliciuntur, et multis modis variari possunt.

Resp. Scientia est rerum necessariarum, hoc est propositionum necessariarum, vel absolute vel ex hypothesi aliqua; non autem semper rerum incomplexarum

quæ

quæ necessariæ sunt. Conclusiones autem Logicæ necessariæ sunt: ut definitio necessario reciproca est, divisio necessario fit per membra immediate opposita: scilicet ex hypothesi quod recte fiant, seu ad finem accommodentur; & sic de reliquis. Licet ipsi actus definiendi, & dividendi, contingenter plerumque eliciantur à mente, & absolute considerati, possunt aliter se habere.

Thes. 2. *Si* Scientiæ *vox, pro sola cognitione speculativa accipiatur, Logica partim Scientia est, partim non.* Scientia erit, quatenus agit de summis Generibus Rerum, & communissimis earum affectionibus seu Attributis, quæ in potestate nostra non sunt. Non erit Scientia quatenus agit de operationibus mentis, & sermone externo dirigendis. Est enim Logica pro diversis istis partibus sui, partim speculativa, partim practica. Verum sic vox *Scientiæ* nimis restringitur, sine ratione. Non enim ex eo quod objectum sit à nobis factibile, vel non sit, Scientia metienda, sed ex eo quod sit cognitio certa simul & evidens, aliunde deducta. Dicendum igitur est, Totam Logicam est Scientiam: & absolute practicam. Partim, quia tum major illius pars, tum illa quæ præcipue intenditur, & proxime inservit menti dirigendæ, practica est, stricte & formaliter: partim quia residuum, quod ex se speculative procedit, ad praxin proxime ordinatur.

Thes. 3. *Si vox* Artis *accipiatur pro habitu practico, ab Ethica distincto,* (prout communiter accipi solet,) *Logica, ex parte, & quidem precipuâ, erit Ars.* Est enim habitus practicus, circa ea in quibus per se, nulla est ratio honesti aut inhonesti. Modum enim recte sciendi, hoc est definiendi, dividendi, & ratiocinandi, tradit. Si vero vox *Artis* restringatur ad ejusmodi habitum practicum significandum, qui circa materiam ex-

extrinſecam ei in quo eſt, et cujus operatio opus ſenſibile poſt ſe relinquit, tum non erit Ars. Sed ſine ratione vox *artis* ſic reſtringitur. Ad Artem enim nihil refert, circa qualem materiam verſetur, modo ſit Habitus practicus, circa ea quæ ex ſe, nec honeſta ſunt, nec in honeſta.

Theſ. 4. *Logica, proprie loquendo, non eſt habitus organicus*, ſeu *Inſtrumentarius.* Ratio eſt quia illa quæ efficienda præcipit, ſcilicet Definitio, Diviſio, Syllogiſmus, et Methodus, non ſunt proprie Inſtrumenta, ſed tantum per Analogiam quandam, ſeu per Metaphoram. Inſtrumenta enim proprie dicta concurrunt phyſice, cum cauſa principali; ut malleus cum fabro, calamus cum ſcriptore. Logica vero non ſic concurrit cum Intellectu, in productione Scientiæ, (quæ ejus effectus proprius eſt,) ſed ad modum exemplaris, ut et reliquæ Artes: Ideas ſcilicet proponendo, bonæ Definitionis, Diviſionis, Ratiocinationis, et debiti ordinis; ad quas intellectus reſpiciens, ſimiles facit in particulari materia; aut Definitiones, Diviſiones, *&c.* in hac vel illa materia examinat, et probat, vel damnat.

Quæſt. 3. *An, & quatenus neceſſaria ſit Logica, ad cognitionem rerum acquirendam.* Ad dubium iſtud ſolvendum, ſit

Theſis 1. *Logica non eſt abſolute neceſſaria, ad cognitionem rerum acquirendam.* Hoc eſt non eſt ita neceſſaria, quaſi ſine ea, cognitio rerum quæ in Philoſophia inveſtigantur, acquiri non poſſet. Patet 1. Quia multi, ante inventam Logicam, ex ſolo lumine et induſtria naturali, varias Artes, et Scientias invenerunt. Et, licet prima ſcientiarum fundamenta imperfecta fuerint, id ipſum tamen eveniſſet, etiamſi operam Logicæ adhibuiſſent. Nec enim illa eſt cauſa præcipua ſcientiæ acquirendæ, ſed felix ingenium, et ſedula contemplatio. 2. Quidam etiam hodie, qui Logicæ imperiti, aut præceptorum ip-

ſius

sius pene obliti sunt, varias scientias callent. 3. Logica ipsa, per vim naturalem mentis, nempe observatione modi quo intellectus procedit, in recta, et solida rerum cognitione, sine regulis inventa est. Cur autem difficilius est reliquas scientias acquirere, sine Logica, quam Logicam ipsam? Sola igitur Logica Naturalis, hoc est vis et Lumen Rationis, absolute necessaria est ad scientias acquirendas: sicut et utcunque sufficit ut eas acquiramus.

Thes. 2. *Utilis tamen est Logica Artificialis.* Adeo ut sine illa, mens in suis operationibus, minori cum facilitate, et certitudine procederet, et imperfectiorem rerum notitiam acquireret.

1. Quia experientià constat, minus copiose, et minus accurate, de rebus, communiter, disserere illos qui Logicæ imperiti sunt: presertim de iis, quæ in disciplinis difficilioribus tractantur: Et maxime omnium in controversiis agitandis. Licet aliunde, multi plenius et accuratius disserere possint, quam qui maxime sunt Logici.

2. Logica, si perfectam hactenus esse concedamus, (et in paucis certe, aut nullo deficit,) omnes modos proponit, quibus mens nostra utitur in cognitione acquirenda. Ostendit enim quomodo unaquæque res tractanda sit: hoc est quomodo definienda, & explicanda, quomodo dividenda, quomodo veritas confirmanda, falsa refutanda, objectiones contra veritatem, et argumenta sophistica ad defendendum quod falsum est instituta enodanda sint: Quo ordine in singulis exercitiis procedendum sit; hoc est quid primo, quid deinceps, quid ultimo in loco tradendum sit.

3. Licet nec ingenium conferat, quod quisque à natura, vel potius à Deo mentis parente, habet, nec principia suppeditet, occasionem tamen menti præbet, multa considerandi, quæ sine illa præteriret. Ut, cum in tractatione Genetica, præcipit ut expendatur rei Nomen, Natura, proprietates eam conse-

quentes, Partes, Species, Causæ, Effecta, Subjectum, (si sit,) adjuncta, &c.

4. Logica rationem nostram exercet. Et idcirco fieri non potest, quin eam perfectiorem reddat, hoc est efficiat, ut majori promptitudine res apprehendat, majori subtilitate eas pensitet, &c. Quæ enim ratio esse potest, cur Ars loquendi, nempe Grammatica loquelam perficeret, nihil autem emolumenti ad Rationem, per Logicam accederet? Errant igitur, ex altera parte, qui immodicis laudibus Logicam extollunt, quasi per eam omnes morbi Intellectuales, ignorantia, error, dubitatio, obscuritas, confusio, & inordinatio curari possent. Ex altera qui eam nimis deprimunt, quasi parum aut nihil utilis esset ad Scientiarum acquisitionem.

DISPUTATIO II.

De Ordinibus Rerum qui Categoriæ vulgo vocantur.

ORdines rerum, Græci *Categorias, à Categoreisthai,* hoc est à prædicando, seu enunciando, Latini *Predicamenta* appellârunt. In unoquoque enim ordine, est series attributorum, quæ omnia de singularibus sibi subjectis prædicantur. Unde *Categoria* definitur, *Series Rerum, sub uno summo Genere, gradatim dispositarum.* Hoc est, quarum singulæ ascendendo, ad sequentes, *inferiores* sunt, seu minus

minus late patent; descendendo vero, *superiores*, seu latius patent. Ascensus autem in serie, vel linea Categorica, est, à singularibus ad Universalia, & à minus Universalibus ad Universaliora; dum tandem ad Universalissimum in illa serie, deventum sit, quod *summum Genus* dicitur. Descensus contra, est à Genere supremo ad minus Universalia, dum ad singularia ventum sit. Ut in ordine substantiarum, descendendo, sunt *Corpus, vivens, Animal, Homo, Socrates*, & sic in reliquis.

De numero Categoriarum varie statuerunt Philosophi. Unam Categoriam omnium rerum à *Platone* constitutam aiunt Conimbricenses, nempe *Ens*. At is proculdubio unum illud in plures divisit. Xenocrates, qui ei in Academia successit, duos posuit, *Substantiam*, & *Accidens*. Nec dubium est quin & ille, utrumque in plures ordines distribuerit. Stoici quatuor posuerunt, *Substantiam, Qualitatem, Modum*, & *Relationem*. Valla tres posuit, *Substantiam, Qualitatem*, & *Actionem*: sed immerito Relationem omisit, quæ ad nullum ex his tribus revocari potest, nisi ad aliquem ex ordinibus Attributorum ab ordinibus rerum distinctis, retulerit.

Sed, ante hos omnes, *Archytas Tarentinus*, Pythagoræ discipulus, Decem statuerat, *Substantiam, Quantitatem, Relationem, Qualitatem, Actionem, Passionem, Ubi, Quando, Situm, & Habitum*. Hunc numerum amplexus est Aristoteles: & partim propter antiquitatem, partim ob authoritatem tanti Philosophi, plerique sequentium Logicorum retinuerunt. Desumptum esse aiunt Recentiores à quæstionibus quæ fieri possunt de primis substantiis, id est, singularibus. Ut si quæratur *Quid, Quantus, Qualis sit Socrates*, respondetur per Substantiam *esse Hominem*; per quantitatem, esse *sex pedibus altum*; per Qualitatem esse *doctum*, & *probum*, &c.

Ut autem omnia de quibus in Disciplinis agitur, locum aliquem in hisce decem classibus inveniant, Quidam quinque modis res in illis esse volunt; nempe alias *directe*, alias *analogice*, alias *collateraliter*, alias *reductive*. alias denique *per accidens*. Sic *Keckermannus* alios secutus, *Syst. Log. Majori lib.* 1 *cap.* 2.

Burgersdicius vero duobus modis contentus est, adeo ut omnia in illis sint, vel *directe*, vel *indirecte*. Et quod directe in illis ponitur, ait debere esse.

1. Ens *finitum*. Unde è Categoriis excluditur Deus.

2. *Verum*, ac *Positivum*. Et hinc excludi vult, non tantum ficta, ut *Chimæram Centaurum*, Entia apparentia, ex. g. *Iridem*, *Spectra*. & privationes; verum etiam Genus, & Speciem in communi, & ejusmodi, quæ Entia Rationis vocat.

3. *Completum*, & *perfectum*. Et sic excluduntur principia Rerum, ut *unitas*, *momentum*; partes omnes, Entia imperfecta; ut *Embryo*, *motus*, modi, & complementa aliorum Entium. Et dicit ista omnia in Categoriis esse *concomitanter*, hoc est una cum illis quorum principia, partes, & modi sunt; exceptis tamen differentiis, quæ *collateraliter* sunt in Categoriis suarum specierum, quarum partes quædam sunt. Quod enim in recta linea Categorica reperitur, est Genus, vel species, vel individuum.

4. *Unum per se*. Et sic excluduntur res complexæ; ut *Homo currens*; concreta, ut *albus*; & Aggregata, ut *acervus*, *exercitus*. Hæc per accidens pertinere ait ad Categorias earum rerum ex quibus coaluerunt.

5. Denique *Universale*. Et hac conditione excludi dicit, primo Transcendentia, quæ sua communitate omnes Categoriarum Gradus superant; Deinde singularia, quæ quia naturaliter non prædicantur, sed subjiciuntur, non sunt *in* Categoriis, sed *infra* eas, ut basis.

Communiter etiam docent omnes hujus sententiæ Patroni, unam & eandem rem, ad diversas Catego-

rias

rias pertinere, licet sub diversa ratione. Ut eundem motum, quatenus per eum aliquid producitur, ad actionem; quatenus in re mota recipitur, ad Passionem; Quatenus partes habet extra partes, ad Quantitatem. Denique aiunt, in Categoriis, prout in Logica traduntur, non considerari res secundum naturas, sed secundum diversum modum prædicandi.

Cartesiani duas Categorias constituunt, Unam *Rerum*, hoc est, Substantiarum, (solas enim illas *Res* appellare volunt, & proculdubio res *præcipuæ* sunt;) aliam Modorum, seu Attributorum: Attributum, enim & modum rei, pro eodem fere accipiunt. Sed tum res, tum Modos dividunt, in sua Genera. Ut substantiam in *Extensam*, & *Cogitantem*, sive in *Materiam*, & *Mentem*: non autem in Corpus, & Spiritum; quia spiritualem substantiam nullam agnoscunt præter Mentem, hoc est, intelligentem. Deinde, quia vox *spiritus* quandoque significat Materiam subtilem. Utrumque porro dividunt, juxta suæ Philosophiæ placita. Ut Rem cogitantem seu Mentem in Infinitam, quæ Deus; & Finitam, quæ Mens creata est. Et hanc rursus in Angelicam, & Humanam. Nec enim alias species substantiæ immaterialis agnoscunt. Verum alii substantiam dividunt in Spiritum, & Materiam: Spiritum in Infinitum, & Finitum. Finitum in vegetantem, sentientem, & intelligentem; Intelligentem in mentem Humanam, & Angelum. Et hi extensionem non materiæ propriam, sed communem ei cum spiritu faciunt.

Corpus dividunt Cartesiani, in Elementum, & id quod ex Elementis constat. Elementum triplex esse volunt, Materiam subtilem, ex qua sidera; Globulos cælestes, ex quibus Cælum, seu aer; particulas crassiores, ex quibus Cometæ, & Planetæ; (Planetis vero Globum Terræ, & Maris accensent;) Quod ex Elementis constat: distribuunt in Non-vivens, & Vivens. Non vivens rursus, in id quod simplicius

est, ut sidera, & Cœlum: & id quod magis compositum est; quod vel sublimius, ut Cometæ, Planetæ; vel Humilius, ut ignis, aer, aqua, terra, & ex his orta, ut Meteora, ex g. Vapores, venti, pluvia, nix, grando, fulmen, &c. & fossilia, Metalla, & lapides. Vivens dividunt in Vegetabile, Sentiens, & Rationale. Modos Rerum dividunt in Generales, & Speciales. Generales vocant illos, qui omnibus rebus conveniunt. Ex quibus *Le Grand Instit. Log. cap.* 8. sex tantum enumerat, nempe *Unitatem*, *Veritatem*, *Bonitatem*, *Perfectionem*, *Localitatem*, & *Durationem*. Sed rectius *Claubergius*, *Log. Genet. cap.* 6. Communissima rerum attributa, quæ aliter *Modos* nuncupat, dividit primo in illa quæ conveniunt rebus absolute spectatis, sive singulis seorsim; qualia sunt *Essentia, Existentia, Perfectio, Unitas*; sive pluribus conjunctim, ut *Multitudo*, seu *Numerus*. Et in illa quæ rebus conveniunt ad seinvicem relatis; sive illative referantur; ut *Principium*, *Causa*, *Principiatum* & *Causatum*; sive negative; ut *Distincta, Diversa, opposita*, *Priora, & Posteriora*; sive denique affirmative; ut *Idem*, *Subjectum*, *Adjunctum*, *Signum*, *Signatum*, *Pars*, *Totum*.

Speciales modos dividunt, pro Divisione Rerum. Alii enim sunt Rei Cogitantis; ut, *intellectio, volitio, potestas agendi ex se*, *autocinesia*. Alii Rei extensæ; ut *Quantitas*, *Figura*, *Situs*, *Quies*, *& motus*. Ad hos enim reduci existimant omnes modos materiæ. Alii sunt substantiæ compositæ ex Materia, & Mente, qualis est Homo; ut *appetitus, sensus externi, interni*, & *Passiones*, ut *Amor*, *Odium*, *Gaudium*, *Dolor*, *Spes*, *Metus*, &c. Attributorum tres species statuit Claubergius, *Accidens, Modum*, & *Qualitatem*. Per Accidens, intelligit id quod Substantiæ Essentiam non constituit. Per Modum id quod rem variat, & distinguit, sive à seipsa, sive ab alia: ut *Figura* ceram. Per Qualitatem, id à quo res talis denominatur, ut *mollis*, *dura*, *alba*,

nigra, &c. Hæc summa eorum est, quæ de Categoriis traduntur, de quibus sit.

Quæst. 1. *Quid de his Distributionibus Rerum censendum sit?*

Resp. In omnibus aliquatenus erratum est. Et in Distributione Archytæ, quæ Aristotelica dicitur, hæc observanda sunt.

I. Supponit ut verum, pro diversis quæstionibus quæ fieri possunt de prima substantia, numerum Categoriarum esse constituendum, quod tamen nulla ratione defendi potest. Si enim pro quæstionibus istiusmodi Categoriæ distinctæ ponendæ sint, cur non etiam pro iis quæ fieri possunt de Substantiis secundis, & accidentibus, sive singularibus, sive universalibus.

De his enim nonnullæ fieri possunt, quæ de substantia singulari fieri nequeunt. Nam de accidentibus quæri potest, cuinam inhæreant subjecto, seu cuinam accidant? De Universalibus autem, tum substantiis, tum accidentibus, quam late pateant, seu quænam in extensione eorum sint inferiora? Deinde multæ quæstiones fieri possunt de rebus, quibus per nullum ex decem hisce generibus responderi potest; ut A Quo, Ex qua Materia, Cujus gratia sint? quæ de causis fiunt. Quænam eis opposita sint, Quænam cognata. Quem ordinem prioris aut posterioris ad alias habeat, & aliæ non paucæ. Quarum pleræque non minus utiliter in Disciplinis agitantur, quam decem illæ ex quibus numerum illum denarium desumptum volunt Peripatetici. Si igitur juxta numerum quæstionum, etiam Generalium & utilium constitui deberent Categoriæ, longe plures erant constituendæ.

II. In variis modis assignandis, quibus omnia quæ sub cogitationem nostram cadunt, in Categoriis esse volunt, varie peccarunt. 1. Modos *directe* & *Analogice* ut oppositos posuerunt. Cum *tô*

directe

Cum *directe* opponitur *indirecte*, & *Analogice*, *proprie*. Similiter modum *reductive* ab omnibus reliquis distinctum faciunt; cum reliquos omnes comprehendat, præter modum *directe*. Unde rectius Burgersdicius omnes indirectos vocat. 2. Excludunt Deum ex Categoriis. Fatemur quidem Deum non esse in Categoriis rerum creatarum. At cur non erit Categoria aliqua rerum Divinarum, ab his distincta? Deinde satis recte Deus continetur sub communi Idea substantiæ. Is enim maxime omnium *Rerum* per se subsistit. Quæ in oppositam partem objiciuntur exigui sunt momenti. Quod enim dicunt, Quæ hac Categoria directe collocantur, substant accidentibus; et nullum esse genus proprie dictum rei finitæ & infinitæ; non concludunt. Ad prius enim facile respondebitur, substare accidentibus non esse de essentia substantiæ, sed tantum subsistere per se. Ad posterius, falsum esse quod nullum sit Genus proprie dictum rei finitæ & infinitæ. An non enim *Aliquid Reale*, est Genus ad utrumque? Nisi admittere velimus, nihil finitum esse reale, seu omne finitum esse nihil, vel fictum. Differentia quidem inter Deum & omnes creaturas infinita est: in hoc tamen communi attributo proprie conveniunt, quod hæ non minus quam ille sint aliquid reale positivum. Et quædam ex illis non minus independentes sunt à subjecto inhæsionis, quam Deus, licet alio modo plane dependentes sint. 3. Male è Categoriis excluduntur Genus, Species, & reliqua quæ Notiones secundæ vocantur. Nec enim illæ Entia rationis sunt, sed veræ rerum affectiones, quæ nullo modo pendent à nostra cogitatione, multo minus ab ea finguntur, ut inferius ostendetur. Et, quod ad Genus & speciem attinet, quæ præcipue hic exemplorum loco ponuntur, palam est ea esse veras rerum convenientias in essentiis, seu plures res prout sic conveniunt: ut *Animal* in communi, denotat naturas omnium

nium animalium, quatenus in virtute ſentiendi conveniunt; & *Genus* in communi omnia Genera, quatenus conveniunt in Genereitate. 4. Male etiam excluduntur pa tes, ubi Tota includuntur. Siquidem totum nihil aliud eſt quam omnes partes cum Unione. Dicendum igitur fuit, ubi res quæ partes habent in Categoria aliqua ponuntur, intelligendas eſſe una cum partibus. 5. Sed abſurde plane excluduntur Modi Rerum. Sic enim excludenda eſſet Figura, Actio, Situs & Habitus. Hæc enim pro Modis à Peripateticis habentur. Et omnes Pontificii, qui Modos diſtinguunt à reliquis accidentibus, Actionem inter modos referunt. Plerique etiam Habitum qui Decima Categoria conſtituitur, definiunt, *modum quo aliquid alicui extrinſecus apponitur,* ut Veſtis, aut inſtar veſtis. 6. Si complexa & concreta omnia per accidens tantum in Categoriis ſint, cur non etiam partes corporis, aut cujuſvis rei compoſitæ; ut corpus organicum & Mens, in Categoria ſubſtantiæ? At (inquient) multæ partes faciunt unum per ſe; ut membra corporis humani; Radix, truncus, & Rami arboris. Verum merito rogabit quis, quid intelligant per hanc phraſin, Unum per ſe. An quod partes per ſolas Entitates ſuas unum conficiant? At unum ſunt per unionem diſtinctam. An quod unam aliquam ſpeciem conſtituant? & ex potentia & actu conſtent? At ſic *homo currens* non minus eſt ſpecies rei motæ, aut ſe moventis, quam corpus organicum, & mens cum unione. ſunt ſpecies Animalis: ſicut enim *Corpus* & *Mens* ſunt Potentia & actus, in conſtitutione hominis, ita etiam *Homo*, & *curſus*, in conſtitutione Hominis currentis. Et ſicut *Homo* eſt per ſe ſpecies quædam Animalis, ſine curſu, ita etiam corpus organicum eſt ſpecies quædam corporis, ſine anima. Satius igitur fuit, unam Categoriam Rerum ſimplicium, aliam compoſitarum conſtituiſſe, prout rerum ipſarum natura poſtulat. 7. In quinta con-

ditione

ditione quam *Burgersdicius* adfert, mirum est id quod *directe* in Categoriis ponitur, debere esse Universale, & tamen Transcendentia è Categoriis abesse, cum tamen hæc sint Universalissima. At (inquit) *omnes Categoriarum ordines sua communitate superant.*

Resp. Omnes quidem Categorias Aristotelicas superant? An idcirco debebant è Categoriis, hoc est ex ordinibus Rerum & attributorum, excludi? præsertim cum major eorum usus sit in Logica, quam plerorumque ex iis quæ in decem hisce ordinibus locantur. Ad Transcendentia enim pertinent *Essentia, Accidens, Causa, Totum, Pars, Subjectum, Adjunctum, Genus, Species, Differentia & proprium* in Communi; quibus incognitis, præcepta Logicæ intelligi & observari nequeunt. Horum igitur ordo aliquis constitui debuit. 8. Singularia non ideo excludenda sunt è Categoriis, quia non prædicantur. Sic enim propter eandem rationem, excluderentur omnes species, quatenus sunt subjecta suorum Generum. Deinde nulla ratione è Categoria tollitur basis; Sic enim totum ædificium rueret. Denique, si singularia non sint in Categoriis, eo quod illarum fundamenta & bases sint, neque summa Genera in eisdem sunt, quia sunt earum capita.

III. Sunt & alia in hac distributione errata non pauca, ut, 1. Quod non sit immediata, seu proxima. Adeoque multas alias divisiones tanquam priores præsupponat. Ut divisionem Entis in Substantiam & Modum Substantiæ; vel in Rem, et Attributum Rei. Et quasdam etiam Divisiones Modorum ac Attributorum. 2. Quod supponat Res omnes dividi posse in ordines substantiarum et Accidentium. Cum Accidens non substantiæ, sed essentiæ, immediate, oppositum sit. Unde Substantia Rationem accidentis obtinet, quoties alteri Substantiæ unitur,

unitur, præcipue cum ei extrinſecus adhæret; ut annulus, veſtis; aut circumjacet; ut arbores, fluvius, campi amæni, domum. 3. Quædam ex attributis Rerum communiſſimis aſſumit, ut Relationem, Qualitatem, Quantitatem, (ſi modo illa in tota ſua latitudine accipiatur, pro quavis extenſione,) reliqua vero ejuſdem ordinis prætermittit, ut Cauſam, et Cauſatum, Subjectum, et Adjunctum, Convenientiam, Diverſitatem, et Oppoſitionem. 4. Quantitatem et Qualitatem, pro accidentibus habet, à ſubſtantia reipſa diſtinctis. Cum tamen Quantitas continua ſubſtantiæ non ſit diſtincta ab ipſa ſubſtantia, niſi ratione. Id ipſum verum eſt de qualitate; ut de potentia intelligendi, et volendi, quæ non diſtinguuntur realiter ab ipſa mente, cujus qualitates eſſe dicuntur. 5. Sufficere innuit diſtinctionem rationis, ad diverſas Categorias conſtituendas. At quæ Genere differunt, quales eſſe dicuntur decem Categoriæ, per differentias oppoſitas dividuntur, et idcirco plus quam ratione differre debent.

Obj. *Burgerſdicius Inſtit. lib.* 1. *cap.* 3. *Numerum denarium Categoriarum eſſe antiquitate venerabilem; & non contemnendis rationibus confirmari poſſe: præſertim in Logica, quæ in Categoriis* (ut loquitur Ariſtoteles) *non tam conſiderat modum quo res ſint,* quam *formam prædicationis. In Metaphyſicis non eſt eadem ratio.*

Reſp. I. Non omne Antiquum venerabile eſt. II. Logica non tantum conſiderat modum ſeu formam prædicandi, ſed etiam modum eſſendi in ipſis rebus. Conſiderat enim diverſos modos quibus attributa conveniunt ſuis ſubjectis, ſeu varias rerum connexiones: ut quod quædam neceſſariam habeant connexionem; aliæ contingentem; quædam de eſſentia aliarum ſint, quædam non: quædam ſubjectis in tota ſua latitudine conveniant, quædam non. Et cum modus prædicandi modum eſſendi ſequatur, ut omnes concedunt, non poteſt ille intelligi quin hic conſideretur.

Dein-

Deinde per modum vel formam prædicandi, vel intelligitur modus judicandi in mente, vel enunciandi in sermone externo, vel modus quo unum alteri convenit. Primus & secundus, ut quod clarus sit, vel obscurus, firmus, aut vacillans, absolutus, vel limitatus, aut conditionalis, &c. Ad constitutionem Categoriarum nihil faciunt; tertius autem est in rebus ipsis.

3. Si detur quod hic asseritur, non tamen inde colligitur denarius numerus Categoriarum. Quomodo enim ostendi poterit modos seu formas prædicandi, quocunque modo sumantur, esse decem, nec plures, nec pauciores?

Ad Distributionem Cartesianam veniamus; Quæ in eo laudanda est, quod naturam rerum ipsarum sequatur saltem in primis & præcipuis divisionibus. In ea enim primo dividitur *Ens* seu *aliquid*, in *Substantiam* & *modum* substantiæ, quæ divisio prima est, & adæquata. Omne enim reale positivum, vel existit per se, hoc est, non dependet à subjecto; vel existit in alio, quod subjectum ejus est, à quo dependet. Recte igitur Una omnium Rerum Categoria, seu series Generalis statuitur, cujus supremum Genus est Ens. Licet illa plures ordines particulares sub se comprehendat. Quæ contra objiciuntur nullius sunt momenti. Ea tamen breviter proponemus & diluemus.

1. *Ens aut Res* (inquit *Burgersdicus Instit. Log. lib.* 1. *cap.* 3.) *nullam solvit quæstionem, præter eam qua quæritur an res sit.*

Resp. 1. Neque per decem Categorias Aristotelis, (ut vocantur) ad omnes quæstiones quæ in Disciplinis occurrunt, responderi poteft, ut supra ostendimus.

2. Per *Ens* non respondetur tantum ad Quæstionem *an res sit,* sed etiam ad quid, aut qualis sit. Si enim quæratur de luce, sitne aliquid an nihil recte respondetur, esse *aliquid reale positivum*, seu Ens stricte, & absolute. Et per illam responsionem ostenditur

ostenditur quid aut qualis sit, licet imperfecte.

3. Licet supremum Genus, nempe Ens, nullam aliam quæstionem solveret, quam quæstionem an sit, per membra tamen divisionum inferiorum, ad plurimas alias respondetur: & quidem ad omnes quibus per decem hasce Categorias responderi potest, & plures alias.

Obj. 2. *Ens inæqualiter convenit substantiæ, & accidentibus. Nam substantia est ens per se: accidentia non sunt Entia, nisi quatenus sunt aliquid substantiæ; & parum distant à non-entibus, ut ait Aristoteles.*

Resp. 1. Falsum est præcisam rationem Entis, inæqualiter convenire substantiæ, et accidentibus. Hæc enim nihil significat quam aliquid *reale positivum*, quod accidentibus non minus quam substantiæ convenit. Et tota inæqualitas est penes differentias quibus Ens dividitur, ut in Objectione tacite conceditur.

2. Accidentia dicuntur parum distare à Non-ente, comparate tantum ad substantiam. Absolute enim multum ab eo distant.

Obj. 3. *Genus dividitur in species, per differentias: at Ens nullas habet differentias divisivas. Differentia enim non est particeps sui Generis, hoc est de eo non prædicatur: utique non est verum, rationalitas est animal. At nihil est de quo Ens non possit prædicari.*

Resp. Negando minorem. Ens enim dividitur per *existere per se*, et *existere in alio*, quæ differentiæ sunt divisivæ substantiæ, et Accidentis. Ad probationem dicimus, differentiam non participare de suo Genere, in sensu formali; in reali tamen sæpe. An non enim substantia est genus, ad mentem, et materiam? Et tamen differentia essentialis mentis, nempe virtus perceptiva, seu intellectiva, est Substantia. Siquidem mens intellectiva est per se, non per accidens seu modum superadditum. Unde in sensu reali, verum est, virtus intellectiva est substantia: Licet non in sensu

formali:

formali; quia formalis ratio virtutis perceptivæ non est formalis ratio Substantiæ; Siquidem diversa habent connotata, ut per se patet. Et similiter, formalis ratio Substantiæ, aut Accidentis, non est formalis ratio entis: hæc enim latius patet, et connotat solam aptitudinem existendi, aut negationem nihili. At formalis ratio substantiæ, licet hæc connotet, non tamen ea sola connotat, ut per se evidens est. Exemplum, quod adducitur, perperam confert differentiam in abstracto, cum suo Genere in concreto. Licet enim verum non sit rationalitatem, seu virtutem ratiocinandi, esse animal, (quia idea animalis includit materiam) verum tamen est, in sensu reali, *rationale* (si hominem denotet) *esse animal*. Licet formalis ratio *animalis*, non sit formalis ratio *rationalis*.

Ex his liquet, falsum esse effatum illud, inter Peripateticos decantatum, *Decem summa Genera*, quæ Categoriarum capita sunt, *esse primo diversa*, et in nullo reali et intrinseco convenire. Solum enim Ens et Non-Ens, sic differunt. Et, si substantia et accidens non convenirent Univoce (ut loquuntur) in Ente; mirum tamen est, quod nolint actionem et Situm non convenire in Accidente seu modo. Recte igitur *Ens*, vel *Aliquid reale positivum*, Genus statuitur, ad substantiam et modum: Et eatenus quidem recte Cartesiani.

Nec reprehendimus quod in subdivisionibus Substantiarum et Modorum, ad Philosophiæ suæ placita, se accommodent: sed tantum quod in eâ, incerta et falsa quædam immisceant. Ut cum substantiam dividunt in Extensam, et Cogitantem. Incertum enim saltem est, an sola Substantia materialis sit extensa. Et quod omnis Substantia spiritualis cogitet, hoc est intellectiva sit, procul omni dubio falsum est. Similiter quæ de tribus Elementis tradunt incerta sunt.

Sunt

Sunt tamen alia quædam minus recte tradita, quæ aliter institui poterant, sine omni Philosophiæ suæ dispendio. Ut,

1. Quod Attributa seu Rationes Rerum Generalissimas, inter modos recenseant; nec à modis Physicis distinguant. Modos enim dividunt in Generales, & Speciales: Et per Generales, intelligunt Rationes rerum communissimas; per Speciales, modos Physicos; ut unionem, figuram, situm, &c. At neque omnes illæ Rationes Communissimæ, modi dici possunt; ut habere propriam essentiam, identitas rei cum seipsa, distinctio rei ab omni alia, esse causam, Totum, & aliæ istiusmodi, quæ non concipiuntur ut afficientes res alias. Deinde quæ alias res afficiunt, & eatenus modi dici possunt, ut existentia actualis, Relatio, convenientia, esse partem alterius, & ejusmodi, longè differunt à modis physicis. Hi enim realiter distinguuntur à subjectis suis, licet distinctio qua distinguuntur modalis dici soleat. At illi non distinguuntur à subjectis suis, nisi ratione. Distinguendum igitur fuit, primo inter puras rationes rerum, & modos. Et inter modos Logicos (vel si mavis metaphysicos appellare), & Physicos.

2. Hinc male confundunt modos cum attributis. Varia enim sunt attributa, quæ modi dici non possunt. Ut attributum commune est omnium rerum, *habere essentiam propriam*, nec tamen illud modus rei dici potest; quia est ipsa res, considerata secundum ea quæ à re neutiquam abesse possunt, & sine quibus concipi nequit. Deinde modi in abstracto, non sunt attributa proprie, & Logica. Nec enim sic affirmari possunt, de subjectis quorum modi sunt: ut Relatio de Relato, aut figura de substantia extensa. Licet attributa physica dici possunt; qua ratione perfectiones divinæ, ut æternitas, immensitas, &c. Attributa vocantur.

3. *Antonius le Grand*, dum Attributa Generalia Rerum enumerare profitetur, plurima omittit: nec ejusmodi capita recenſet, quibus reliqua contineri dicantur.

4. Nec patet veritas diviſionis Attributorum quæ rebus conveniunt prout ad ſeinvicem referuntur, à Claubergio traditæ, ſcilicet, quod quædam *illative*, quædam *negative*, & quædam *affirmative*, referantur. Membra enim coincidunt. Nam quæ illative referri ad ſe invicem dicit, ut principium, & principiatum, Cauſa & Cauſatum, affirmative etiam referuntur, non minus quam illa quæ ſolùm affirmative referri dicit, ut ſubjectum, adjunctum, ſignum, ſignatum, &c. Nam referri affirmative non eſt ita referri, ut unum de altero ſenſu proprio affirmari poſſit. Nec enim ſubjectum de adjuncto, aut ſignum de ſignato affirmari poteſt, niſi per Metonymiam; nec pars de toto, niſi per ſynecdochen, &c. Referri autem ut terminus affirmans, vel poſitivus, convenit illis quæ illative referri dicit. Deinde, quæ affirmative referri vult, ut ſubjectum, & adjunctum, non minus illative referuntur, quam quæ tantùm illative referri putat, ut Cauſa & Cauſatum. Nam ſicut adjunctum, infert ſubjectum, licet non reciproce, ita Cauſatum infert Cauſam, ſed non reciproce. Quin & omnia quæ ad ſeinvicem referuntur, illative quodammodo referuntur. Omne enim relatum infert correlatum, & viciſſim. Contendere etiam quis poterit, nihil referri negative ad aliud: ipſa enim negatio rei eſt non res, vel illius carentia. Adeo ut termini hic nimis obſcuri, & inepti videantur.

5. Recte in eo quidem Claubergius, quod Modum ab Attributo, tanquam minus late patentem, diſtinguit. Sed male Accidens, Modum, & Qualitatem, tres ſpecies Attributorum poſuit. Siquidem poteſt unum & idem eſſe, Attributum, Accidens, Modus, & Qualitas ex gr. figura. Sunt igitur illa Accidens, Modus,

Modus, & Qualitas, diversæ tantum rationes rerum, non species Attributorum.

Quæstio. II. Cum igitur Classes seu Ordines rerum, ab aliis constituti, reprehensioni obnoxii sint, *Quinam sint pro veris & genuinis habendi?*

Respondemus, Illi, in quibus, omnia quæ sub conceptum nostrum cadunt, directe comprehenduntur, saltem in suis generibus, & in quibus nihil ponitur de cujus existentia merito dubitetur. Quod enim ejusmodi est, in reliquis disciplinis definiri debet. Nec ulterius in subdivisionibus progrediendum est, quam ubi ad præcipuarum disciplinarum objecta deventum sit. Si enim hic terminus figendus non sit, ratio postulabit ut ad infimas species omnium Generum descendamus; Quod longiorem seriem exhibebit, quam ut à Tyronibus memoriæ mandari possit. Juxta has igitur Regulas, ordines eorum quæ sub conceptum nostrum cadunt, sic constituendos censemus. Quicquid cadit sub conceptum nostrum, vel est *simpliciter nihil*, vel *Aliquid*. Quod simpliciter nihil est, *impossible* dicitur, in cujus Idea contradictio involvitur. Aliter vocatur *fictum*, dum ut possible apprehenditur.

Quod *Aliquid* est, vel tale est secundum quid tantum; & complectitur pure possibilia, præterita & futura: vel absolute; & complectitur omnia quæ de facto existunt.

Utrumque rursus, si secundum naturam suam spectetur, vel est *simplex*, vel *compositum*. Si simplex sit, vel existit per se, sine dependentia à subjecto; & vocatur *substantia*, & *Res* simpliciter; vel existit in Subjecto à quo dependet, & vocatur à Peripateticis, *Accidens*, à Cartesianis, *Modus*.

Substantia rursus vel est *Infinita*, nempe Deus Opt. Maximus, de qua agitur in Theologia: vel *Finita*; & hæc vel est *Materialis*, de qua in Somatica; vel *Immaterialis*, de qua in Pneumatica.

Substantia Immaterialis, alia est quæ juxta ordinem naturæ, Societatem corporis terreni exigit, quæ quotuplex sit, sive an alia sit quam mens humana, ambigitur; De ea agitur in Psychologia. Alia ab omni corpore, aut saltem terreno immunis est; ut Dæmones boni, et mali, de quibus in Dæmonologia.

Substantia materialis simplex, vel est *particula* aut *Atomus* indivisibilis, saltem physice; vel divisibilis quidem, sed *Hemogenea*, cujus omnes partes sensibiles sunt ejusdem naturæ. Utraque nomine *Elementi* venire solet; et in Somatica tractantur. Et hi sunt ordines Substantiarum simplicium.

Quod ad modos simplices attinet, Substantiam extensam sequitur *Figura*, de qua in Geometria: Cuivis vero competit *Motus*, et *Quies*. Sed percipientes modi sunt *percipere*, *appetere*, *&* *semetipsam movere*, et de perceptionibus rationalibus dirigendis instituitur Logica; de appetitionibus, et actibus sequentibus, Ethica.

Compositum præcipue est, vel ex substantia, et modo, quod *Concretum* dicitur; ut *figuratum*, *Cogitans*; vel ex pluribus modis; ut *pulchritudo* ex figura, et colore; vel ex pluribus substantiis diversi generis: Quæ vel omnes materiales sunt; ut *corpora mixta*; vel una materialis est, altera immaterialis; ut *Homo*. Et, in omnibus substantiis compositis, unus est modus manifestus, nempe *unio* partium: in compositis ex diversis, quæ materiales sunt, alius; nempe *Situs*, vel positio, et ordo partium inter se; In compositis denique, ex una materiali et altera immateriali, *Vox*, quæ in homine loquela dicitur, de qua Grammatica et Rhetorica. De his ordinibus Rerum nulla poterit esse rationalis dissensio.

DISPUTATIO III.

De Attributis Rerum, & Notionibus secundis, in Genere.

Quæst. I. AN *ordines Attributorum, diversi ab ordinibus rerum, in Logica statuendi sint.*

Respondemus affirmative. Et hi potiori jure *Categoriæ* dicerentur, quam ordines Rerum. Categoria enim (ut ipsa vox innuit) est series Categorematum, prædicatorum, seu Attributorum, potius quam Subjectorum. Ratio affirmationis nostræ est: Quia sunt ordines Attributorum longe diversi. Et longe conducibilius est ad institutum Logicæ, hoc est, ad mentem dirigendam, & adjuvandam, in scientiæ prosecutione, eos tenere, quam Ordines Rerum, ut Rerum sunt. Res enim, quæ subjecta sunt cognoscenda, facilius mentibus nostris occurrunt: at attributa invenire quibus cognoscantur, & ea à se invicem rite distinguere, hoc opus, hic labor est.

Obj. Unum & idem, diversis vicibus, solet esse & Res, (seu Subjectum) & Attributum; & quod Attributum unius est, Subjectum est alterius. Quin nullum fere Attributum est, quod Subjectum esse nequit. Omnes enim Modi rerum, quos Cartesiani Attributa vocant, Subjectorum Rationem induunt; idque non tantum in abstracto, ubi ad modum substantiarum, seu rerum per se stantium considerantur, sed etiam in concreto; quoties scilicet ipsi explicantur. Unde igitur constabit, quænam sint res, quænam attributa?

Resp. Vera sunt ista omnia. Non tamen ex iis concluditur, nullos esse ordines attributorum, ab ordinibus Rerum diversos.

1. Quia plurima sunt, quæ frequentius subjecta & Res, quam Attributa sunt; ut omnia illa quæ tractantur & explicantur in Disciplinis. Et plurima frequentius Attributa sunt, quam Subjecta; ut illa omnia quibus subjecta, in Disciplinis, explicantur. Ut Species, & individua, frequentius subjecta sunt; Differentiæ vero, proprietates, modi, & accidentia, frequentius sunt attributa. Et species infimæ rarius Attributa sunt; Individua vero rarissime, quia maxime per se stant, aut tanquam per se stantia considerantur. Suprema etiam Genera, & Affectiones rerum communissimæ, rarius sunt subjecta, nempe in sola Logica, vel (ut quidem volunt) in Metaphysica, in qua explicantur.

2. Licet omnia, ex æquo, apta essent ad rationem subjecti, & Attributi, induendam, quod tamen verum non est, debent rationes illæ, nihilhominus distingui à seinvicem, & ad certa capita reduci, ut qualitas cujusque Attributi & modus connexionis cum subjecto appareat.

Unde dividenda sunt Attributa, in Positiva & Negativa, in Essentialia & non-Essentialia, in absoluta & Limitata in propria & communia, & hæc in communissima & minus communia, &c. ut in Institutionibus fecimus.

Quæstio II. *Quomodo distinguantur Attributa Rerum à suis subjectis, & à se invicem.* Præcipue agitatur quæstio ista de Attributis essentialibus; et quidem ut sunt attributa ejusdem Rei. Et restringi solet in scholis, ad naturam. et singularitatem; ad essentiam, et existentiam; ad Genus, et Differentiam, et omnes gradus essentiæ, (ut vocantur;) et ad Ens in communi, cum suis attributis reciprocis; qualia sunt *unitas, veritas, bonitas, &c.* Difficilius enim est definire, quomodo

do ista à se invicem distinguantur. Verum, cum mens nostra scire cupiat, quomodo quælibet Attributa à subjectis suis, & à se invicem distincta sint, & omnium notitia utilis, et necessaria sit, idcirco quæstio ad omnia Attributorum Genera extendenda est.

Scotistæ *Distinctionem* dividunt, in eam quæ est ex *natura Rei*, & eam quæ est *per intellectum*. Priorem dividunt in *Realem*, (qualis est inter duos homines, aut inter Hominem & Scientiam qua præditus est;) & *Formalem*, qualem esse volunt inter Relationem, & Fundamentum; Quantitatem & Figuram. Dicunt igitur, Attributa Essentialia distingui à subjectis, & à se invicem, distinctione formali, ex Natura Rei. Thomistæ vero dicunt distingui sola ratione, seu distinctione virtuali, quam per solum intellectum fieri dicunt; Licet ex fundamento aliquo in reipsa. Hunc enim, in eadem simplici Entitate, distinguere, & dividere plura prædicata, seu plures formalitates, per conceptus inadæquatos; eo quod, propter imperfectionem suam, & limitatam naturam, non possit totam perfectionem rei, uno conceptu exhaurire: sive, ut quidam dicunt, propter subtilitatem suam, et fæcunditatem objecti. Fundamentum vero esse, quod una et eadem res, plures negationes aliarum rerum, et plures habitudines, seu respectus ad alias connotet. Et propter diversa illa *connotata*, mentem attributa diversa, in eadem simplici Entitate, distinguere. Sit igitur in hac quæstione.

Thesis I. *Attributa quæcunque diversarum rerum, realiter distinguuntur*; ut *animal* prout est Attributum hominis, et *animal*, prout est Attributum bestiæ.

Thesis II. *Omnia Attributa affirmata, in concreto inadæquate saltem, sunt idem realiter, cum suis subjectis*: nempe secundum id quod directe significant. Ut *albus*, directe significat *aliquid affectum albedine*; in-

directe vero *albedinem* ipsam: & cum affirmatur de cygno, secundum prius illud, idem cum eo est: siquidem cygnus est aliquid affectum albedine. Ratio est, quia quod prorsus diversum est à re, non potest de ea vere affirmari.

Thesis III. *Nullum Attributum, nisi in propositione identica, majorem identitatem habere potest cum subjecto suo, quam inadæquatam.* Sive, Attributum semper est aliquo modo diversum à subjecto, nisi in casu prædicto: ut cum *rationale* attribuitur Homini, *Homo* denotare potest solùm aliquid, quod voce *Homo* appellatur, aut quod tali figura præditum est, aut aliquo alio accidente: at *Rationale* significat id quod potest ratiocinari. Identitas autem inter duo ista, est tantum inadæquata. Homo enim aliquid significat, quod rationale non significat.

Thesis IIII. *Attributa negata, secundum id quod directe significant, distinguuntur adæquate, & realiter, à suis subjectis.* Sed hic intelligenda sunt Attributa negata secundum se, sine negatione. Nam si sumantur cum negatione, sunt realiter idem cum subjectis: ut in his, Angelus non est mortalis. Angelus est invisibilis, *immortale* & *invisibile*, (hoc est non-visibile) idem sunt cum Angelo, sed *mortale* & *visibile* sunt adæquate diversa. Ratio est quia si attributa istiusmodi, secundum id quod directe denotant, non distinguerentur adæquate à subjectis, essent, saltem inadæquate, idem cum illis: & sic non possent, secundum id quod directe significant, vere de illis negari.

Thesis V. *Attributa accidentalia, secundum id quod in obliquo, seu indirecte significant, distinguuntur realiter à suis subjectis.* Patet, quia attributa ista, sicut directe significant subjectum aliquod quod in vera attributione idipsum est cui illa tribuuntur, ita indirecte significant aliquod accidens, ab eo realiter,

vel

vel modaliter distinctum: ut *albus* albedinem, *vestitus* vestem, *cæcus* cæcitatem.

Thesis VI. *Attributa etiam quæ essentialia sunt, distinguuntur sæpe realiter, licet inadæquate à subjectis suis & à seinvicem.* Ex. gr. *Animal* & *Intellectivum*, in Homine. Patet, quia ubi plures res concurrunt, ad unam Essentiam compositam constituendam, potest unum attributum, unam ex iis significare, aliud aliam. Nam attributum *Animal* significat animam cum organis corporeis sentiendi; *Intellectivum* vero, solam animam quatenus actus intelligendi exercere potest: ad hoc enim non necessaria sunt organa corporea. *Animal* igitur significat aliquid diversum ab *Intellectivo*. Unde & quædam attributa essentialia possunt separari; illa scilicet quæ à partibus essentialibus realiter diversis desumuntur. Mirum igitur est quod Comptonus dixerit, *Certum esse animal & rationale, in homine, esse realiter idem.* Nam animal corpus includit, rationale minime. Et si quis de exemplis datis contendat, (ut quidam docuerunt animam ratiocinari dependenter à Phantasmatis corporeis,) nemo tamen dubitare potest, *corporeum*, & *intellectivum*, in homine, realiter distingui, saltem inadæquate. Nam *corporeum* est id quod corpore constat; intellectivum vero non necessario constat corpore, modo verum sit mentem separatam à corpore intellectivam esse.

Thesis VII. *Omnia Attributa Essentialia, sive rerum simplicium sint, sive compositarum, si à tota rei Entitate desumantur,* (quod in rebus stricte simplicibus necessarium est) *sola ratione distinguuntur, à subjectis suis, & à se invicem.* Nempe per Negationes, aut habitudines diversas. Sint, pro exemplo, hæc duo Attributa puncti Materiæ, esse *aliquid substantiæ*, & *indivisibile*: prius realiter est ipsum punctum, prout respicit Substantiam materialem, ut pars totum: posterius est idem punctum, ut connotat nega-

negationem divisibilitatis. Similiter in Angelo, *Intellectivum*, quod unum attributum essentiale ipsius est, denotat totam substantiam angeli, prout respicit seu connotat actus intelligendi; *volitivum*, quod aliud est attributum essentiale, denotat totam eandem Entitatem, prout respicit actus volendi. Siquidem, tota substantia angeli est et intellectiva, et volitiva, seu principium actuum tum intelligendi tum volendi. Adeo ut distinguantur tantum penes *habitudines* diversas. Sic etiam esse *unum* et esse *compositum*, cum homini tribuuntur, totam entitatem Hominis denotant: sed prius, ut negationem pluralitatis ejusdem rationis connotat; posterius, ut partes et unionem. De rebus simplicibus patet Thesis: Quia, in illis, non est aliud et aliud, realiter diversum, unde attributa realiter diversa oriri possint. De compositis vero; quoniam si unum aliquod attributum essentiale totam earum entitatem denotat, nullam aliud sumi potest quod totam non denotat, sed tantum quod totam denotat sub nova aliqua connotatione.

Obj. I. Attributis Essentialibus rerum etiam simplicissimarum, contradictoria conveniunt: ut *Substantia*, in Angelo, est similis substantiæ in lapide; *intelligentia* vero est dissimilis. Et per substantiam, Angelus convenit cum lapide; per intelligentiam ab eo differt. Attributa igitur illa realiter distinguuntur.

Resp. Non sequitur; quia propter diversas rationes, possunt *contradictoria* attributis illis convenire. Una enim earum non est alia: ut in angelo, negatio dependentiæ à subjecto, quæ est formalis ratio substantiæ, non est respectus ad actus intelligendi, quæ formalis ratio est *intellectivi*.

Inst. Differunt igitur attributa illa, per rationes reales diversas, adeoque differentia reali.

Resp. Differunt per rationes diversas reales, id est, quæ fictæ non sunt. Non tamen differunt ut diversæ substantiæ, aut ut diversi modi physici; neque ut

substan-

ſubſtantia, et modus phyſicus. Et idcirco ratione tantum differre dicuntur, non realiter.

Obj. II. Omnia Attributa rerum habent diverſas definitiones, adeoque diverſas eſſentias: aliter enim definitur *intellectivum* in angelo, aliter *volitivum*. Nam prius eſt principium intelligendi, poſterius volendi.

Reſp. Non ſequitur. Quia propter diverſas rationes formales, eidem entitati etiam ſimplici, diverſæ definitiones convenire poſſunt. Adeo enim exacta eſt mens noſtra, in ideis propriis cujuſque objecti formandis, ut pro tantilla in eo diverſitate, diverſas ideas formare ſoleat; prout et debet. Nec habent attributa illa Eſſentias phyſicas diverſas, ſed tantum rationes diverſas.

Inſt. At rationes illæ, cum revera diverſæ ſint, Eſſentias habent diverſas.

Reſp. Habent diverſas Eſſentias Rationum, non Rerum. Eo modo quo *cæcitas* in animali, et *Carentia viſus* in lapide habent diverſas eſſentias negationum, non rerum.

Obj. III. Poteſt & ſolet mens, unum ex ejuſmodi Attributis concipere, alio non concepto. Ergo realiter diſtinguuntur.

Reſp. Diſting. Antecedens, ſolet mens unum ex illis Attributis concipere, non concepto alio, ſecundum rationem ſuam formalem, conceditur: Nullo modo concepto alio, negatur. Cum enim omnia attributa iſtiuſmodi, directe, ſignificent eandem ſimplicem entitatem, aut compoſitam ſecundum ſe totam, impoſſibile eſt concipere unum eorum in concreto, quin et reliqua, ſecundum id quod directe ſignificant, ſimul concipiantur. Quia tamen reliqua diverſas rationes formales connotant, non concipiuntur ſecundum illas rationes: ut cum concipio *intellectivum* in angelo, concipio etiam id quod *volitivum* eſt; quia illud intellectivum eſt etiam volitivum. Solum autem non concipio ut volitivum,

ſeu

ſeu ordinem quem ſubſtantia angeli connotat ad volitionem, hoc eſt volitiones ab eo producibiles minime concipio.

Obj. IIII. Poſſunt Attributa illa de ſeinvicem negari; ut, in Angelo, *intellectus* non eſt voluntas; in Deo, *Miſerecordia* non eſt *Juſtitia*. Ergo realiter diſtinguuntur.

Reſp. Poſſunt de ſe negari, in ſenſu tantum formali; hoc eſt quatenus formalis ratio unius non eſt formalis ratio alterius: at non in ſenſu reali; quia ſic ſunt una & eadem res.

Quæſtio III. *Quid ſit Notio ſecunda?* Hujus enim frequens in ſcriptis doctorum, mentio fit; nec tamen perſpicue definitum reperio, quid ea ſignificet; neque etiam quænam præciſe ſint, quæ hoc nomine vocanda ſunt. Et cum ſecunda Notio primam ſupponat, de illa etiam inquirendum eſt.

Primam notionem vocat *Burgerſdicius*, (*Inſtitut. Log. lib.* 1. *cap.* 2.) *quæ rem ut in ſe eſt, immediate repræſentat; ut cum mens, ope ſenſuum, concipit rem aliquam; puta naturam humanam. Secundam, quæ collatis notionibus primis, modum repræſentat quo mens Rem aliquam intelligit, aut intellectam aliis interpretatur. Ut cum obſervat Naturam humanam ſingulis hominibus ineſſe, format notionem ſecundam, quam exprimit voce* ſpeciei. *Atque hæc notio non repræſentat Humanam Naturam, ſed modum quo mens eam concipit, quique omnibus rebus accommodari poteſt, qui plura individua ſub ſe continent. Præterea, cum mens obſervat quid vox Homo, in ſermone communi, ſignificet, format notionem primam; cum vero porro obſervat vocem illam ſignificare ſine tempore, format notionem ſecundam, quam* Nomen *appellat.*

Qui è Pontificiis Logici ſunt, Notiones vulgo *intentiones* vocant, eo quod, (ut ait *Comptonus*, *Diſp. Log.* 17. *Sect.* 3.) *mens per eas in objecta tendit, ſeu iis attendit.*

attendit. Dividunt vero in *formales*, et *Objectivas*. *Formales* vocant, *ipsos actus mentis*; *objectivas*, *eorum objecta*. Ambas porro dividunt in *Primas*, & *Secundas*. *Intentiones formales primæ*, (ait idem Comptonus,) *sunt actus mentis directi*, *qui ita tendunt in objecta*, *ut alios priores non supponant*; *Et sic primo in ea tendunt. Et objectum hoc modo cognitum est intentio prima objectiva, quia primo actum terminat. Intentiones formales secundæ sunt actus reflexi*, *tendentes in aliquem actum priorem: ut cum mens confert naturam abstractam cum suis inferioribus: Objectivæ vero sunt eorum objecta.*

Arriaga Disput. 2. Logica, Sect. 2. dicit *rem esse definitam*, *divisam*, *Genus*, *Speciem*, *&c. esse denominationes Extrinsecas*, *ab actibus mentis quibus res cognoscuntur*. Unde & frequenter dicunt Genus, & Speciem, pro materiali, dicere naturas Rerum; pro formali, cognitionem per quam Naturæ; vel objective præscinduntur à suis inferioribus, ut Thomistæ volunt, vel confuse concipiuntur, non conceptis expresse inferioribus, ut Nominales. Sed in his omnibus varii errores occurrunt: Quos ut perspicias, & quæstionis solutionem habeas, Notentur quæ sequuntur.

I. *Notio* à Noscendo, ut *Noema à Noeîn*, *proprie conceptum Mentis denotat*. Sed per Metonymiam transfertur ad objecta significanda; Licet ut conceptibus subsunt. Hinc orta est distinctio Notionis, & conceptus, in Formalem & Objectivum.

II. *Notio Formalis prima & secunda dicitur*, *ad ordinem generationis suæ indicandum*: Ut prima sit, quæ primo à mente formatur; secunda, quæ secundâ, vel sequente vice. Sicut & objectiva prima dicitur, quia primo concipitur; secunda, quia postea.

III. *Non tamen soli primi conceptus nostri*, absolute Loquendo, *sunt Notiones primæ formales*, *nec eorum objecta*,

objecta, primæ objectivæ. Nam primo omnium concipimus Res singulares; nec tamen illæ solæ, aut earum conceptus, sunt notiones primæ; sed etiam Res Universales, et particulares; ut *Homo* indefinite, et *aliquis homo* singularis, indeterminate. Et prius cognoscuntur principia per Intelligentiam, ex iisdem vero postea inferuntur conclusiones, per discursum. Nec tamen illa sola cum suis conceptibus, sunt Notiones primæ, nec hæ, aut conceptus earum, sunt Notiones secundæ. Ex quibus manifestum est, voces *Notionis primæ* & *secundæ*, non satis quadrare rebus quibus indigitandis adhibentur. Multæ enim sunt Notiones quæ primæ vocantur, nec tamen sunt primi conceptus nostri, eorumve objecta.

IV. *Notiones igitur secundæ objectivæ sunt, primario quidem, affectiones rerum communissimæ*; ut Essentia Accidens, Subjectum, Adjunctum, Genus, Species, Differentia, Unitas, Veritas, Bonitas, esse Causam, & Causatum, Convenientia, diversitas, oppositio, Ordo prioris et Posterioris, et reliquæ istiusmodi, quædam enim ex hisce, ut Genus, Species, Differentia, Universale, Individuum, pro Notionibus secundis ab omnibus Logicis habentur. Cur autem reliquæ non habendæ sint, nulla ratio adferri potest. Ex. g. Unitas in Genere, non potest esse notio prima, quia Notiones quasdam secundas sub se continet, ut primo et Magis immediate *Universale*, deinde ac remotius, *Genus*, ac *Speciem* in *communi*. At notiones primæ non continent secundas sub se, sed secundæ primas. Cur igitur non etiam veritas & Bonitas secundæ Notiones sunt? et sic de reliquis.

V. *Hinc Notiones primæ sunt Res omnes, quatenus considerantur ut Res, & earum affectiones, seu attributa minus communia*: ut Res, Substantia, Modus Materia, Spiritus, eorumque Genera, Species, et individua.

VI. *Et primæ vocantur, non quod omnes primo concipiantur* (de paucis enim earum verum illud est) *sed quod,*

quæ

quæ primo nobis concipiendæ occurrunt, ejusmodi sint. Prius enim apprehendimus aliquo modo res, quam rerum affectiones. Res utique considerantur ut per se stantes, affectiones ut adjacentes rebus; Et prius concipimus affectiones minus communes, et rerum particularium, quam communissimas, quæ omnibus Rerum Generibus conveniunt. Hinc Affectiones supremæ, secundæ notiones vocantur, eo quod, post conceptus rerum, et affectionum particularium, concipi soleant. Mens enim prius ascendit à singularibus ad Universalia, et à minus Universalibus ad Universaliora, quam descendit ab Universalissimis ad Inferiora. Et licet plurimas Notiones secundas mens concipere possit, priusquam multas è primis detegat, nullam tamen è secundis concipit ante omnes primas. At aliquam primam concipit ante omnes secundas.

VII. *Interim tamen*, quia voces istæ *Notio prima*, et *secunda*, non nisi per accommodam explicationem rebus, quæ per eas intenduntur, significandis congruunt, idcirco *præstaret eas exautorare, & aptiores loco earum sufficere.* Ut, si quæ secundæ Notiones vocantur, *affectiones Rerum Universalissimas* appellemus; quæ vero primæ appellantur, *Res*, et *affectiones* Rerum *proprias*, aut *minus Universales.*

VIII. Ex his, si modo vera sint, liquet, quid de communi doctrina sentiendum. Et concedendum ei primo est, *quædam ex iis, quæ Notiones secundæ vocari solent, quodam sensu, convenire rebus per Intellectum.* Ut *Definitum*, et *Definitio*, *Divisum* et *Divisio*; *Subjectum* et *Prædicatum* in propositione; *Antecedens* et *Consequens* in Syllogismo. Definitum enim est res, prout explicatur per sua attributa. Explicatur autem primario à mente; sicut et secundario vocibus, ut signis. Et definitio est complexum quid, ex attributis rei distincte conceptis. Similiter de diviso, et divisione. Res enim *divisa* dicitur, quatenus partes illius,

lius, vel ſpecies diſtincte concipiuntur; partes vero & ſpecies illæ, ſic conceptæ, *diviſio objectiva* nuncupantur. In propoſitione, Res dicitur *Subjectum*, quatenus de eo aliquid ſtatuitur; *Prædicatum* quatenus de aliquo dicitur. Unaque & eadem Res nunc Subjectum, nunc prædicatum eſt. Adeoque quod hic & nunc Subjectum ſit, a ſola mente, aut voce eſt. Simili ratione, eadem propoſitio interdum antecedens eſt, interdum conſequens; & quod hoc potius quam illud actu ſit a ſola mente, aut ratione eſt. Unde illud dandum Arriagæ eſt, *definitum, deviſum, ſubjectum, prædicatum Antecedens* & *conſequens*, eſſe tantum denominationes extrinſecas a modo concipiendi deſumptas. Interim tamen, quod res ſint definibiles, aut diviſibiles, per mentem, ſubjicibiles aut prædicabiles; quodque propoſitiones aptæ ſint inferre, aut inferri, ex ſeipſis, & natura ſua habent, non a mente aut oratione.

IX. Recte etiam innuit Burgerſdicius, Notiones ſecundas *alias eſſe Reales, quæ rebus conveniunt; alias vocales, quæ vocibus & orationi.* Et ex his aliæ Grammaticæ ſunt; ut *Nomen, Verbum declinatio, Conjugatio, Syntaxis* &c. Aliæ Rhetoricæ, ut *Tropi* & *Figuræ.* Adeo ut varii modi ſignificandi, & compoſitionis, in vocibus & oratione Notiones ſecundæ ſint. Prius enim intelligitur ſignificatio, quam ſignificandi modus.

X. *Pleræque* tamen *ex notionibus ſecundis Realibus, conveniunt rebus ut ſunt in ſe;* adeoque ante operationem intellectus. De individuo, Toto & Parte, ſubjecto inhæſionis, & Adjuncto, cauſa & cauſato, convenientia, diverſitate, oppoſitione & ordine concedent ut opinor, Autores doctrinæ quam nunc examinamus. Sed de Univerſali, genere & ſpecie, negant: quia Univerſalia per intellectum fieri volunt. Verum quis, ſi ſerio, ac ſine præjudicio, perpendere velit, negare poteſt, naturam Humanam,

aut

aut animalem, esse in se, & natura sua communicabilem pluribus Hominibus, & animalibus; & actu esse communem seu communicatam? quod autem communicabile pluribus est, ita ut multiplex in illis sit, est universale aptitudine; quod vero actu commune est pluribus, & multiplex in illis, est universale *actu*. Quæ contra objiciuntur, in disputatione de Universalibus diluentur.

II. Hinc sequitur *Notiones secundas repræsentare Res, ut sunt in se, non minus quam primas.* Nec opus esse sensu, ut Notiones primæ fiant. Fiunt enim de rebus quæ sub sensu non cadunt non minus quam de sensibilibus. Item *Notiones secundas nec semper nec plerumque, modum quo mens primas concipit, repræsentare.* Utique Genus repræsentat solam convenientiam Rerum essentiis differentium, in aliqua ratione, vel natura communi. Nec cum Genus concipimus, conceptum aliquem priorem reflexe concipimus, sed tantum illam convenientiam, quæ in rebus ipsis est. Adeoque esse *Genus*, & *Speciem*, (& idem de reliquis dicendum est), non sunt denominationes extrinsecæ à cognitione nostra provenientes, sed intrinsecæ à rebus ipsis desumptæ. Denique *non semper verum est notiones secundas fieri collatis notionibus primis.* Nam affectiones universales rerum, quæ Absolutæ sunt, ut Existentia, Essentia, Unitas, Veritas, Individuum, seu singulare, &c. non oriuntur ex collatione rerum inter se. Deinde ex collatione, non tantum primarum, sed etiam secundarum notionum, fiunt notiones secundæ: ut ex collatione omnium generum, fit notio secunda Generis in communi, & vocatur species universalis, & prædicabilis.

Obj. I. Species cum de humana natura dicitur, non repræsentat naturam humanam: Ergo solum modum repræsentat, quo illa à nobis concipitur. Et sic de cæteris.

Resp. Non repræsentat Naturam Humanam, se-

cundum essentiam propriam, neque secundum aliquid essentiæ commune, quod certo alicui ordini Rerum, puta substantiarum, aut modorum, restringitur: repræsentat tamen secundum aliquid essentiale communissimum, nempe convenientiam omnium hominum ut homines sunt, quæ certe essentialis est.

Obj. II. Notiones secundæ vocales oriuntur, ex modo conceptus nostros interpretandi. Ergo Reales pariter, ex modo concipiendi.

Resp. Notiones secundæ formales, modos peculiares concipiendi connotant. At objectivæ non à modo concipiendi oriuntur, sed modum essendi, in ipsis rebus, denotant. A notionibus autem vocalibus ad Reales, sequela nulla est. Quia voces, totam naturam significativam, ab usu & placito hominum sortiuntur. At Affectiones, & *Habitudines* Rerum, à nobis non pendent. Ut *Homo* nomen est, *quomodo* adverbium, quia sic Linguæ Latinæ Auctoribus placuit: At *animal*, sive velimus, sive nolimus, Genus est: &c.

Quæst. IV. *Quid de quinario numero Attributorum*, vulgo *quinque prædicabilium*, scilicet Genere, Specie, Differentia, proprio, et Accidente, *censendum sit.* Sola enim illa capita Attributorum, in Logica vulgari traduntur: nec tamen ad illa omnia Attributorum genera revocare volunt. Prædicabilia utique esse dicunt, quæ de pluribus *vere, proprie, naturaliter, atque immediate affirmantur.* Unde è censu prædicabilium excludunt Attributa negantia, tropica, mediata, et quæ de uno solo affirmantur: quædam etiam contra naturam affirmari putant, quæ tamen vere et proprie affirmantur. Sic *Bugersdicius*, alios sequutus *Instit. Log. lib.* 1. *cap.* 20. De Doctrina ista sit.

Thesis I. *Omnia Attributa simplicia ad quatuor ex his referri possunt.* Quod sic demonstratur. Quicquid alicui

licui vere attribuitur, vel est de illius Essentia, vel non. Si non sit de Essentia, *Accidens* est; si de Essentia sit, vel denotat totam Essentiam confuse, & est *Species* infima, ut cum *Homo* affirmatur de Socrate, vel partem tantum: Et tum rursus pars illa vel est communis rei cui tribuitur cum aliis, & dicitur *Genus*; vel propria, & *Differentia* appellatur. Diximus autem *Attributa simplicia*, quia plurima sunt complexa, nempe ex varia horum combinatione conflata, quæ idcirco ad nullum unum ex illis revocari possunt, nisi forte ad accidens. Quandoque enim *Genus* & *Differentia* simul, affirmantur de re aliqua; ut in definitione; quandoque Genus, aut Species, cum Accidente; ut si Socrates dicatur *animal doctum*, aut *Homo doctus, &c.*

Thesis 2. *Variis tamen nominibus reprehendenda est ista Attributorum distributio, prout vulgo traditur, & limitatur.* Et,

1. Attributa complexa plane negligit, quorum tamen usus in Disciplinis omnibus frequens est.

2. Attributa omnia negata considerationi Logicæ eximit. Cum tamen rerum negativarum, ex gr. privationum, attributa alia non sint, quam negantia; ut cum tenebræ definiuntur *Carentia lucis* in corpore illuminabili.

Deinde res positivæ quatenus privatione aliqua affectæ sunt, per Attributa negantia explicantur; ut cum *homo mancus*, definitur *qui manu*, una, vel utraque, *privatur*. Et ipsa differentia specifica rei positivæ, sæpius est Attributum negativum; ut cum Deus definitur à quibusdam Theologis spiritus *infinitus*, vel *independens*, aut cum *spiritus* in genere dicitur *Substantia immaterialis*.

Obj. Attributa negata infinita sunt: nec explicant quid aut qualis res sit, sed tantum quid aut qualis non sit.

Resp. Fatemur Attributa positiva rei positivæ,

præcipue esse quærenda. Est tamen usus aliquis negantium. Periculum enim sæpe est, ne res distinctas confundamus, & unam pro alia accipiamus; quod per attributum negans cavetur. Et licet attributa istiusmodi infinita sint, eorum tamen quæ in discursu adhibentur, certa & finita capita assignari possint. Quod autem solum ostendant quid aut qualis non sit res, probat tantum esse minus utilia, non autem plane inutilia, aut minime necessaria.

III. Excludit Attributiones omnes rerum & Attributorum *singularium.* Unde pleræque prædicationes de Deo, ablegantur à Directione Logicæ: ut cum dicitur *Sermo erat Deus*, *omne adorandum est Deus. Deitas est omniscia, omnipotens: Unicus mediator est Christus Jesus.* Multæ etiam de rebus creatis: ut, *Eversor Regni Persici fuit Alexander Magnus.*

Obj. Individuum de seipso tantum affirmatur, idque affirmatione identica; ideoque non facit ad alterius rei explicationem.

Resp. Concedimus quidem Attributiones, quæ identicæ appellantur, è choro prædicabilium excludendas esse, quia non sunt Didacticæ. At tales non sunt Attributiones individuorum. Illa enim non minus quam species, sub diversa ratione sibiipsis tribuuntur, in propositione formali, seu Didactica, ut jam ostendimus.

IV. Falsum etiam est, Attributa mediata, è ratione prædicabilium esse removenda. Nam subjectorum naturam & qualitatem declarant, licet minus perspicue quam immediata. Unde per Genus remotum definire permittunt Logici, cum proximum non occurrit.

Obj. Hæc prædicatio *Homo sentit*, ad nullum prædicabile revocari potest, quia homo non est subjectum proximum sensus, sed animal.

Resp. Mirum est talia è calamo viri tantæ eru-

ditionis, ac fuit Burgersdicius, cadere potuisse. Nam *sentire* actu est accidens hominis commune. Quod si in propositione data intelligatur virtus sentiendi, prædicatio est Generis de specie, & hunc habet sensum Homo est aliquid sentiens, id est sentiendi virtute præditum.

V. Supponit vere rebus tribui posse quæ tamen naturaliter tribui nequeunt, seu non sunt naturalia attributa. Concedimus quidem nonnulla frequentius subjecta esse propositionum; alia frequentius Attributa. Interim tamen nihil fere est, quod natura sua aptum non est alicui attribui; sicut quidvis fere subjecti rationem interdum sortitur, præter *aliquid & non-nihil.*

Obj. Prædicatio contra naturam, est cum aut inferius de superiori prædicatur; ut *Homo* de *animali*: aut *Substantia* de *Accidente*; ut *Flavum* est *Mel*: aut denique *abstractum* de *concreto*; ut *jucundum est voluptas.*

Resp. Prædicationes istæ, quo sensu veræ sunt, non sunt contra naturam terminorum. Ut in prima, si *animal* sumatur in tota extensione sua, aut in sensu formali, falsa est prædicatio. Nec enim animal formaliter, & ut Animal, est Homo. Sed si accipiatur pro aliquo animali, ut accipi debet, est prædicatio speciei de seipsa sub diversa ratione, aut de individuo. Potest enim aliquod animal vel Hominem in communi, vel aliquem hominem singularem, sub ratione animalis, significare. Idem dicendum de tertio exemplo. Ad secundum quod attinet, *Substantia* nunquam vere prædicatur de accidente inhærente seu de modo. Et in exemplo dato subjectum non est accidens inhærens, seu modus, sed concretum ex substantia et modo. Unde satis naturaliter dicere licet, quoddam flavum, (hoc est quædam substantia flava) *est mel.*

6. Male etiam proprium, prædicabile diversum à Differentia Specifica ponitur. Omnis enim differentia, quæ rem perfecte, et ab omnibus aliis distinguit, Propria est. Satis scimus vocem proprii stricte hic usurpari: verum sine necessitate illud fit. Pro ea enim adhiberi potuit alia, ab ambiguitate libera, puta *differentia secunda*, aut *consequens*. Falso etiam inter modos proprii numeratur, quod convenit omni, sed non soli, ut per se patet.

Satius igitur fuit distributionem prædicabilium instituisse, primo in positiva, et Negative. Deinde in simplicia, et complexa; tertio in propria, et communia; Quarto in Essentialia, et accidentaria. Et tum rursus dividi potuit Attributum Essentiale, in Genus, Speciem, et Differentiam; Differentia in primam, et non-primam, seu consequentem, vel connexam: Accidens in necessarium, et Contingens. Et sic nihil opus fuisset tot restrictionibus; et omnia prædicatorum Genera comprehenderentur.

DISPUTATIO. IV.

De Ente, et Non-ente, in Genere; Ubi & De Ente Rationis.

Quæst. I. AN *sit aliqua Ratio entis, communis substantiæ & modo*, seu Accidenti, (ut vulgo loquuntur) *quæ per actum mentis abstrahi possit ab utroque*. Quidam negant, nos affirmamus. Sit igitur.

Thesis. *Est Ratio quædam Entis communis substantiis & modis omnibus, seu omnibus rerum Generibus*; nempe *non repugnantia existendi, nonnihil*, seu *aliquid reale positivum.*

vum. Illæ enim rationes nec substantiis aut modis sigillatim, nec utrisque simul propriæ sunt; omnibus autem conveniunt. Sunt igitur vere & proprie communes. Ac propterea verum est, Substantiam esse ens, & modum esse ens. Nec necessaria est operosiori hujus veritatis probatione.

Obj. I. Modus non est stricte et proprie Ens, sed aliquid Entis.

Resp. Modus non est illud ens cujus est modus, esto. Neutiquam est ens, negatur. Quid enim prohibet unum ens esse aliquid alterius? An non modus actu existit, et quidem existentia propria, ab existentia substantiæ distincta? Sæpe enim, manente substantia, non existit idem modus qui eam afficiebat.

Obj. II. Substantia et modus, et omnia entia realia differunt in ente, seu in ratione entis. Non enim differunt in nihilo, seu in ratione non-entis. Ergo, non conveniunt in ratione entis.

Resp. I. Per Retorsionem: Materia & spiritus differunt, (si de differentia essentiali loquamur, ut loquitur objectio), in ratione substantiæ: non enim differunt in ratione modi, aut accidentis. Ergo in ratione substantiæ non conveniunt. Conclusio est contra adversarios; hi enim admittunt Substantiam esse verum Genus ad materiam & spiritum; tenentur igitur nodum hunc dissolvere, non minus quam alii.

II. Dicendum igitur, Substantiam & modum differre in ratione aliqua entis, sed non in omni. Adeoque differentiam quæ inter ea est, non esse omnimodam, quæ omnem convenientiam excludit: Hoc est, non differunt in ratione entis præcise, ut est ratio entis, sed tantum in aliqua ratione entis particulari, nempe in independentia, & dependentia à subjecto.

Obj. III. Sequeretur summa Genera Rerum esse composita metaphysice, seu Logice, ex ratione Generica, & Differentiali, quod absurdum.

Resp. An Substantia & modus sunt summa Genera, est id quod, quæritur. Nos dicimus ens esse superius, & summum Genus omnium Rerum.

Obj. IV. Si Ratio Entis abstrahi posset à Substantia & modo, totum quod in illis est reale abstraheretur; siquidem totum quod in illis inveniri potest, est ens, vel Ratio entis: Et sic nulla erit abstractio: cum in ea totum sumi non possit.

Resp. Totum sub una ratione abstrahitur, hoc est abstracte concipitur; scilicet sub ratione non-re-pugnantiæ existendi, aut existentis actu: & totum sub alia ratione relinquitur, nempe sub ratione independentiæ aut dependentiæ à subjecto.

Obj. V. Abstrahamus, quantum possumus, Rationem entis à substantiis & modis, adhuc in illis manebit ratio entis, vel redigentur in nihilum, in nostro conceptu.

Resp. Manet quidem in illis Ratio Entis à parte rei: abstractio enim nostra non immutat naturas rerum. At non manet in nostro conceptu. Non enim tunc consideramus illa ut Entia, seu sub ratione Entis. Quin multa concipimus ut subsistentia per se, de quibus dubitamus an sint entia: Ut materiam quæ seipsam moveat, spiritum extensum.

Obj. VI. Omnis ratio entis vel est ratio Substantiæ, vel ratio modi: nulla igitur est abstracta ab utraque.

Resp: Omnis ratio entis vel est ratio substantiæ vel ratio modi communis vel propria, conceditur: propria, negatur.

Obj. VII. Sequeretur substantiam & modum abstrahi posse ab ente, seu à ratione entis, quod impossibile. Nam ens est de ipsa idea seu Essentia substantiæ, & modi, licet non reciproce; sicut animal

potest

potest abstrahi ab homine, at homo non potest abstrahi ab animali.

Resp. Comptonus non sequi: quia *præcisio*, seu *abstractio Entis à substantia, & modo, est non-mutua.* Sed contra-dicimus omnem præcisionem esse mutuam; quia præcisio est separatio mentalis unius rationis ab alia: omnis autem separatio mutua est. Ut si *A* separatur à *B*, etiam *B* separatur ab *A*. Exemplum animalis nihil probat. Nam Animal à quo Homo abstrahi nequit, non est animal in communi, quod ab Homine abstrahitur, sed Animal Particulare, nempe illud quod est in Homine. Et sicut Homo ab hoc animali abstrahi nequit, ita neque hoc abstrahi potest ab Homine, dum ipse juxta integram ideam essentialem consideratur.

Resp. Igitur, sicut animal, qua animal, seu in communi, abstrahi potest ab homine, & homo ab animali, qua animal, seu in communi, (siquidem negari potest de homine, & vicissim; homo enim non est animal, qua animal, seu animal in communi, nec vice versa), sic etiam abstrahi potest ratio entis à ratione substantiæ, & ratio substantiæ à ratione entis in communi, & possumus alteram concipere, altera non concepta; possunt etiam mutuo de se negari ut patet.

Quæst. II. *An Ratio Entis transcendat omnes suas differentias*; puta rationes substantiæ, & modi: hoc est *an in illis formaliter includatur.* (In terminis hujus quæstionis sic propositæ, reprehendendus est abusus vocis *transcendere.* Quod enim in aliquo formaliter includitur, ordine potius æquale est quam transcendens). Multi affirmant. Nos, cum Arriaga negamus, sitque.

Thesis.

Thesis. *Ratio entis non includitur formaliter, in suis differentiis*, magis quam aliæ rationes Genericæ rerum *simplicium*; puta ratio substantiæ in differentiis essentialibus materiæ, & Spiritus, aut ratio Spiritus, in mente Humana, & Angelo; licet in illis realiter includatur, eo quod cum illis realiter idem sit. Patet ex dictis præcedenti quæstione, quæ huic affinis est. Quod enim formaliter includitur in aliquo, de eo, ne quidem in sensu formali, negari potest. At ratio entis, de Differentiis entis, in sensu formali, negari potest, & vicissim. Sicut enim Ratio entis, ut sic, non est Ratio substantiæ, aut modi, ita neque Ratio substantiæ, aut modi, est ratio entis, ut sic. Nam ratio entis, ut sic, est communis substantiæ, & modo; at Ratio Substantiæ non est communis substantiæ, & modo, sed substantiæ propria: similiter de ratione modi statuendum est.

Obj: *Perseïtas*, quæ est differentia substantiæ, est aliquid oppositum non enti. Ergo est formaliter ens.

Resp. Non sequitur: quia inter ens in concreto, & non-ens, seu purum nihil datur medium; scilicet Ratio aliqua entis abstracta, qualis est Differentia substantiæ aut Accidentis; quæ idcirco, in sensu formali, non est ens, sed aliquid entis.

Instantia. Saltem igitur Ratio Entis abstracta, formaliter includitur in differentia substantiæ.

Resp. De aliqua ratione entis conceditur; at non de abstracta ratione entis in communi.

Quæst. III. *Sitne Ratio Entis in communi, Univoca, an Analoga, ad Substantiam, & modum*, seu Accidens inhærens. Plerique affirmant, non solum Peripatetici, sed Cartesiani, Nos negamus. Sit igitur.

Thesis. *Ratio Entis in communi, non est Analoga, sed univoca, ad substantiam, & modum*; adeoque ad omnia genera entis. Patet

1. Quia nomen entis est utrique commune, ut concedunt omnes. Et ratio nomine illo significata,

utro-

utrobique eadem seu similis est. Nulla enim est diversitas inter rationem entis in substantia, & rationem entis in modo, seu Accidente, si utraque præcise consideretur ut pura Ratio entis, uti considerari debet. Siquidem utraque est non-repugnantia ad existendum, seu aliquid reale, non purum nihil, nec plus nec minus. Et tota diversitas in differentiis exercetur.

2. Ratio entis, vere, proprie, & æqualiter, convenit substantiæ, & modo Univoca igitur est. *Vere* convenit; quia modus non est ens apparens, aut fictum. *Proprie,* quia non est tropice ens, ut amænitas prati est tropice risus. Proprie enim existit, & quidem existentia peculiari, ab existentia substantiæ distincta. *Æqualiter* denique, quia nihil est magis aut minus ens: unumquodque enim vel est ens, vel non-ens.

3. Ratio Analoga, alteri ex inferioribus proprie convenit, alteri tropice; nempe Synecdochice, si Analoga attributionis sit, ut cum *sanum* tribuitur animali. medicinæ & urinæ, *Caput*, parti corporis animalis superiori, & homini; vel per Metaphoram, si Analoga proportionis sit; ut cum *caput* tribuitur animali & flumini; materia ligno ex quo fit mensa, & terminis ex quibus propositio constat. At ratio entis, nullo ex his modis convenit Substantiæ, & modo. Non substantiæ, ut conceditur; neque modo, quia modus licet adjunctum substantiæ semper sit, & effectus, causa, & signum illius esse possit, non tamen propterea ens dicitur, sed quia ei non repugnat existere, quod autem adjunctum substantiæ sit, ad differentiam ipsius duntaxat pertinet.

Ratio Analoga per se sumpta, sine adjecto, stat pro famosiori analogato, ut loquuntur: Scilicet *risus*, pro risu humano; *Sanum*, pro animali; *Materia*, pro substantia virtutis perceptivæ experte. At ratio entis, per se prolata, non ita. Nec enim prolata voce entis,

Entis, audiens magis cogitat de Subſtantia, quam de modo, ſeu Accidente, ſed tantum de alterutro indeterminate.

Obj. I. Ratio Entis participatur à ſubſtantia, & modo per prius, et poſterius. Nam prius naturâ ſubſtantia eſt Ens, tum poſſibile, tum actu exiſtens, quam modus: ideo enim modus poſſibilis eſt, quia poſſibilis eſt ſubſtantia in qua exiſtere poſſit; & ideo actu exiſtit modus, quia actu exiſtit ſubſtantia, cui modus inexiſtit, non autem viciſſim. At ſpecies univocæ ejuſdem generis, ſunt ſimul natura. Eodem tendit argumentum, à dependentia modi ex ſubſtantia. Hæc enim eſt Ens, independenter ab omni ſubjecto ſuſtentationis: Modus vero Ens eſt dependenter à ſubſtantia. Et hæc ratio Adverſariis palmaria eſt.

Reſp. I. Ad primum Antecedens. Ratio Entis particularis, ſeu propria ſubſtantiæ, prius convenit ſubſtantiæ, quam ratio Entis modi propria, modo convenit, adeo ut diverſitas in ſolis differentiis exerceatur: Non autem Ratio Entis, ut ſic.

II. Species univocæ ſunt ſimul natura, quatenus participant de eadem ratione Generica; at non ſemper ſecundum naturas ſuas particulares, & proprias. Ex. gr. *Habitus*, & *actus* qui ab eo proficiſcitur, Univoce conveniunt in ratione communi *modi*; & tamen Habitus, natura ſua particulari, ſeu qua habitus, eſt prior quam actus. Approximatio patientis ad agens, eſt prior natura quam actio: Univoce tamen conveniunt in communi ratione modi. Unde & prioritas illa ſubſtantiæ reſpectu modi, ad differentiam illius pertinet, in ratione vero Entis non continetur. Idem dicendum de dependentia modi à ſubſtantia.

Replicat Derodon, Dependentiam quidem accidentalem unius ex inferioribus ab alio, non impedire Univocationem Rationis ſuperioris: talem autem

eſſe

esse dependentiam actus ab Habitu, & actionis ab approximatione. Potuit enim actus aliunde oriri, nempe à potentia naturali, vel supernaturali auxilio primæ causæ, sine habitu. At dependentia essentialis, qualis est accidentis à substantia, Univocationem tollit; & Analogiam constituit.

Resp. Gratis istud dicitur. Nec sic ulla ratio disparitatis, inter dependentiam essentialem, & Accidentalem, quoad Univocationem adducitur. Supponit etiam responsio nullum modum, seu Accidens, essentialiter dependere ab alio, quod verum non est. An non enim actio creaturæ transiens, essentialiter dependet ab approximatione, figura hujus vel illius corporis, ab unione particularum, ex quibus illud constat? & in mente nostra, judicium pendet ex apprehensione simplici judicium de consequente ex judicio prævio Antecedentis, volitio ab intellectione, &c.

Obj. II. Ratio, quæ sub nomine communi, partim eadem est, partim diversa, Analoga est. At ratio Entis in substantia, & modo, partim est eadem, quia in ratione Entis conveniunt; partim diversa, quia in eadem differunt. Unde & ratio Entis transcendit rationes proprias substantiæ, & modi, hoc est in illis formaliter includitur. Propter transcendentiam igitur Analoga est.

Resp. Substantia & modus non differunt in ratione Entis ut sic, sed in rationibus Entis particularibus: Unde nec ratio Entis præcise considerata, in rationibus particularibus Entium formaliter includiur. Utrumque supra ostensum fuit.

Quæstio IV. *An sit Ratio aliqua communis Enti & non-Enti, seu puro nihilo.*

Resp. Thesis. *Nulla est ratio communis intrinseca Enti, & pure non-Enti, sed tantum extrinseca.* Prior pars sic ostenditur. Ens & purum nihil sunt maxime diversa, & in nullo conveniunt. Nec enim in aliquo reali conveniunt: sic enim id quod purum nihil est,

non

non esset purum nihil, sed aliquid includeret reale: Nec in aliquo non reali conveniunt, tanquam communi intrinseco; quia totum quod est in ente est reale. Posterior pars patet, quia utrumque concipitur, & concipi potest: Utrumque etiam aliquando est objectum volitionis: volumus enim interdum impossibilia, putantes esse possibilia; & scientes esse impossibilia, vellemus esse possibilia. Conveniunt igitur in eo quod utrumque sit objectum, tum intellectus nostri, tum voluntatis. At esse objectum est illis extrinsecum, quia actus quorum ratione objecta dicuntur, iisdem extrinseci sunt.

Obj. Non-Ens, quandoquidem objectum intellectus nostri esse potest, habet intrinsecam aptitudinem actum aliquem illius terminandi, non minus quam Ens, secus enim nullo modo concipi posset. Quomodo enim conciperetur id quod non est conceptibile?

Resp. Res ista nullius momenti, difficilis tamen. Ex altera enim parte aptitudo intrinseca terminandi actum mentis nostræ, videtur esse aliquid reale, quod non Enti convenire nequit. Ex altera vero, id quod intrinsece ineptum est concipi, non videtur posse ullo modo concipi. Nec te expedies dicendo, non-Ens non esse per se conceptibile, sed tantum per & propter conceptibilitatem Entis, quod per se conceptibile est: quia licet nullum Non-Ens particulare concipi possit, quin simul indirecte concipiatur Ens cujus est negatio, concipimus tamen ipsam negationem, per quam negamus aut removemus Ens. Nec solves nodum, si dicas, non-Ens dici conceptibile, per denominationem extrinsecam, quæ ex possibilitate actus mentis, ad ipsum terminabilis, provenit; non autem ex ulla aptitudine intrinseca: ideoque ex sola virtute & subtilitate mentis esse, quod concipi possit: Quia adhuc quæret adversarius, quomodo mens concipere possit id quod non est in-

ſe conceptibile? Hanc ego difficultatem, alicui ex Doctoribus Pontificiis, aut nugaci alii ingenio, expediendam commendo.

Quæſt. V. *An inter Ens, & purum non-Ens, aliquid ſit medii.* Affirmat *Scotus*, *Burgerſdicius*, & alii. Inſtantiarum loco adducunt modos entium, Relationes, Denominationes extrinſecas, differentias immediatas entis, ut *eſſe per ſe*, & *eſſe in alio*. Et attributa rerum communiſſima, ut *Unitatem*, *Veritatem* &c.

Reſpondemus breviter, 1. Inter Reale & non Reale, nullum poteſt eſſe medium, quia termini iſti ſunt contradictorii. Unde ſi per Ens, intelligitur quicquid eſt reale, inter ipſum & purum nihil nullum erit medium.

2. Inter Ens in communi, qua tale eſt, & purum non-ens, datur medium; nempe aliquod Ens particulare: quod tamen inadæquate diſtinguitur ab Ente in communi, in quo includitur.

3. Hinc etiam inter Ens concrete conſideratum, ut compoſitum quid ex ſeipſo & ratione aliqua formali, & non-Ens, medium aliquod ſtatuendum eſt: Ut ipſa *non-repugnantia* exiſtendi, nec eſt purum nihil, quia conſtituit Ens; nec eſt ipſum Ens in concreto, ſed ratio aliqua Entis. Idem dicendum eſt de differentiis immediatis Entis, ſubſtantiæ & modi Phyſici, & omnibus affectionibus eſſentialibus rerum, quæ vel relationes quædam, vel negationes ſunt. Impoſſibile enim eſt res concipere ſine ejuſmodi rationibus, ut aliquo modo à rebus diſtinctis. Nec tamen putandum eſt mentem noſtram eas fingere, ſed in rebus invenire.

4. Negandum eſt, modos rerum phyſicos eſſe puras Rationes, ut illæ quas jam diximus. Quis enim credat Habitus, & actus mentis noſtræ, non magis differre ab ipſa mentis ſubſtantia, quam non-repugnantia, Unitas, Veritas, Bonitas, ab Ente hoc eſt quam *habitudines* et negationes, à rebus quibus

conve-

conveniunt? sed de modis Logicis concedendum est.

5. Perperam etiam memorantur denominationes extrinsecæ, tanquam à relationibus distinctæ. Sunt enim relationes, inter rem denominantem, & denominatam: ut esse *cognitum*, est esse objectum actus cognitionis, quod est mera relatio.

Obj. Rationes illæ rerum vel possunt existere, & sic sunt Entia; vel non possunt existere, adeoque sunt non-Entia.

Resp. Possunt existere, & actu existunt, non existentia realiter distincta à rebus quarum sunt rationes, sed consequenter ad earum existentiam, ut existit relatio per existentiam subjecti, fundamenti, & termini; et negationes existunt, quatenus non existunt res negatæ: adeoque dicuntur existere negative, non positive, quod est improprie existere, ex. gr. immaterialitas Angeli existere dicitur, quia non existit ulla materia identificata cum substantia Angeli.

Quæst. VI. *An sit Ens Rationis:* hoc est, *quod solum est objective in intellectu.* Seu an mens nostra ullum conceptum formare possit de eo quod nec existit, nec existere potest, nempe de re impossibili. Affirmant fere omnes Philosophi. Singularis est sententia Derodonis, hominis aliàs acuti et docti, qui multis contendit impossibilia nec concipi à nobis nec concipi posse.

Thesis. *Impossibilia possunt à nobis concipi, & actu sæpe concipiuntnr.* Adeoque existere possunt, et actu existunt, *objective* in intellectu. Proinde datur in nostro conceptu, id quod *Ens Rationis fictum* communiter vocatur. Res ista adeo manifesta est, ut mirum sit, quenquam repertum fuisse qui serio eam neget. Nec in illius demonstratione immorabimur.

Patet exemplis. 1. Alius Deus potest apprehendi; et apprehendebatur à Davide, Ps. 16. v. 3. cum dixit

multipli-

multiplicabuntur dolores eorum, qui alium Deum ſequuntur, hoc eſt, qui pro Deo fingunt & colunt quod deus non eſt.

II. Apprehenderunt etiam *Tritheitæ*, veteres Hæretici, tres Deitates diſtinctas, quarum ſingulas ſingulis perſonis S. S. Trinitatis aſſignabant: apprehenderunt & *Orthodoxi,* qui eos refutarunt. Nec enim refutare poterant quod non apprehenderunt. At alius Deus eſt quid impoſſibile, & impoſſibile eſt eſſe tres Eſſentias Divinas.

III. Et qua fronte negari poteſt, mentem noſtram apprehendere poſſe materiam quæ ſeipſam moveat? Peripatetici enim talem de facto eſſe docent; *Carteſiani* autem judicant eſſe impoſſibilem: apprehendunt igitur id quod putant eſſe impoſſibile, adeoque ſaltem apprehendunt impoſſibile in communi.

IV. Quin & apprehendere poſſumus materiam cogitantem: ut aerem, vel materiam aliquam ſubtilem, quæ intelligat & ratiocinetur. Quidam enim finxerunt animam rationalem hominis, eſſe materiam quandam puram & tenuem; ut plurimi ex antiquis pſeudoſophis, & noſtro ſæculo *Hobbius*.

V. Carteſiani exiſtimant nihil extenſum cogitare ſeu intelligere: Ex adverſo D. *Henricus Morus Cantabrigienſis,* homo ingenioſiſſimus, putat nihil inextenſum poſſe cogitare, ſeu intelligere; quippe omne inextenſum pro non-Ente habet. At vel poſſibile eſt extenſum cogitans, vel impoſſibile; & ſimiliter vel poſſibile eſt inextenſum cogitans, vel impoſſibile. Vel igitur Carteſiani, qui apprehendunt inextenſum cogitans, cum reliquis fere omnibus philoſophis, vel D. *Morus*, qui extenſum cogitans, apprehenderunt impoſſibile.

VI. *Athei* opinantur non eſſe Deum, aut ſaltem dubitant an ſit, & omnes Dei oſores vellent, ſi fieri poſſet, Deum non eſſe; ut Diaboli & damnati: apprehendunt igitur *non-eſſe* Dei, quod ſimpliciter impoſſibile eſt.

VII. Sociniani negant in unica Eſſentia Divina, tres eſſe Hypoſtaſes: apprehendunt igitur tres hypoſtaſes divinas non eſſe, quod tamen impoſſibile eſt. Innumeræ iſtiuſmodi Inſtantiæ produci poſſent.

Ad Inſtantiam plurium Deorum Reſpondet *Derodon*, Ethnicos non agnoviſſe plures Deos, ſed tantum Unius Dei virtutes plurimas, eumque variis nominibus appellaſſe, ut ait *Auguſtinus*. Vel cum plures Deos finxerunt, non apprehendiſſe verum Deum, ſed alia Entia poſſibilia, Deo in quibuſdam ſimilia.

Sed replicamus, 1. Licet *Ethnici* per plures Deos quos finxerunt, plures unius Dei virtutes duntaxat intellexiſſent, apprehenderunt tamen virtutes illas ut diviſas in pluribus, quos Deos, & Deas vocabant, quod eſt impoſſibile.

2. Perfectiones Deo ſoli proprias, creaturis tribuerunt, ut aperte docet Apoſtolus, ad Rom. 1. At impoſſibile eſt perfectiones incommunicabiles Dei, ullo modo creaturæ convenire, apprehenderunt igitur impoſſibile.

3. *Tritheitæ*, profeſſione tenus Chriſtiani, per tres Deos, non intellexerunt plures perfectiones Unius Dei, ſed tres Deitates, ſeu Divinas Eſſentias.

4. *Ethnici* quidem plures Deos fingendo, non apprehenderunt verum Deum, nec tamen creaturas poſſibiles Deo in quibuſdam ſimiles, ſed figmenta impoſſibilia; nempe ea quibus perfectiones divinæ incommunicabiles convenire putabant, quibus tamen non convenerunt.

Ad Inſtantiam Damnatorum, negat *Derodon* eos velle Deum non eſſe, quia cum exiſtentia ſit de Eſſentia Dei, ſic apprehenderent Deum ut non-Deum.

Reſp. I. Contra omnem rationem affirmat damnatos non velle Deum non eſſe. Cum nimis multi in hoc ſæculo illud vellent.

II. Licet

II. Licet judicare non possunt Deum non existere, apprehendere tamen possunt negationem existentiæ ipsius. Non enim difficilius est eam apprehendere quam negationem existentiæ rei creatæ, quam existere certo intelligimus. Quin Theologi dum probant Deum esse, contra Atheos, ex absurdis quæ impiam Atheorum sententiam comitantur, supponunt Deum non esse; ut cum arguunt, *si Deus non esset, Mentes Humanæ fuissent vel à seipsis, vel à nullo, idque ab æterno, & necessario; Systema mundi ordine illo pulcherimo, qui omnibus conspicuus est, cohærere non posset.* Ubi apprehendunt Deum non esse, quod tamen norunt esse maxime impossibile. An non enim apprehendunt hypothesin illam ex qua arguunt?

III. Qui apprehendit Deum non esse, apprehendit, Deum, ut non Deum, non expresse sed consequenter tantum. Existentia enim non primo intuitu, sed ex discursu, apparet esse de Essentia Dei. Sicut qui negat *trianguli angulos omnes esse æquales duobus angulis rectis*, non nisi ex consequenti, apprehendit triangulum, ut non triangulum. Multa enim rebus repugnant, quæ per se seu prima fronte, non videntur repugnare. Quæ idcirco antequam repugnantia eorum apparet, eadem facilitate apprehendi possunt rebus convenire, qua apprehenduntur illa quæ revera conveniunt. Satis igitur liquet pure impossibilia à mente nostra apprehendi posse. Plurima alia in hujus rei confirmationem addi possent, si operæ pretium esset in iis proponendis immorari.

Ex his quæ proxime dicta sunt, quæret forte aliquis, *an apprehendere possimus id quod evidenter apparet esse impossibile*; ut *Hominem non Hominem*, *quadratum rotundum*, & ejusmodi. Inter ista enim quæ apertè sunt impossibilia, & alia quorum impossibilitas latet, non distinguit Derodon, nec quisquam alius quantum accepimus.

Resp. I. Manifestum est impossibile in communi, quod

quod ſemper apparet impoſſibile, ſæpius apprehendi. Qua enim ratione diſtingueremus inter poſſibile in communi, & impoſſibile, niſi utriuſque ideam aliquam formemus? An non apprehendimus Rem impoſſibilem eſſe, cujus una pars ideæ alteram evertit, eive contradicit. Cum igitur eam definiamus, neceſſe eſt ut etiam apprehendamus.

II. Per imaginationem non poſſumus percipere res impoſſibiles particulares: ut *ſedentem-ſtantem, lucidum-tenebroſum, quadratum-rotundum.* Ejuſmodi enim objecta talia ſunt, ut imago unius partis penitus impediat, ne alteram quæ ei repugnat, imaginemur.

III. Utrum autem per intellectum, qui ſubtilior et penetrantior eſt omni imaginatione, iſtiuſmodi objecta apprehendere poſſimus, an vero cum de illis loquimur, ſolam repugnantiam partium apprehendamus, non autem identitatem fictam, aliâs diſputandum relinquo. Sed ad Ens Rationis defendendum, ſatis erit ſi oſtendere poſſumus, mentem ſæpe apprehendere impoſſibilia latentia, ſeu quorum impoſſibilitas non apparet. Illud autem oſtendi poſſe, ex ſupra dictis manifeſtum eſt. Sed præcipua Derodonis Argumenta expendamus.

Arg. I. Impoſſibile eſt purum nihil: at nemo poteſt concipere purum nihil. Nam qui concipit aliquid, habet vel format imaginem illius in mente, & poteſt reflectere ſupra eam, & cogitare ſeu dicere apud ſe, *hæc pars imaginis repræſentat hanc partem objecti, & hæc pars aliam*; ut cum quis format imaginem aſini, percipit unam partem imaginis repræſentare aures, aliam pedes, &c.

Reſp. Mirum eſt tanti ingenii virum huic argumento crediidiſſe. Nam,

1. Retorqueri poteſt ſic: apprehendimus res quæ nullas habent partes; ut puncta indiviſibilia, momentum, negationem latitudinis in linea &c. Quorum proinde

proinde imagines non sunt compositæ. Unde nec dicere possumus, unam illius partem hanc partem objecti repræsentare, aliam hanc, &c.

2. Si per imagines hic, ideas, quæ res materiales repræsentant, & à phantasia formantur, intelligit, falsum est omnem conceptum nostrum in earum formatione consistere; longe enim plura sunt quæ sine ejusmodi imaginibus, concipimus: scilicet omnia quæ sub sensum non cadunt. Si vero intelligat quaslibet ideas, tum falsum est nos semper reflexe cogitare posse, aut dicere quomodo imago objecti se habeat; ex.g. cum concipimus chiliogonum,hoc est figuram mille angulis, et totidem lateribus constantem, dicere non possumus quomodo imago se habeat, seu quænam pars hunc angulum, quænam alium repræsentet. Per imaginationem enim nullum angulum in ejusmodi figura, percipere possumus. Formamus etiam idæas actuum mentis nostræ, puta intellectionis,et volitionis: Nemo tamen reflexe cogitare potest, aut dicere quomodo se habeant illæ ideæ, quoad partes.

Arg. II. Omne cognoscibile est verum; sicut omne appetibile est bonum. Verum enim explicatur per intelligibile. At Ens Rationis non est verum. Ergo nec intelligibile.

Resp. Est & Argumentum istud elumbe.

1. Quia verum & intelligibile non reciprocantur: Sic enim falsum nullatenus intelligibile esset. Sicut omne appetibile (nisi per appetibile intelligamus quod jure, & ex ratione, tale est) non est verum bonum: appetuntur enim quæ vere mala sunt sub specie boni.

2. Quia dici potest Ens Rationis habere suam veritatem; hoc est, esse *vere* nihil; non autem fingi, aut solum dici nihil, cum aliquid sit.

Arg. III. Tunc tantum fit Ens Rationis, cum vel apprehenditur unum Ens ut aliud, puta *Homo* tan-

quam *asinus*; vel cum apprehenditur impoſſibile aut non-Ens, per modum poſſibilis, aut Entis; puta tenebræ ad modum nigredinis. Sed neutrum fieri poteſt: quia, in illo caſu, non apprehenditur Res quæ prætenditur, ſed aliqua alia: ut qui concipere putatur hominem tanquam aſinum, non concipit hominem, ſed Aſinum: & qui concipere dicitur tenebras, ut nigredinem, non concipit tenebras, ſed ſolam nigredinem.

Reſp. Negando minorem. Poteſt enim, per errorem, rei alicui tribui, quod ei plane repugnat: & tum, implicite, ac per conſequentiam, concipitur aliquid impoſſibile. Ut cum Epicurei conceperunt Deum, tanquam qui res inferiores, & Humanas non curet: vel cum Sociniani eum concipiunt ut ignarum futurorum contingentium: Sic enim id in Deo concipitur quod ei prorſus repugnat. Ad confirmationem dicimus. Cum una res concipitur ut omnimode alia, ex. g. *Homo* ut *Aſinus*, non concipitur res quæ concipi putatur, ſed alia: at non ſic ſe res habet, cum res ex parte recte concipitur, ex parte falſò, affingendo ei aliquid repugnans. Sic Sociniani cum concipiunt Deum non ſcire futura contingentia, recte ex parte eum concipiunt: concipiunt enim ut Ens neceſſarium, æternum, independens; ex parte vero falsò concipiunt, & affingunt ei quod ipſi repugnat. Unde implicite tantum, & per conſequens, concipiunt aliam rem, nempe Deum falſum.

DISPU-

DISPUTATIO. V.

De Rerum Possibilitate.

Quæst. I. AN *Res in statu possibilitatis sit purum nihil.* Negant quidam, è quibus etiam est Derodon. Dicunt enim rem possibilem habere esse quoddam reale, licet *diminutum.* Nos sic statuimus.

Thes. I. *Si per esse reale, intelligamus esse possibile, seu Potestativum, sic res in statu possibili habent esse reale,* per quod distinguuntur à rebus impossibilibus Adeoque non sunt purum nihil simpliciter, & omnimode, sed tantum purum nihil actu.

Thes. II. *Si vero per esse Reale, intelligamus esse actuale, sic nullum esse habent, quantumvis diminutum:* sed æque sunt nihil, ac res impossibiles. Probatur, Quia si esse istiusmodi haberent, illud vel esset à Deo vel non. Si non à Deo, tum aliquid actuale fuit ab æterno, (& quidem necessario) præter Deum. Siquidem omne possibile, ab æterno, & necessario, fuit possibile. Si esse illud actuale diminutum fuit à Deo, tum falsum esset Deum omnia in principio è nihilo creasse. Habuissent enim res omnes existentiam aliquam actualem, ab æterno. Deinde explicare non possunt Autores hujus esse diminuti, quidnam illud sit, seu in quo consistat. Quod enim quidam dicunt, res in statu possibilis habere esse intelligibile, Derodon vero, habere aptitudinem terminandi actionem efficientis, seu esse producibile, nec explicat illud esse actuale nec probat: nam purum nihil actu, est tum intelligibile, tum producibile. Attributa e-

nim ista sunt tantum respectus quidam potentiæ intellectivæ, & productivæ, ad ea quæ actu quidem nihil sunt, sed possunt per eas intelligi, & produci. Potest autem res actu existens *respectum* connotare ad id quod actu non existit; ut & hi Autores fateri cogentur. Nam fatebuntur res possibiles in statu possibili; non habere totum illud esse quod habent in statu existentiæ actualis. Hoc autem quod non habent, est intelligibile, & producibile, & tamen est purum nihil actu. Respicitur itaque à potentia intellectiva, & effectiva. Denique, si res in statu possibili, non habent totum esse quod habent cum actu existunt per actionem efficientis, necesse est ut secundum aliquam & quidem majorem partem sui, sint purum nihil actu.

Objicit *Derodon*, I. Purum nihil est prorsus impossibile, atque adeo pro omni tempore est improducibile; & nunquam potest terminare actionem efficientis.

Resp. Purum nihil, actu quidem non terminat actionem efficientis, quamdiu est nihil; at potest eam terminare. Illud autem posse, nihil aliud est quam *habitudo* quædam ad potentiam effectivam, quæ producere potest terminum suæ actionis. Negatur igitur omne purum nihil esse impossibile. Non enim necesse est ut terminus actionis præexistat, etiam secuncundum entitatem diminutam. Quin impossibile est ut præexistat; quia sic produceretur per actionem id quod prius extitit.

Objicit II. Si res possibilis est, in se, purum nihil, non differret ab impossibili. Nam inter duo pura nihila nulla est differentia.

Resp. Inter duo quæ nihil sunt, nulla est differentia intrinseca, & absoluta; est tamen aliqua extrinseca, & respectiva; quatenus diversas negationes, aut habitudines connotant. Ut cæcitas & surditas sunt duo nihila in se; altera tamen oculum respicit, ex quo visum tollit, altera aurem ex qua auditum. Similiter res impossibilis connotat negationem potentiæ, quæ

se

se producat, possibilis vero habitudinem connotat ad istiusmodi potentiam.

Instat *Derodon.* Si possibile & impossibile, absolute, & in se, non differunt, hoc est sunt idem, nulla ratio reddi potest cur alterum connotet respectum ad Potentiam Dei, & in ea contineatur, alterum non. Nam potentia Dei æqualiter respicit ea quæ sunt realiter idem.

Resp. Peccatur hic per ignorationem Elenchi. Non enim dicimus possibile & impossibile esse realiter idem: sed tantum esse prorsus similia quoad non-esse actuale. Neutrum enim est quid actu. Unde nihil contra sententiam nostram concluditur. At (inquit) si non sunt idem nihil, utrumque non est purum nihil.

Resp. Licet non sint idem nihil, utrumque tamen est purum nihil actu: hoc est, utrumque est totalis carentia actualis existentiæ.

Obj. III Quod, ex se, & in se, est nihil, non potest non-esse nihil: sed possibile potest non esse nihil; scilicet per productionem sui: Ergo: ex se, & in se, non est nihil.

Resp. Negamus majorem. Similiter enim arguere licet. Quod ex se & in se non loquitur, ambulat &c. non potest loqui aut ambulare. At homo possibilis, seu nondum natus, nec loquitur nec ambulat: Ergo nec loqui nec ambulare potest. Vel, quod ex se et in se est futurum non potest non esse futurum. At Petrus, proximo anno nasciturus, ex se et in se est futurus: Ergo non potest non esse futurus, scilicet etiam cum actu existit. Vel distinguenda est major: Quod in se est nihil non potest non esse nihil, quamdiu est nihil, esto: absolute non potest non esse nihil, negatur. Sic autem possibile licet in statu possibili, ex se, et in se, nihil sit actu, potest tamen esse aliquid actu, per causam suam productivam.

Instantia.

Instantia. Quod in se est nihil, ex essentia sua est nihil: quod autem ex Essentia sua est nihil, non potest non esse nihil; ut homo qui ex Essentia sua est rationalis, non potest non esse rationalis. At res possibilis potest non esse nihil. Ergo ex Essentia sua non est nihil: Adeoque licet existentia ipsius sit nihil, essentia est aliquid.

Resp. Idem argumentum fieri potest de existentia rei possibilis: Hæc enim in se est nihil ut fatentur adversarii, adeoque ex essentia sua est nihil, & sic nunquam potest fieri aliquid, quod non admittent. Respondendum igitur ad utrumque, quod ex essentia sua est nihil, non potest non esse nihil, secundum esse quod habet, conceditur, secundum esse quod habere potest, negatur. Vel non potest non esse nihil, seu esse aliquid in sensu composito; hoc est illud ipsum nihil, seu esse aliquid in sensu composito; hoc est illud ipsum nihil, manens nihil, non potest esse aliquid; loco tamen illius potest esse non-nihil, seu aliquid. Sicut loco hominis, qui de essentia suæ est rationalis, potest esse non rationale, scilicet si homo annihilaretur.

Quæst. II. *An ulla res sit intrinsece, seu in se, possibilis se posita ratione primæ causæ*, seu omnipotentiæ divinæ. Jesuitæ communiter affirmant; distinguunt enim possibilitatem in intrinsecam & extrinsecam. Priorem appellant per quam res in se possibilis est, id est ejusmodi attributa habet, quæ non implicant contradictionem, seu quorum unum non evertit alterum, ut in impossibili fit. Posteriorem dicunt esse denominationem extrinsecam, ortam à virtute productiva causarum, præsertim causæ primæ, à qua reliquæ omnes pendent. Assentiuntur etiam quidam è nostris; licet quæstio à paucis, & propter distinctionem quandam omissam, perplexe, & confuse, tractetur; nos sic statuimus.

Thes. I. *Si per possibilitatem rei, intelligamus præcise*

non

non-repugnantiam attributorum quæ in idea ipsius continentur, certum est esse quandam possibilitatem rei intrinsecam. Nam attributa Dei, sine respectu ad omnipotentiam ipsius, intrinsece conspirant, seu non repugnant. Et attributa creaturæ, licet à prima causa dependeant, in se & natura sua, sibiinvicem non repugnant. Si igitur per possibilitatem intrinsecam intelligere velimus naturalem seu essentialem concordiam attributorum rei, etiam creatæ, certum est eam esse intrinsece & in se possibilem. Sed quæstio est de non repugnantia existendi, aut producendi, quæ proprie possibilitas est, & possibilitas Physica, sicut prior Logica, à quibusdam vocatur: Utrum scilicet rei conveniat ex se, & natura sua, an vero ex eo quod sit causa quæ ei existentiam conciliare, seu producere possit. Adeoque an ideo, hoc sensu, res sint possibiles, quia Deus est omnipotens, easve producere potest; an vero ideo eas producere potest, quia sunt in se producibiles, & existentiæ capaces. Et, si de non-repugnantia attributorum essentialium rei loquamur, utrum res ex se solis eam habeant, an ex sola potentia Dei, an (ut quosdam affirmasse memini) ex utraque. De qua sit

Thes. II. *Non repugnantia existendi, seu producibilitas, ex eo duntaxat est, quod sint causæ sufficientes, actu existentes, vel possibiles, per quas res existere & produci possunt:* præcipue ex eo quod Deus sit, sive quod omnipotens sit. Rationes quæ nos à communi sententia discedere movent, sunt quæ sequuntur.

1. Si ulla res creabilis esset, in se, seu intrinsece, possibilis, sequeretur aliquam ejusmodi rem existere posse, etiamsi Deus non existeret. Quod enim in se, & intrinsece, possibile est, secluso omni extrinseco, potest existere.

Ad hoc aut simile argumentum, non neminem respondisse memini, duo ad possibilitatem rei constituendam requiri, scilicet non-repugnantiam, seu producibili-

producibilitatem ex parte sui, & omnipotentiam ex parte Dei. Ex quibus prius rei intrinsecum est, posterius extrinsecum. Unde, ut supra audivimus, distinguunt communiter duplicem rei possibilitatem, intrinsecam, & extrinsecam. Juxta hanc Doctrinam dicere debent, etiamsi Deus non esset, omnes res quæ de facto possibiles sunt, fore in se possibiles, & extrinsece tantum fore impossibiles, seu per accidens, propter non-existentiam causæ quæ sufficientis virtutis sit ad eas producendas. Verum intrinsecam non-repugnantiam, seu producibilitatem, requisitam esse ad possibilitatem rerum, est *id quod quæritur*; & à nobis negatur. Partim quia, ut res sit possibilis, sufficit quod sit aliqua causa actu existens, vel possibilis, quæ eam producat. Sic enim res illa evadit producibilis, nec necessaria est producibilitas intrinseca. Partim quia non constat, nec probari potest, possibilitatem esse compositam ex duplici non-repugnantia, seu producibilitate, alia interna, alia externa. Præcipue vero, quia ex hypothesi illa quod Deus non esset, nulla, res quæ nunc possibilis est, esset ullo modo possibilis, sive extrinsecè, sive intrinsece. Simpliciter enim repugnat, ex. gr. hominem existere sine Deo. Sic enim esset Ens independens, nec tamen esset Deus, quod omnimodo est impossibile. Et rationes sequentes distinctionem illam penitus confodiunt.

II. Prius est Deum esse omnipotentem, quam ullam aliam rem esse possibilem, sive extrinsece, sive intrinsece. Ergo causa & ratio suprema, cur res, præter Deum, possibiles sunt, est quod Deus sit. Et quod res illæ, quæ non nisi à solo Deo fieri possunt, possibiles sint, Existentia Entis omnipotentis est unica ratio. Sicut & eorum quæ non nisi à creatura fieri possunt, Deo concurrente, ut peccare, mentiri, resipiscentiam agere, ratio Deo subordinata, est possibilitas creaturæ, quæ ea facere potest. Ratio autem illa suprema est rebus creatis extrinseca.

Tota

Tota igitur possibilitas rerum à Deo pendet, adeoque ab extrinseco pendet.

III. Omnis demominatio intrinseca oritur ab aliqua forma, aut quasi forma intrinseca. At rei possibili, quamdiu est pure possibilis, nihil potest esse intrinsecum. In statu enim possibili, est purum nihil actu. Denominatio igitur per quam res dicitur possibilis, est unice ab extrinseco, scilicet à virtute primæ causæ.

Dices, in re possibili esse intrinsecam non-repugnantiam seu consistentiam prædicatorum, propter quam est & dicitur possibilis.

Resp. Nulla est absolute & actu in re possibili, quamdiu in statu puræ possibilitatis manet, non-repugnantia, seu consensio prædicatorum; sed tantum potestate, & ex hypothesi quod existeret. Nulla enim prædicata positiva et propria ei in eo statu conveniunt. Ut *homo* in statu possibili non est animal rationale, (nec enim sentire aut ratiocinari potest), nisi potestate: Est enim non-ens, seu non-existens. Ubi autem prædicata nulla sunt, nulla etiam est prædicatorum consensio.

IV. Si creaturæ essent in se possibiles, sine respectu ad causam primam, esset aliqua ratio extra eam, cur potest eas producere; nempe intrinseca illa, quæ supponitur, non-repugnantia, et producibilitas. At posterius est falsum. Est enim ipsa perfectio Dei unica ratio cur potest quidlibet producere. Nec potentia illius pendet ab ulla ratione in rebus extra se, quia est simpliciter independens.

Obj. I. Si creaturæ non sunt intrinsece possibiles, sunt intrinsece non-possibiles, id est, impossibiles. At posterius est falsum.

Resp. Si per *intrinsece* intelligas *seclusa habitudine ad Deum*, concedimus sub illa ratione omnes creaturas esse impossibiles, ut et supra ostendimus.

Obj.

Obj. II. Sequeretur Deum non posse eas producere. Siquidem Deus nihil producere potest nisi quod in se est producibile.

Resp. Negatur sequela. Quia ut Deus possit res producere, satis est quod Deus sit, seu quod omnipotens sit. Probatio non concludit, quia quod sine Deo est impossibile, id possibile est ex eo quod Deus sit: nec alium sensum verum habet quam quod Deus nihil producere potest nisi quod propter perfectionem Dei est producibile.

Obj. III. Si creaturæ non essent intrinsece possibiles, nulla ratio reddi potest, cur homo sit res possibilis, potius quam Chimæra. Potentia enim Dei ad omnia ex æquo extenditur. Adeoque ratio Differentiæ, ex ea unice non oritur.

Resp. I. Quærimus cur Homo possibilis sit, potius quam Chimæra? Respondebis, quia natura humana talis est, ut terminare possit actionem efficientis, non autem Natura Chimærica. At rursus rogamus, unde sit quod homo sit talis naturæ, non autem Chimæra? An ex se talis est? Nos vero contendimus creaturam ex se nihil habere, sive actu sive potestate, sed omnia quæ illius sunt, aut esse possunt, oriri à primo Ente. Quod & omnem Hominem Christianum asserere decet.

II. Respondemus igitur Deum ideo posse producere Hominem, non autem Chimæram, quia est Ens perfectissimum: adeoque non potest operari frustra sine effectu. Si enim per operationem suam Chimæram produceret, per eam purum nihil produceret.

Inst. Si igitur Chimæra intrinsece repugnat à Deo produci, ex lege contrariorum, sequetur hominem intrinsece non repugnare.

Resp. Nec illud sequetur. Quia Homo, cum potestate aliquid sit, pendere potest à causa reali, eamque requirit ut possit existere: at Chimæra, quia sim-

simpliciter nihil est, non potest ab ulla causa pendere, nec ullam requirit ut sit simpliciter nihil.

Obj. IV. Cum Theologi dicunt Deum omnia facere posse quæ non repugnant fieri, insinuant quædam natura sua repugnare ut fiant, quædam non.

Resp. Non sequitur; quia illa dicuntur non repugnare ut fiant, quæ in idea sua non implicant contradictionem: & hæc non-implicantia (si ita loqui fas sit) signum est congruere perfectioni Divinæ res istiusmodi producere. Non autem quod natura sua producibiles, aut possibiles sint, seclusa ratione primæ causæ.

Thes. III. *Nonnulla possibilia sunt ex parte, ob conditionem creaturarum:* seu *quia ab illis solis fieri possunt*, Deo concurrente; Non autem Unice quia Deus est omnipotens. Hujus Generis sunt,

1. Peccata; quæ partim ideo possibilia sunt, quia Deus potest producere, & in agendo sustentare creaturas, quæ non tantum bene, sed etiam male agere possunt. Adeo ut possibilitas peccati ex defectibilitate creaturæ rationalis in agendo, oriatur, licet non ex ea sola.

2. Illa quæ imperfectionem agentis necessario arguunt; ut credere, pænitere, timere, &c.

3. Omnia illa quæ à creaturis fiunt, aut fieri possunt, quatenus ab illis procedunt, modo sibi proprio agentibus. Potest quidem Deus per se, sine creatura, omnia facere, quæ ipse proprie facere potest per eam, ut civitates comburere sine igne; hoc est potest eas immediate in flammam convertere. Et tamen etiam in effectis ejusmodi, quando ministerio creaturarum fiunt, modus quidam operandi ipsis peculiaris est; ut quod operentur cum dependentia à superiori causa; quod agant sine cognitione, & semper quando ac quantum possunt, aut cognitione sibi propria.

Ex decisione hujus quæstionis, duo inferri possunt corrolaria.

1. Numerum rerum possibilium esse infinitum. Potentia enim Divina, ex qua oritur rerum possibilitas, infinita est. At ex opinione opposita de possibilitate intrinseca, non constat de numero possibilium, sitne finitus an infinitus.

2. Omne possibile esse necessario possibile. Ratio est quia Deus necessario est omnipotens.

Quæst. III. *Unde sit impossibilitas in rebus impossibilibus.* Communis sententia dicit, res impossibiles esse in se, seu ex se, impossibiles. Antonius le Grand ideo impossibiles dici existimat, *quia non possunt à nobis distincte concipi, Instit. Philos. parte 4. cap. 2.*

Thes. 1. *Impossibilia, quæ absolute talia sunt, à perfectione Dei ultimo oriuntur:* vel ex primo impossibili, *Deum non esse,* aut *non esse perfectissimum*: ut *quadratum rotundum* impossibile est, quia nulla est causa quæ possit illud producere. Ideo autem Deus non potest, quia est perfectissimus, nec potest operari & nihil efficere.

Obj. Ideo res impossibiles sunt, quia opposita sunt possibilia, vel necessaria. Adeoque *Quadratum rotundum* est impossibile, quia *quadratum non rotundum,* aut *rotundum non quadratum* est possibile.

Resp. Hæc quidem ratio impossibilitatis dici potest. Verum cum possibilitas in virtute divina fundetur, in ea etiam ultimate fundatur impossibilitas quæ ex oppositorum possibilitate oritur.

Thes. II. *Impossibilitas Hypothetica ultima resolvenda est in voluntatem Divinum,* ut impossibile est Electos seduci, quia Deus decrevit eos à seductione conservare. Et, licet ratio proxima impossibilitatis esse possit, quod oppositum vel actu sit, vel futurum sit, (ut ideo sedentem stare in sensu composito impossibile est, quia supponitur eum jam sedere), quia tamen ex voluntate & providentia divina est, quod res

existat

existat actu, vel futura sit, idcirco in eam refundenda est impossibilitas opposita.

Thes. III. *Creaturæ hoc vel illud est impossibile*, ut Homini vel angelo totum Universum de loco suo pellere; *propter virtutis activæ vel passivæ limitationem*: vel *propter defectum aliquem privativum*, sive culpabilem, sive non. Sic impossibile est cæcum videre, quamdiu cæcus est. Aut irregenitum præstare opera spiritualiter bona.

Corrolarium, I. Licet ex hypothesi illa abominanda, *Deum non esse*, nihil esset possibile, ut in quæstione secunda statuimus, non tamen ex ea sequetur nihil etiam esse impossibile, ut contendit *Rhetorfortis* noster, *Disquis. Metaph. quæst.* 5. Quin ex adverso sequeretur omnia esse impossibilia. Primo enim impossibile esset Deum esse, quia impossibile est id quod non est, acquirere ut sit, sine aliquo efficiente. Deinde impossibile esset ullam creaturam esse, quia nullus esset Creator.

Obj. Si nullum esset possibile, nullum esset impossibile quod ei repugnaret, aut ipsum negaret, sive quod esset illius negatio: nec enim esset aliquod possibile increatum, ex hypothesi; nec creatum, quia nihil esset quod illud produceret. Si nulla esset affirmatio prior, omnis posterior negatio esset impossibilis; & si tollas omne Ens, tollas necesse est non-Ens.

Resp. Mira est ista ratiocinatio; in qua non semel supponitur id ipsum quod impugnatur. Si enim ex hypothesi facta, omnis negatio foret impossibilis, an non aliquid esset impossibile? Et, si sublato omni Ente, tollitur omne non-Ens, vel necessario tollitur, vel non. Si non necessario, tum possibile foret purum non-Ens, seu impossibile. Si necessario: tum non-Ens esset impossibile. Deinde contrarium manifeste concluditur ex medio quod hic adhibetur. Nam si nihil esset possibile, omnia essent non-possibilia, hoc est omnia essent impossibilia. Si nulla esset affirmatio, omnes negationes

essent; si nullum esset ens actu, vel potestate, omnia essent simpliciter non-entia. Quin si nullum esset possibile, id ipsum quod nunc est possibile esset impossibile, & repugnaret sibi ipsi, seu seipsum negaret, hoc est esset suiipsius negatio. Ad argumentum igitur respondetur, omne impossibile negat aliquod quod nunc est possibile, adeoque cui nunc repugnat, esto; quod est possibile, etiam ponitur illius negatio, ut in hypothesi, negatur. Ex ea enim, ut jam diximus, id quod nunc est possibile, esset sui ipsius negatio, seu impossibile.

Corrolarium II. Non ideo res impossibiles sunt, aut dicuntur, quod non possint à nobis distincte concipi.

1. Quia nonnulla impossibilia satis distincte concipiuntur: ut negatio plurium substantiarum in Unica Divina Essentia, distincte concipitur, tum ab Antitrinitariis qui eam asserunt, tum ab Orthodoxis qui eam ex Scripturis impugnant.

2. Quia licet quædam possibilia nequeant distincte concipi, (ut illa quorum impossibilitas ex immediata significatione terminorum manifesta est, ex. g. *quadratum-rotundum*, *effectus independens*), aliunde tamen habent quod impossibilia sint, scilicet quod à nulla causa produci possint.

3. Quia non constat omnia possibilia à nobis distincte concipi posse: Aut capacitatem mentis nostræ, & possibilitatem rerum, ac potentiam Divinam, commensurari. Ex. gr. numerus creaturarum infinitus forte possibilis est, (nec enim eo concesso sequeretur Deum nullam aliam creaturam producere posse; posset enim alium numerum finitum vel infinitum producere) nec tamen numerus infinitus à nobis distincte concipi potest. Quin & nonnulla actu existunt, quæ distincte à nobis concipi nequeunt; ut omnipotentia, & immensitas Dei, Unio animæ & corporis, cogitationes & volitiones nostræ.

Quæst.

Quæst. IV. *An res possibilis & actu existens sint realiter idem.* v. g. Petrus in statu possibili, & Petrus in statu existentiæ actualis. Affirmant communiter, sed cum distinctione. Dicunt enim rem possibilem esse concretum quoddam; Et pro materiali, seu in recto, dicere ipsam entitatem rei quæ existere potest; pro formali vero, seu in obliquo, carentiam existentiæ actualis, cum non-repugnantia ad eam habendam: sic *Derodon.* 1. *part. Metaph. sect.* 16, 17. *Arriaga* tamen *Disp. Metaph.* 2. *sect.* 1. dicit Entitatem quam res possibilis, pro materiali, seu in recto significat, esse illam quam res in statu possibili, non quidem actu habet, sed haberet si existeret: Et eandem esse cum re actu existente, non pro eo tempore quo possibilis est, sed pro eo quo actu existit. Sit in hac quæstione,

Thes. I. *Eadem est res in conceptu nostro, sive possibilis tantum sit, sive futura, sive actu existat.* Ut *Homo*, antequam existit, & postquam natus est. Ratio est, quia concipimus res per Attributa sua propria; adeoque abstracte ab earum possibilitate, futuritione, & existentia actuali. Tum quia illa omnia sunt affectiones rerum communissimæ; tum etiam, quia quævis ex iis determinate, ex accidenti rebus convenit. Unde idem conceptus quo rem existentem concipimus, ad eandem, ut quæ fuit prius possibilis, aut futura, concipiendam inservit, & vicissim Architectus enim eandem ideam habet domus extruendæ, & extructæ. Et in quovis statu, Unica est idea propria cujusque rei, nec aliam veram formare possumus.

Thes. II. *Res in statu possibili, nullo modo est realiter idem cum re actu existente:* scilicet nec pro materiali, aut in recto; nec pro formali, seu in obliquo sed tantum potestate; & in conceptu nostro. Ratio est, quia id quod non existit, nullo alio modo idem esse potest cum eo quod existit. At tota res in statu possibili non existit.

 Obj.

Obj. Idem Petrus qui fuit possibilis, nunc existit, non autem alius.

Resp. I. Petrus possibilis nec fuit idem cum Petro nunc existente, nec alius positive; sed non ens, seu nihil actu.

II. Sensus igitur hujus effati, *idem Petrus qui fuit possibilis, actu existit,* hic est, vice Petri qui fuit nihil, & esse potuit, nunc est Petrus actu existens.

Instantia. Cum producitur res aliqua, illa ipsa producitur quæ prius produci potuit, seu quæ fuit producibilis, non autem alia quæ non fuit producibilis. Non igitur verum est, aliquid duntaxat vice illius produci.

Resp. Cum producitur res, nec producitur illa quæ non fuit producibilis, nec omnis quæ fuit producibilis, sed aliqua quæ fuit producibilis. Cujus tamen verus sensus tantum est, produci id quod denominabatur producibile, ex virtute causarum quæ eam producere valebant; non autem, quod antequam producebatur, idem fuit cum eo quod postea fuit productum: Sive causam producere aliquid quod producere potuit. Unde & cum aliquid producitur, manifestum est vice *nihil* aliquid produci, & vice illius quod nunc productum est, fuisse nihil.

Thes. III. *Res possibilis non est eadem Entitas, quam ipsa haberet si existeret.* Ratio est manifesta, quia Entitas, quam res possibilis haberet si existeret, est Entitas actualis. At res possibilis non est Entitas aliqua actualis. Dices non est Entitas actualis absolute; est tamen ex hypothesi quod existeret.

Resp. Responsio ista est nugatoria, nec quidquam aliud significat, quam rem possibilem postquam existit, esse Entitatem actualem seu existere. Deinde etiam res impossibilis, ex hypothesi quod existeret, esset eadem cum Entitate aliqua actuali. Assertio igitur illa Arriagæ nihil facit ad naturam rei possibilis explicandam.

DIS-

DISPUTATIO VI.

De Rebus Futuris & Futuritione.

Quæst. I. Q*Uid sit Futuritio,* seu *rem aliquam esse futuram ?*

Resp. *Comptonus, Log. Disp.* 46. *sect.* 1. *Rem non ideo dici futuram, quasi jam existeret aliqua illius Futuritio, sed mere ex eo quod aliquando erit. Est proinde Futuritio rei, existentia illius in tempore aliquo sequenti, connotando negationem existentiæ in instanti præsenti,* Et probat illud Hericæ, Antichristus est futurus, *si omnes voces proprie sumantur falsum est. Perinde enim sonat, ac* Antichristus est erit. *Verbum enim* est *notat aliquid de præsenti ; Participium vero* futurus *hoc totum negat. Strangius* de vol. Dei circa pec. l. 3. c. 9. Dicit *futuritionem non esse Ens simplex, sed complexam sententiam, nempe alquid esse futurum.*

Thes. I. *Futuritio non est sententia complexa,* seu propositio sed aliquid simplex. Non enim constat subjecto & prædicato, sed est affectio quædam simplex, & abstracta rei quæ futura est, ut per se patet. Nec est vera vel falsa Logicè, ut propositio omnis, sed Metaphysicè. Unde nec verum est nihil aliud esse quam aliquid esse futurum. Nam *aliquid esse futurum* notat rem futuram & Futuritionem simul. At Futuritio per se minus notat. Si vero per aliquid esse futurum, intelligamus *esse futurum*, seu *esse* quod futurum est, nec verum erit hoc esse ipsam futuritionem. Nam *esse* qnod est futurum, est *esse actuale* rei existentis. At Futuritio non est ejusmodi *esse*. Est enim Attributum rei nondum existentis.

Thes. II. *Futuritio rei non est existentia illius in tempore sequenti, connotando negationem ejusdem in præsenti.*

1. Quia Futuritio rei non est futura. At existentia rei in tempore sequenti, est futura: & quidnam sit illius futuritio, est id quod quæritur.

2. Res futura habitura est existentiam tempore sequenti; at non est habitura futuritionem tempore sequenti siquidem illam jam habet de præsenti.

Obj. Futuritio rei non existit de præsenti: Est enim affectio quædam rei non existentis.

Resp. Non existit ut res absoluta & positiva concedimus: ut negatio & *Habitudo* quædam negatur. Solent autem ipsæ negationes & habitudines rerum dici existere, & esse, suo modo; ut cum dicimus ante quam existit res positiva, existere & esse illius negationem: & destructa forma è subjecto, existere, & esse dicitur illius privatio.

Thes. III, *Est* igitur *Futuritio, denominatio extrinseca, afficiens id quod actu quidem nihil est,* nempe rem quæ nunc non est, sed erit, *orta ex existentia illius in tempore sequenti.* Adeoque partim includit negationem existentiæ, partim denominationem illam per quam res extitura dicitur: utrumque autem de præsenti, & quovis instanti antequam res existit actu. Hinc futuritio est determinatio quædam rei possibilis ad existentiam habendam in tempore sequenti. Cum res ut pure possibilis, sit indifferens, & indeterminata ad existendum, vel non.

Hinc etiam, licet verum non sit *Antichristus est futurus*, quia jam multis sæculis in Ecclesia Romana dominatus est, ex hypothesi tamen quod esset futurus, verum esset eum esse futurum. Nec propositio illa perinde sonat, ac *Antichristus est erit.* Hoc enim nullum sensum facit, nec verum nec falsum.

Quæst. II. *An futuritio rerum sit ab æterno.* Negat D. *Strangius* loco proxime citato. *Futuritio* (inquit)

quit) *rei futuræ non est ab æterno, sed in tempore.* Concedimus quidem existentiam rei futuræ esse in tempore. At (sitque Thesis)

Futuritio omnis rei Futuræ est ab æterno: & omne futurum ab æterno fuit futurum. Patet, Quia si futuritio rei incipiat in tempore, vel in eo solo tempore in quo res primo existit, vel citius. Si prius, sequitur nihil unquam fuisse, aut nunc esse futurum. Nam in eo instanti quo res incipit existere, non est amplius futura simpliciter, (licet porro duratura sit), sed præsens. Si posterius, rogamus quando id quod futurum est, cæpit esse futurum? Si mille annos ante quam extitit actu, cur non duo millia, aut centum, & sic porro in æternum à parte ante? Nec major ratio est, cur judicium extremum nunc sit futurum, quam quod semper fuit futurum.

Objicit *Strangius* I. *Omne Futurum est in tempore futurum.*

Resp. Omne Futurum quando actu existit, est in tempore: at non quando & quamdiu est pure futurum.

Obj. II. *Si fuit aliqua Futuritio rei ab æterno, ubinam existebat? vel enim fuit in Deo, vel extra Deum. Si in Deo, vel in scientia Dei, vel in illius voluntate, seu decreto. Non in Scientia: Quia prius res est futura, quam scitur à Deo esse futura. Non in voluntate; quia Deus non voluit omne futurum esse futurum; ut lapsum Adami, peccatum in Spiritum sanctum. Non extra Deum, quia ab æterno nihil fuit extra Deum.*

Resp. I. Retorquendo argumentum. Si possibilitas rerum fuit ab æterno, ubinam fuit? Non extra Deum, quia nihil extra eum fuit ab æterno. Non in Deo; nec enim in scientia illius fuit, quia prius res sunt possibiles quam sciuntur esse possibiles; nec in voluntate quia Deus non vult omnia possibilia existere; nec denique in potentia, nisi virtualiter, hoc est, fuit in Deo virtus productiva

omnium possibilium: at formaliter in illa non fuit.

II. Dicimus igitur, Futuritionem ut notat negationem existentiæ, nullibi fuisse positive, ubique tamen negative. Ut autem denotat denominationem extrinsecam, & *habitudinem* quandam rei nondum existentis, ad Dei voluntatem, vel effectivam, vel permissivam, fuisse, ut omnis habitudo & relatio, in suis terminis relatis, partim scilicet in re possibili, partim in Dei voluntate, in qua res ipsa quæ futura erat, esse objectivum habuit, sicut res possibiles in divina potentia, & scientia; ad quam, licet non existant, *habitudinem* quandam connotant.

Obj. III. Futuritio illa ab æterno, nec fuit Deus, nec creatura: Ergo nullo modo fuit.

Resp. I. Judicium extremum *nunc* nec est Deus, nec creatura. An igitur nulla nunc est judicii illius Futuritio?

II. Omnis res absoluta, & positiva, vel est Deus, vel creatura, non autem omnis negatio, aut denominatio, ut ex antedictis liquet.

Inst. At difficile est percipere illam *habitudinem* in qua futuritionem locas.

Resp. At longe difficilius est percipere, rem futuram non esse futuram, antequam existit actu.

Obj. IV. Futuritio rei ab æterno nihil aliud est quam veram ab æterno fuisse hanc propositionem; *hoc est futurum.*

Resp. At sic datur id quod quæritur. Si enim vera fuit ab æterno illa propositio, scilicet in mente divina, (alias enim non potuit esse vera Logice), palam est objectum fuisse ab æterno ipsi conforme: Adeoque fuit aliquid futurum ab æterno: futurum autem sine futuritione esse nequit.

Corrolarium. Omne Futurum est necessario Futurum; non quidem absolute, sed ex hypothesi aliqua, scilicet quod causa rei vel jam determinata sit, vel determinanda, ad illius productionem. Unde & futurum

eodem

eodem modo necessario est futurum, quo res existens actu necessario existit: nempe ex hypothesi quod sit Futurum. Absolute enim loquendo, potuit Deus à quo omnia futura pendent, statuisse nihil esse futurum. Siquidem non necessario operatur, aut opera sua decernit, sed libere.

Obj. Si omnia futura necessario sint futura, tollitur contingentia eventuum, & libertas creaturarum rationalium. Per fatalem enim necessitatem rei futuræ, ad unam partem alligantur.

Resp. Negatur consequentia; quia futurum contingens dicitur, non quia nulla ratione necessario evenit, sed quia futurum est per causas contingenter operaturas: Unde sicut ex hypothesi quod futurum sit, necessario evenit, ita etiam necesse est ut contingenter eveniat. Nec necessitas hypothetica rei futuræ tollit libertatem agentium rationalium. Licet enim illa, ex hypothesi quod unam partem electura sint, necessario eam eligent; libere tamen eandem eligent, & ita ut alteram eligere possent si vellent, possentque etiam alteram velle. Ponamus ex. g. Petrum cras disputaturum, non minus libere actionem illam decernit, & ad eam se determinat, quam si nec futurum esset ut disputet, nec non futurum.

Quæst. III. *An sit aliqua causa cur res futura sit, & quænam?*

Respondet *Strangius de Vol. Dei circa Pecc. lib. 3. cap. 9. Non esse absurdum dicere aliquid esse futurum, cujus nulla est causa proprie loquendo; ut defectum, & peccatum formaliter sumptum.* Addit tamen *easdem esse causas rei, in quacunque temporis Differentia consideretur.* Unde sequetur easdem esse causas rei futuræ, ac præsentis. In specie autem *de actionibus malis,* quatenus sunt tales, dicit *causam cur futura sint, esse voluntatem creatam.* Pleriq; è nostris asserere videntur causam cur res sunt futuræ, esse voluntatem vel decretum Dei, quo voluit res evenire, se vel efficiente, vel permittente. Jesuitæ

contra

contra affirmant, quædam esse futura saltem conditionate, ante omne decretum Dei de eorum futuritione. In quæstione hac satis quidem difficili sit.

Thes. I. *Si proprie & stricte, de causa loquamur, nulla est causa rei futuræ, quatenus est futura.* Ratio est, quia non-Entis nulla proprie est causa, præsertim efficiens, de qua in quæstione præsenti præcipue agitur. At res futura, quatenus & quamdiu est futura, est non-ens actu.

Thes. II. *Datur tamen ratio aliqua cur res futuræ sint, potius quam pure possibiles:* seu cur è statu puræ possibilitatis transeant quasi in statum futuritionis, & detrminationem accipiant ad existendum tempore aliquo sequenti. Nec enim ista rerum conditio, qualiscunque tandem sit, omni ratione carere, aut suiipsius ratio esse potest. Sic enim natura sua res essent futuræ. Et ratio illa *causa* dici potest, latiori acceptatione, cur futuræ sint; eo modo quo medium in Syllogismo est causa conclusionis.

Thes. III. *Cum multæ sint rationes & causæ, diversi ordinis, cur res sint futuræ, Causa & ratio proxima est illa ipsa quæ efficit ut res actu existat.* Ut causa proxima lucis futuræ est corpus lucidum futurum: Causa proxima Domus futuræ, est actio ædificatoris futura. Certum igitur est ideo res esse futuras quia futuræ sunt causæ in actu, seu actiones causarum, per quas sunt producendæ, & extituræ.

Obj. At causæ proximæ in actu non sunt: ergo non possunt esse causæ rei futuræ.

Resp. Non possunt quidem, quamdiu non existunt aut non agunt, causare ut res actu existant. Possunt tamen si futuræ sint in actu, esse causæ cur res sint futuræ. Sicut causa possibilis licet actu nihil sit, effectum reddit possibilem.

Thes. IV. Verum, cum causæ proximæ rerum futurarum, ipsæ futuræ sint, adeoq; de illis etiam pro-

cedat

cedat quæstio, dispiciendum est, an sit aliqua causa seu ratio suprema, cur res quædam futuræ sint, ac non maneant, cum aliis ejusdem ordinis, in censu pure possibilium. Dicimus igitur, *Omnium Futurorum, præter peccatum qua peccatum est, seu anomiam creaturarum rationalium, causam & rationem supremam esse Voluntatem Dei.* Hoc est ideo res ejusmodi esse futuras, quia Deus voluit esse futuras.

Patet *Thesis*, primo de iis quæ deus ipse operaturus est, aut fuit, sine societate (si ita loqui fas sit) creaturarum, ut de mundo creando. Voluntas enim Dei applicans potentiam suam, (ut ita loquamur) ad agendum, est causa cur res istiusmodi existant: Ergo eadem voluntas, prius quam potentiam exeruit, fuit causa cur erant futuræ.

Patet etiam de iis quæ futura erant, aut sunt, per causas secundas, Deo concurrente. Voluntas enim Dei est suprema causa, & ratio, cur causæ secundæ extituræ, & operaturæ sint. Cum igitur, per voluntatem & Decretum Dei, omnes causæ creatæ, seu secundæ præparentur, manifestum est, illam esse supremam rationem cur res per causas illas sint futuræ. Quocirca, ut potentia, vel potius existentia Dei, est ratio suprema cur aliquid sit possibile, ita etiam voluntas, seu Decretum, est causa, seu ratio, cur futura sint illa omnia quæ eveniunt in tempore, modo non sint moraliter mala.

At *consentaneum est* (inquit Strangius) *ut rei futuræ statuatur causa futura.*

Resp. Licet quædam causæ rei futuræ, nempe quæ internæ, aut efficientes proximæ, statuendæ sint futuræ, consentaneum tamen esse nequit, ut de omnibus ita statuatur. Causa enim suprema est voluntas primæ causæ, ut jam ostendimus: illa autem nec est nec unquam fuit, proprie, & pure, futura, sed semper præsens. Urget Strangius. *Causam rei præteritæ, esse præteritam: Ergo* etiam *causa rei futuræ, est futura.*

Resp.

Resp. Neg. conseq. ob rationem disparem. Res enim præterita jam facta est: adeoq; necesse est causas illius omnes requisitas præcessisse in actu. At res futura nondum facta est: potest autem aliqua ex causis rei esse tempore prior effectu, licet omnes non possint.

Hinc illud ejusdem viri docti & acuti, *eadem sunt causæ rerum, in quacunq; temporis differentia spectentur*, verum quidem est, si de generibus causarum loquamur; ut Deus & ignis sunt causæ combustionis, futuræ, præsentis, & præteritæ. At si de conditionibus causarum loqui velimus, ut scilicet futuræ, præsentes, aut præteritæ sunt, potest id quod præsens est, esse causa rei futuræ, qua talis. Sicut aliquid præteritum solet esse causa moralis effectûs; tum futuri tum præsentis; ex. g. culpa dudum commissa, est causa pœnæ futuræ & præsentis.

Thes. V. *Mali moralis qua talis, nulla causa per se assignari potest, cur futurum sit, præter ipsam determinationem futuram voluntatis creatæ*, per quam se determinat, ad actum, vel defectum indebitum, in tempore. Nec enim dicendum est voluntatem Divinam, etiam permissivam esse causam peccati futuri; licet sine illa nullum peccatum eveniat. Sic enim esset etiam causa, seu ratio cur peccatum in tempore committitur, quod falsum est. Voluntas enim Dei, non aliter est causa rei futuræ, nisi quatenus vel ipsa determinatur, aut determinatura est potentiam, ad eam efficaciter procurandam, aut efficiendam in tempore.

Sed quæ res porro, cum determinatio illa voluntatis sit etiam futura, quænam illius causa aut ratio sit?

Resp. Plures rationes & causæ assignari possunt, diversi ordinis. Ut causæ & rationes objectivæ, sunt omnia motiva futura quæ voluntatem inclinatura sunt, ad actum, aut omissionem culpabilem: Causa non impediens est voluntas Dei permissiva. Sed nulla ex his, vel quibuslibet aliis, seclusa voluntate creaturæ,

est

est, causa aut ratio necessaria peccati futuri: nec omnes simul causam aut rationem adæquatam constituunt, licet omnes ad ipsum quadantenus concurrant. Causa autem occasionum peccandi, quæ per se bonæ sunt, est Deus, reliquorum quæ moraliter mala sunt, causa primaria est ipsa voluntas creaturæ. Cur autem se determinatura sit ad malum, nulla est causa præter voluntatem ipsam, libertate propriâ abutentem, & sponte sua convertentem ad malum. Ex eo igitur quod, concurrentibus causis supra memoratis, sponte se conversura sit ad malum, verum est peccatum esse futurum.

Obj. I. Nihil temporarium potest esse causa ejus quod est ab æterno. Omnis enim causa est prior effecto, vel tempore vel natura: & prout est in actu, semper est tempore simul. At futuritio mali moralis fuit ab æterno: determinatio vero voluntatis ad peccandum est in tempore. Ergo,

Resp. Non dicimus determinationem illam voluntatis in tempore, esse *causam* proprie peccati futuri, sed tantum *rationem* quandam cur futurum sit. Futuritio autem illa non est res aliqua absoluta, actu existens ab æterno, sed tantum denominatio quædam extrinseca, ut supra diximus; cujus idcirco aliquid in tempore existens ratio esse potest: sicut, quod res aliqua hodie desinat existere, ratio est cur denominatur præterita in æternum. Ratio enim denominationis, aut relationis alicujus, posterior sæpe tempore est quam denominatio ipsa: ut in causis quibusdam moralibus patet: illis scilicet: quæ effectu posteriores tempore sunt; ex. g. in promissis, & contractibus.

Obj. II. Deus vult non tantum permittere peccatum, seu permissionem suam, sed etiam peccatum ipsum evenire, ut ex eo bonum eliciat. Voluntas igitur ipsius est ratio suprema cur peccatum eveniat. Posita enim voluntate illa, quæ frustrari nequit, necessario evenit peccatum. Sic multi è nostris arguunt.

Respondent

Reſpondent alii, Deum nullo modo velle peccatum ipſum; ſed tantum ſuam permiſſionem, & bona quæ ex peccato elicit. Hæc reſponſio prima quidem fronte plauſibilis eſt. Sed reclamare multis in locis videtur ſacra pagina. Reclamat & ratio. Si enim Deus peccato utitur ad fines quoſdam inſignes procurandos, poſſetque ipſum impedire ſi velit, palam eſt eum aliquo modo velle peccatum evenire licet ipſum ex ſe nullo modo amet, aut probet. Interim tamen minime ſequitur, voluntatem ipſius eſſe cauſam, aut rationem neceſſariam, aut in ullo alio genere, quam quod non impediat, aut occaſiones ex ſe innoxias creaturæ objiciat, aut merentem deſeri deſerat, cur peccatum vel futurum ſit, vel in tempore eveniat. Vult enim peccatum evenire per ſuas cauſas, quæ aliæ per ſe eſſe nequeunt, quam ſpontanea deflexio voluntatis creaturæ: Dici etiam poteſt Deum non velle peccatum evenire, niſi quod eventurum prævidet: ſi caſum excipias in quo peccatum, peccato punire vult.

Inſt. Voluntas Dei eſt cauſa ſuprema omnis boni futuri: cur non igitur etiam mali.

Reſp. Quia Deus omnis boni quod in tempore evenit, Autor eſt; vel ipſe ſolus efficiendo, vel cauſas ſecundas movendo ut efficiant. At mali moralis Autor in tempore eſſe nequit, adeoque nec velle poteſt: nec creaturas rationales movet, incitat, aut impellit ad malum, nec efficit ut illæ male agant. Verum de re Theologica hic nimis diximus, niſi quod quæſtio illa non potuit aliter, niſi valde mutilate, tractari.

Quæſt. IV. An omnia futura Deo præſentia fuerint, ab æterno? Affirmârunt multi ex Patribus antiquis. Hinc inter Scholaſticos mota eſt controverſia, de modo hujus præſentiæ. *Aquinas,* cum ſectatoribus, dicunt futura eſſe Deo præſentia, etiam ſecundum eſſe *reale: Scotus* vero, ſolum ſecundum eſſe *objectivum. Thomiſtis,* è noſtris nonnulli adſtipulantur,

lantur, inter quos est *Strangius De Vol. Dei circa pecc. lib. 3. cap. 7.*

Thes. I. *Futura omnia,* etiam quæ maxime contingentia sunt, *à Deo* non minus *certo & perfecte præsciebantur,* quam si ipsi præsentia fuissent secundum esse reale. Nec credibile est patres antiquos, per præsentiam futurorum apud Deum, aliud intellexisse! sed Thesin hanc Theologis probandam, & contra Socinianos tuendam relinquimus. Nobis in præsenti argumentum satis efficax est pro illius veritate, quod Scientia Dei perfectissima sit.

Thes. II. *Res* tamen *futuræ, secundum esse reale, nullo modo Deo præsentes fuerunt, ab æterno.* Contraria assertio adeo inconsulta est, & ab omni captu humano remota, ut in ea refutanda supervacaneum sit immorari. Si enim futura Deo præsentia fuerunt ab æterno, secundum esse reale, necesse est ut existentiam actualem habuerint ab æterno, seu quod æternitati coextiterint, ut nonnulli è Scholasticis insulsê affirmant. Sic autem nullum futurum unquam fuit futurum, nec ulla fuisset eorum præscientia, in Deo.

Respondent adversarii, nihil esse futurum respectu Dei, sed tantum respectu temporis sequentis.

Replicamus nihil quidem esse post Deum, eo sensu quo una res dicitur posterior tempore, ad aliam quæ non amplius existit. Existunt tamen actu res, quæ ab æterno erant futuræ, nonnisi infinito intervallo temporis (ut ita loquamur) postquam extitit Deus, adeoque etiam ad eum, dici possunt futuræ fuisse, ut per se patet. Deinde si res fuerunt futuræ, ratione temporis secuturi, hoc est quoniam in eo primo erant extituræ, & tempus illud non coextitit Deo ab æterno, non fuerunt ei ab æterno præsentes: Extituræ enim erant in certo illo temporis articulo, & ad eum prima earum existentia fuit allegata, nec ante fuerunt præsentes.

Replicant

Replicat Strangius. "Non ita abſurdi erant Tho-
"mas, & Thomiſtæ, ut exiſtimarent res futuras ex-
"titiſſe, ſecundum reales ſuas exiſtentias, ab æterno,
"vel antequam exiſterent : Sed hoc volunt, æterni-
"tatem cum ſit tota ſimul permanens, & omne tem-
"pus complectatur, attingere etiam rerum futurarum
"actualem exiſtentiam. Adeo ut quod eſt præteri-
"tum, aut præſens, non prius occurrat æternitati,
"quam id quod eſt futurum ; quoniam, ratione æ-
"ternitatis, nihil eſt prius, aut poſterius.

Reſp. I. Verum eſt Thomiſtas non dicere expreſſe, res futuras extitiſſe actu, antequam extiterunt actu : per conſequens tamen idipſum dicunt : idipſum etiam dicit Strangius, cum affirmat pag. 598. *Futura contingentia, ſecundum realem, & actualem ſuam exiſtentiam, eſſe Deo ab æterno præſentia.* Quid illud aliud eſt, quam quod actu exiſtebant cum Deo ab æterno, ſeu quod præſentia ei fuerint per totam æternitatem.

II. Effatum illud *æternitatem eſſe totam ſimul*, ſeu unum inſtans indiviſibile, à nemine poteſt intelligi, aut explicari : nec concludunt rationes, quæ in confirmationem illius adducuntur ; ſunt vero in oppoſitam rationes quibus nihil ſolide reſponderi poſſit. Sic enim æternitas non eſſet longior unico momento temporis : Omnia quæ exiſtunt in tempore coexiſterent ; & nihil eſſet prius, aut poſterius in tempore. Siquidem quæ coexiſtunt eidem tertio ſingulari, ſibimetipſis etiam coexiſtunt.

III. Dum æternitas dicitur *tota ſimul permanens*, innuitur & conceditur in eo diviſibilitas quædam, quod enim ſemper manet, continuam habet durationem. Continuitas autem ſine partibus concipi nequit.

IV. *Æternitas* quidem *complectitur omne tempus*, ut totum ſuas partes : ſed non complectitur omne tempus in unico indiviſibili momento, ut contraria ſententia

tentia insinuat; nec omnis pars temporis coexistit seu præsens est toti æternitati. Sic enim dies hodiernus esset æternitati æqualis; nec ullæ essen temporis differentiæ. Omne igitur tempus est pars æternitatis.

V. *Æternitas*, secundum partem aliquam sui, *attingit existentiam rerum futurarum*, sed non secundum se totam. Sic enim existentia rerum futurarum esset ab æterno. *Nec prius occurrit* toti *æternitati præteritum, aut præsens*, quam futurum, quia nullum ex his *toti* unquam occurrit: prius tamen occurrit parti alicui æternitatis, id quod prius existit, quam id quod posterius: alioqui præsens & futurum simul existerent.

VI. *Ratione æternitatis nihil est prius, aut posterius*; hoc est nihil existit ante totam æternitatem, nihil tota exactâ, existit, concedimus: in ipsa æternitate non potest esse duratio prior, & posterior, negamus. Quin è contra, in æternitate à parte ante, est prius, & prius, in infinitum; & in eadem à parte post, est posterius, & posterius, in infinitum. An non enim spatium quod a principio mundi excurrit, est pars quædam æternitatis? in illo autem est prius, & posterius. Alioqui omnes creaturæ omnibus sæculis coextitissent, & nulla fuisset successio.

Objicitur porro, *Deum Scientia intuitiva cognoscere res futuras, secundum existentias reales: Sunt igitur ei præsentes.*

Resp. Argumentum debile. Et eodem medio contendere possent Thomistæ, omnes res possibiles, secundum existentias reales, esse Deo, præsentes. Deus enim non minus intuitive novit & videt omnes res possibiles, seu existentias earum possibiles, quam existentias futuras rerum futurarum Ex perfectione igitur divinæ scientiæ, non colligitur præsentia realis rerum nondum existentium ad Deum: novit enim perfectissime cogitationes hominum à longinquo, Psal. 139. Et quod

L omnia fu-

futura intuitive cognoſcat, indicat tantum eum non minus perfecte ſcire quæ longiſſime abſunt, quam ſi realiter eſſent præſentia, hoc eſt actu exiſterent.

Quæſtio V. Cum diſtinguant Scholaſtici, præſertim Jeſuitæ, Futura, in *Abſoluta*, & *Conditionata*, & hæc rurſus in *Neceſſaria*, & *contingentia*; (neceſſaria autem vocant, quæ ſunt in materia neceſſaria, cum ſcilicet conditio habet neceſſariam connexionem cum re, quæ ex ea pendet; ut *ſi Sol orietur dies erit:* Contingentia, cum conditio non habet neceſſariam, aut infallibilem connexionem cum re; ut, *ſi Petrus cras inciderit in tales ſocios, peccabit*); *Quæritur* inquam, *quid de ejuſmodi futuris conditionatis contingentibus ſentiendum ſit.*

Theſis I. *Si ponamus, futuras eſſe omnes conditiones requiſitas ut res aliqua exiſtat, licet poſitis illis non neceſſario, ſed contingenter tantum ſequatur, poteſt res illa eſſe futura, & ſæpe futura eſt.* Ut ſi Petrus in ebrietatem pronus ſit, & in alios inciderit ebrietati deditos, qui & illum una ad immodicæ potandum pellecturi ſint, & Deus animum illius ad reſiſtendum tentationi efficaciter non inclinaverit, futurum eſſe poteſt, ut conſentiat: ſæpius etiam, ſi non ſemper, futurum eſt. Licet contingenter & libere conſentiat. Sic futurum fuit, ut primi noſtri parentes à ſerpente ſeducti, Deo non impediente, de fructu vetito comederent. Et Deus ab æterno præſcivit, poſita tali tentatione, & ſe non impediente, fore ut conſentirent.

Theſis II. *Res tamen non eſt, etiam conditionate, futura, ex una aliqua conditione, licet talis ſit quæ aliquid conferat ad illius eventum*; niſi reliquæ conditiones neceſſariæ ponantur. *Ut Petrum, ſi congruenter rogabitur, daturum eleemoſynam; Si inciderit in tales ſocios, peccaturum.* Vera enim iſta non ſunt, niſi ſuppoſitis reliquis conditionibus requiſitis. Si enim egenus, aut minime liberalis ſit, ſi perſonam petentem oderit,

rit, &c. non daturus eſt eleemoſynam : ſi ad peccatum illud ad quod tentabitur, nullam habeat propenſionem ſpecialem, aut animo averſo, ex accidenti aliquo ſit ; ſcilicet ex avaritia forte, vel ſuperbia, vel metu amicorum, aut ſuperiorum ; & imprimis, Si Deus, ex gratia ſua, animum illius, adverſus tentationem obfirmaverit, non conſentiet. Unica igitur ex conditionibus requiſitis poſita, non ſequitur aliquid eſſe futurum. Quin neque poſſibile. Nam poſſibile non eſt effectum ſequi, niſi poſitis omnibus cauſis, & conditionibus requiſitis : Nihil enim eſſe poteſt, niſi per cauſas ſufficientes, ſi modo per ullas cauſas eſſe poſſit.

Theſis III. *Multo minus futurum eſt aliquid conditionate ex conditionibus quæ non ſunt ponendæ ſeu futuræ,* (ut *Antichriſtum ſalvatum iri ſi in gratia deceſſerit*). Sed tantum eſſet futurum. Quod autem ſolum eſſet futurum, non eſt futurum, ſed ad ſummum poſſibile. Nec in hiſce demonſtrandis opus eſt immorari, cum ex paucis illis quæ diximus, cuivis intellectui bene diſpoſito ſatis ſint manifeſta.

DISPUTATIO VII.

De Eſſentia & Exiſtentia : ubi & de re Præterita.

Quæſt. I. Q*Uid ſit exiſtentia ?* Communiter reſpondetur Exiſtentiam eſſe, *per quam res formaliter ponitur extra ſuas cauſas* efficientes. Dicunt autem Cauſas efficientes, quia extra cauſas internas, materialem & formalem, nihil eſſe poteſt, quod

quod ejusmodi causis constat. Dicunt etiam *formaliter*, quia per actionem, res ponuntur *efficienter* extra causas suas efficientes, & denominantur productæ. Sed *productum esse*, & *existere*, non sunt formaliter idem. Ideo autem per existentiam, res dicuntur *formaliter* poni extra causas efficientes, quia priusquam existunt, seu in statu possibili, in virtute causarum latere dicuntur.

Thesis. *Mala est illa definitio existentiæ.*

1. Quia non convenit omni existentiæ, puta non existentiæ Dei, sed tantum creaturæ Deus enim non est extra virtutem suæ causæ, quia causa ipsius nulla est.

2. Quia res quæ perierunt, sunt extra virtutem suarum causarum efficientium; (non enim redeunt in virtutem illam, nec semper eædem singulares reproduci possunt); Non tamen existunt.

3. Fomaliter poni extra suas causas, nihil aliud est quam in virtute earum non contineri: at quædam quæ existunt actu, in virtute causarum suarum continentur: ut omnia illa quæ jam producta sunt, & possunt destrui, & denuo produci; de quibus in quæstione tertia hujus Disputationis.

4. Poni extra causas non est notius, sed obscurius, quam esse seu existere.

Alii dicunt Existentiam esse, *per quam res est simpliciter extra nihil*, seu extra statum puræ possibilitatis. Sed hoc nihil aliud est, quam si dixissent, *Existentia est per quam res non est nihil simpliciter*, hoc est aliquid reale positivum, aut ens actu, vel ens simpliciter. Quod non est notius quam existere in rerum natura

Addit Derodon existentiam explicari per *coexistentiam cum tempore præsenti.* Sed contra.

1. Quia rem coexistere cum tempore præsenti, præsupponit eam existere: adeoque sic explicatur existentia per seipsam.

2. Co-

2. Coexistere cum tempore præsenti, est attributum respectivum, habitudinem dicens ad tempus: at existentia est affectio rerum absoluta.

3. Coexistere cum tempore præsenti, nihil aliud est quam esse præsens, opposite ad præteritum, & futurum: adeoque est species quædam *esse in tempore.* At esse in tempore, & esse simpliciter, seu existere, non sunt idem. Prius enim naturâ res existit, quam est in tempore. Nam existentia positiva pertinet ad formalem rationem Entis, estque prima illius differentia: Esse vero in tempore quocunque, est differentia consequens.

Cedo igitur, inquies, meliorem definitionem?

Resp. Iniquum est postulatum. Quia quædam sunt affectiones rerum per se evidentes, seu quæ per attributa notiora declarari non tantum non indigent, sed nec possunt. Ut *aliquid, nihil, esse, & non esse.* An igitur *esse* & *existere* sunt idem?

Resp. *Esse* absolute, et sine adjecto, idem est ac existere, vel positive, vel negative. Ut *Dies est, cæcitas est in oculo*, idem est, ac *Dies* (hoc est lux diurna, vel tempus in quo lux illa esse solet), *existit, cæcitas existit.* Esse autem cum attributo, quod directe affirmatur, ut cæcitas est privatio, solam identitatem terminorum denotat, adæquatam, aut inadæquatam. Hinc ulterius quæres, an negationes et privationes existant.

Resp. Eo modo quo sunt, existunt; scilicet negative, non positive. Quia *non esse* entis, est *esse* non-entis.

Quæst. II. *An existentia realiter distinguatur ab Essentia, in eadem re* (in diversis enim manifestum est realiter distingui; ut existentia Socratis nullo modo est essentia lapidis): Affirmat *Derodon.* dicit enim Essentiam & Existentiam distingui *realiter extrinsece.* Nullam utique distinctionem rationis agnoscit, quæ non sit realis. Revera tamen cum communi sententia convenit. Et quam reliqui fere omnes

distinctionem rationis appellant, distinctionem realem extrinsecam vocat: de quo infra. Sed plurimi pro parte affirmante citantur à Comptono, Metaph. disp. 5. sect. 1.

Thes. I. *Existentia non distinguitur ab Essentia, ut res, aut modus rei, à re; adeoque nullo modo realiter.*

Patet, 1. Quia si existentia esset res, aut modus distinctus ab Essentia, haberet etiam suam existentiam distinctam, quandoquidem esset ens actu, ab Essentia distinctum.

2. Sequeretur etiam essentiam, ut distinctam ab existentia, habere existentiam: adeoq; existere sine existentia.

3. Sequeretur etiam essentiam & existentiam rerum creatarum, posse à seinvicem separari, ita ut altera esset in rerum natura sine altera. In creatis enim realiter aut modaliter distinctis, non sequetur contradictio si uno pereunte aliud permaneat.

4. Per existentiam res est absolute Ens: at nihil potest esse ens, per aliquid realiter à se distinctum. Ergo essentia non est ens absolute, per aliquid distinctum, sed per seipsam.

5. *Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate.* At nulla est necessitas adstruendi existentiam distinctam ab essentia; ut ex solutione objectionum patebit.

Obj I. Solius Dei proprium est, existere per Essentiam: Er. omnis creatura existit per existentiam, ab Essentia sua distinctam.

Resp. Solius Dei proprium est existere per Essentiam, hoc est *necessario*, & *immutabiliter* existere, conceditur: sine existentia realiter distincta, negatur. Commune enim est omni enti actuali, existere per essentiam; hoc est sine existentia realiter distincta. Et hoc sensu creatura, licet possit non existere, quamdiu tamen existit, per essentiam existit.

Inst. Quicquid convenit rei per Essentiam, non potest ei non convenire. At existentia potest creaturæ non convenire. Ergo,

Resp.

Resp. Non potest ei non convenire, quamdiu essentia ei convenit; verum. Simpliciter non potest, nempe quando ipsa essentia non convenit, nego.

Instant. Essentia rei non potest ei non convenire. Nihil enim esse aut concipi potest sine essentia propria.

Resp. Essentia non potest rei non convenire ex hypothesi quod res existat, esto. Absolute non potest, negatur. Quando enim perit res, perit etiam Essentia: & antequam existit res, Essentia ejus est nihil.

Obj. III. Essentia rei est ab æterno, est ingenerabilis, & incorruptibilis: non sic existentia. Distinguuntur igitur realiter.

Resp. I. Negamus ullam essentiam, præterquam divinam esse, aut fuisse ab æterno. Fuit quidem omnis essentia creaturæ possibilis ab æterno; sic autem & existentia.

II. Essentia est ingenerabilis, & incorruptibilis, non simpliciter, & proprie (nam essentia ignis, & animalis, quotidie generatur, & corrumpitur;) sed secundum quid, (ut quidam dicunt) in statu possibili; quia semper fuit possibilis, & nunquam potest esse simpliciter impossibilis. Vel potius, quia partes illius habent connexionem necessariam; adeo ut nihil quod illis contrarium est, possit rei convenire: quod tamen intelligendum est, ex hypothesi quod res sit. Ut *Homo* immutabiliter est animal rationale, ex hypothesi quod sit. Unde etiam Essentiæ rerum semper eædem sunt in nostro conceptu.

Obj. IV. Alia est existentia rei heri, alia hodie: eadem tamen essentia: distinguuntur igitur realiter.

Resp. Negatur existentiam rei hesternam & hodiernam, esse diversas. Eadem enim semper est existentia cujusque rei, licet in diversis temporibus constituta. Cur enim res singulis momentis, mutare debet existentiam? An non sic res in æternum du-

rantes, novas ac distinctas existentias acquirerent, in infinitum?

Inst. Alia est prima existentia, quam habet res in primo instanti suæ productionis; alia est existentia continuata, quam in sequentibus habet instantibus: Essentia tamen eadem.

Resp. Similiter posset quis dicere aliam esse primam essentiam, aliam essentiam continuatam. Dicimus igitur, existentiam primam, & continuatam, sola ratione distingui; quatenus cum diversis partibus temporis conjuncta est, Et similiter de essentia prima, & continuata.

Obj. V. Omnis creatura est composita ex *esse* & essentiæ. Ergo *esse*, quod idem est ac *existere*, distinguitur realiter ab essentia.

Resp. Non sequitur: quia compositio illa non est realis, sed tantum in nostro concipiendi modo; quatenus possumus concipere connexionem attributorum rei, cum novimus eam non existere.

Obj. VI. Existentia est accidens Essentiæ.

Resp. Est accidens in nostro tantum conceptu. Cum enim concipimus essentias rerum præsertim creatarum, non necessario concipimus res existere actu, sed tantum, (ut jam diximus) habere talia attributa immutabilia, ex hypothesi quod existerent At non est verum, & proprie accidens. Unde accidens Metaphysicum, & Logicum, a philosophis dicitur; non Physicum.

Obj. VII. Quod est idem cum essentia rei, non potest res sine illo concipi: seu de essentia, non potest vere negari. At essentia concipi potest sine existentia; potest est hæc de illa negari: ut essentia rosæ in hyeme concipitur, cum rosa non existit.

Resp. I. Potest res concipi sine aliquo essentiali, licet non sine omni. Adeoque potest concipi conceptu præcisivo, sine eo quod est idem cum illa; ut cum concipimus Deum & creatorem, aut ut omnipoten-

potentem, non concepta illius immensitate, æternitate, &c.

II. Quod est realiter idem cum re, non potest vere, in sensu reali, de eo negari. Sic misericordia, & justitia, in Deo, propter realem identitatem, non possunt de seinvicem negari, secundum id quod importportant in recto. In sensu formali, negatur: ut in exemplo dato. Ubi enim est tantilla diversitas rationum formalium, illic unum de alio in sensu formali recte negatur.

Thesis II. *Essentia & Existentia distinguuntur ratione,* non autem ficte aut pro libitu nostro.

Patet 1. Quia sæpe concipimus essentiam rei, cum de existentia illius dubitamus. Ut facile formare licet ideas animalium in Luna degentium: merito tamen dubitant omnes qui sobrie philosophantur, an sint in Luna ulla animalia: Ex adverso, certi sæpe sumus de existentia rei, cujus essentiam propriam ignoramus. Ut quid certius est quam esse Lucem? At quid sit Lux, nemo hucusque clare potuit definire.

2. Essentia præbet fundamentum conceptuum quorundam, quos non possumus formare de existentia, seu de re quatenus existit; nam essentia est complexio quædam atrributorum, quorum nullum, sine contradictione, potest de re negari. Existentia vero est una simplex rei affectio. Essentia includit aliquid cuique speciei proprium. At existentia est quid commune omnibus rebus. Per essentiam præcise, res non est ens simpliciter, sed tantum secundum quid; per existentiam additam essentiæ, (sic enim à nobis concipitur), est ens simpliciter. Denique existentia est per se nota; at essentia sæpe occulta.

Quæst. III. *An res præterita*, id est quæ fuit, sed nunc non est, *potest eadem numero redire*, seu *reproduci*. An enim alia prorsus similis produci possit, nulla esse potest dubitatio. Plerique negari videntur,

tur, præsertim de rebus successivis, ut de tempore, motu, actione.

Thesis I. *Eadem res singularis permanens*, hoc est quod non essentialiter includit successionem, *destructa, potest reproduci*, & sæpe reproducitur. Et primo quidem, ubi solum destruitur forma, aut modus aliquis rei, qui de essentia illius est, facile potest idem numero modus, aut forma reparari; ut cum omnes partes mensæ, aut cathedræ, solutis compagibus, separantur, non amplius est mensa, vel cathedra; possunt tamen, & solent omnes reuniri. Estque unio, postquam partes compinguntur, eadem prorsus quæ fuit: quia omnes partes eandem sortiuntur positionem, seu situm quem ante habuerunt. Cur enim putemus novam unionem, licet prorsus similem, non autem eandem produci? Deinde, si Deus annihilaret Angelum, aut Lapidem, quis negaret eum non posse eundem singularem ad esse reducere? Sicut probabile est eandem fore unionem animæ, saltem cum aliqua parte materiæ corporis, in resurrectione, quæ fuit in hoc sæculo.

Obj. I. Unio illa secunda seu restaurata, est terminus aliûs numero actionis. Ergo est novum individuum. Nam cum actio essentialiter sit productio termini, pro multiplicatione actionum, termini producti multiplicabuntur.

Resp. Negatur consequentia. Ad probationem dicimus, actionem essentialiter esse productionem alicujus termini, qui in priori instanti non fuit: Non tamen necesse est, ubi actio est nova, nec unquam ante fuit, terminum etiam esse novum individuum. Sicut pro multiplicatione actionum transeuntium, quæ essentialiter requirunt subjectum extraneum, non necesse est multiplicari subjecta. Quia unum numero sufficit ad terminandas plures actiones. Non igitur ut idem individuum redeat, necesse est eandem numero actionem redire.

Obj. II.

Obj. II. Si eadem individua res posset reproduci, posset etiam habere plures existentias interruptas; unam hodie, nullam cras, secundam postridie, adeoque si essentia sit idem realiter cum existentia, plures essentias,

Resp. Non sequitur rem habituram distinctas existentias, sed tantum unam interruptam. Nec enim probari potest existentiam omnem rei permanentis esse continuam, sine omni interruptione aut oportere ut conficiat duas, aut plures existentias, si interrumpatur.

Thesis II. Licet eadem pars temporis semel elapsi, redire nequeat, (secus enim posset tempus non fluere per partes diversas, aut contrahi posset sæculum ad unam horam) *non* tamen *video cur idem singuris motus localis non possit denuò redire.* Idem enim motus omnino videtur, qui est ejusdem mobilis, ab eodem principio, & eodem termino, per idem medium, ad eundem terminum. At licet forte nullus ejusmodi motus corporis sit, qui semel absolutus, idem denuo peragitur, quonam vix unquam idem denuo peragitur, quonam vix unquam idem plane est medium, propterea quod corpora, per quæ fit motus hac hora, non retinebunt eundem situm hora sequenti: Ponamus tamen Angelum, ab eodem termino, ad eundem, per eandem plane viam, bis se movere, ut ab una extremitate trabis ad alteram, (hic enim quia corpora media non pellit, sed penetrat, medium non mutabit, nec aliunde mutabitur) cur dicemus motus illos esse numero diversos?

Obj. Motus illi fient diversis temporibus. Non igitur erunt idem numero.

Resp. Non sequitur. Est enim tempus motui extrinsecum: adeoque individuationem illius, non magis quam rerum permanentium, variare potest. Sicut non sequitur, res existit per tres horas, vel dies; ergo singulis horis, vel diebus, est alia res. Quod autem

tem in media hora, aut die, non extitit, quid ad pluritatem rei magis confert, quam si in prima aut tertia non extitisset.

DISPUTATIO. VIII.

De Relatione.

CUm res, per mutuas ad se invicem relationes, ubique fere, atque adeo in ipsa Logica, explicentur, consentaneum est, ut non procul ab initio de illis dicamus. Id in Didacticis præstitimus. Eundem ordinem nunc in Elencticis servabimus.

Quæst. I. *An sint Relationes reales.* Negant Cartesiani. *Relatio vocatur*, (inquit Claubergius, Ontosophiæ Sect. 12.) *cum intellectus noster rem unam confert cum alia, propter certam utriusque proprietatem, vel actum, aut aliam quamcunque rationem. Itaque Relatio omnis, per se nihil aliud est quam operatio mentis.* Et *Antonius Le Grand. Instit. Philosoph. part. 1. cap. 7. Relatio, uti & cætera attributa Substantiæ, non nisi est modus intellectus nostri, rem unam cum alia comparantis.* Et alibi dicunt *Relationes nihil esse nisi diversos modos cogitandi.* Sed mirum est, quod eas inter Attributa substantiarum recenseat *Le Grand*, cum communes sint substantiarum, & modorum. Quis enim dubitet duas figuras esse invicem similes, aut dissimiles? Magis vero mirandum est, quod omnia substantiæ attributa modos intellectus nostri finxerit. Præpotentes certe illi Philosophi

losophi sunt, qui substantias, omnibus suis attributis spoliare possunt pro libitu, cessando de iis cogitare; eademque denuo, cogitatione restituere.

Sed missis istis, sit Thesis 1. *Relationes intellectus nostri & conceptuum ipsius, ad objecta,* & alia quæcunque ad quæ refertur, *sunt modi intellectus, & cogitationum ejus.* Omnis enim relatio est modus quidam. Hoc Cartesianis concedendum.

Thesis II. *Non omnes, quin paucissimæ relationes sunt modi cogitandi*; seu actuum mentis, unam rem cum alia conferentis. Plures enim ex iis sunt affectiones rerum extra mentem. Quin & cogitationes nostræ realiter referuntur ad sua objecta, & voluntatem, ac appetitum quæ movent, etiam tum cum de illis non cogitamus reflexe.

Patet 1. Exemplis. Personæ S. S. Trinitatis referuntur ad se invicem, nemine nostrum cogitante. Contrarium asserere est error in fide, non levis. Si autem Cartesiani, de solis relationibus rerum creatarum loquantur, an non *qui alium genuit*, est ejusdem Genitor, hac est, *Pater*; & quod se habet ut aliud, est ei *simile*, aut æquale, aut aliqua ratione cum eo convenit, sive cogitemus sive non? Et cum *Antonius Le Grand* dicit mentem nostram referre Patrem ad filium, quia enim genuit, an actus generandi est tantum modus cogitandi? Si sic, potest Cartesianus aliquis cogitatione quemlibet hominem gignere. Si non sit, datur relatio independens à cogitatione nostra: Siquidem actus generandi, ex essentia sua, relationem connotat ad rem genitam. Oscitanter igitur hic philosophantur Cartesiani, nec sibi constant.

2. Ex absurdo. Sequeretur enim mentem cum res inter se confert ut cognatas, vel oppositas, &c. non invenire eas, ita erga se realiter affectas, adeoque fingere, et falso concipire. *Dices*, esse in rebus fundamentum quoddam, cujus ratione mens confert res ad se invicem; adeoque non fingit.

Resp.

Resp. Si per fundamentum illud, res ad se invicem mutuo affectæ sint, tum in se, & priusquam eas conferamus, sunt relatæ: Si non sint, necesse est mentem vel non referre eas ad se invicem, vel fingere ut ad seinvicem affectas, cum non sint.

3. Quædam res essentialiter dicunt ordinem ad alias: ut *Causa* ad *Causatum*, *Pars* ad *Totum*, seu ad partes socias, *Consentaneum* & *Dissentaneum*, ad ea cum quibus consentiunt, & à quibus discrepant, *prius* ad *posterius*. Suntque res causæ, partes, cognatæ, oppositæ, priores, &c. antequam ad alias conferantur. Ex essentiis igitur relatæ sunt.

Objicit Claubergius, I. *Res per mentem nostram ad se invicem referuntur.* Ergo ex se non sunt relatæ.

Resp. Contrarium potius sequitur, ut ex secunda ratione patet. Mentem enim referre unam ad aliam, vel est fingere, vel vere ad aliam effectam concipere, hoc est relatam.

Objicit. II. *Relatio est respectus: At res ipsa invicem non respiciunt: cum pleraque earum oculis careant. Sed nos mentis oculo rem hanc & illam adspicimus.*

Resp. I. Puerilis hîc lusus est, in Metaphorâ *respectus.* Res enim dicuntur sic se *respicere*, non quia oculos habent; sed quia ut oculus rerum aspectu, erga eas certo modo affici solet, ita pleræque rerum erga se invicem, aliquo modo affectæ sunt: Ita ut una sit aliquid alterius, ut pars totius; vel ad esse illius aliquid conferat, ut causa, vel cognitionem essendi cum ea habeat, ut similia, æqualia &c. Et hinc est, quod mens nostra non possit res, ut sic ad invicem affectæ sunt, adspicere, nisi hunc & illum uno intuitu adspiciat.

II. An vero ideo res ad se invicem relatæ sunt, quod nos, mentis oculo, hanc & illam intueamur; ut hic innuit Claubergius? An intuitus noster effi-

cere

cere potest ut quæ reipsa ab omni relatione immunes sunt, ad se mutuo referantur?

Objicit. III. *Relatio vocatur Habitudo,* Gr. schesis. *At cum ovum apud nos existens dicitur se habere ad ovum in India, ut simile ad simile, nullus in nostro ovo revera habitus est: sed homo utrumq; ovum in mente habet.*

Resp. Negatur minor. Est enim in ovo, quod apud nos, certa quantitas, figura, color, & qualitas substantiæ, quæ ejusmodi habitum, seu conditionem essendi conficiunt, per quam simile est alteri in India existenti, sive nos de iis cogitemus, sive non. Nec quia utrumque in mente habemus, (licet non ipsa ova in mente, sed solas eorum ideas habeamus) idcirco alterum habitudine ad alterum affectum est, sed ex naturis suis. Vere enim alterum est ut alterum, nemine cogitante. Sed Cartesiani, dum omnia evidenter explicare tentarunt, Relationem, cujus natura exilis omnibus negotium facessit, potius negare consultum duxerunt, quam explicationem illius suscipere.

Quæst. II. *An sint Relationes Rationis*; id est quæ à solo nostro concipiendi modo pendent; & *quænam pro talibus habendæ sint?* multi enim hoc nomine comprehendunt, relationes *Generis* ad *speciem, subjecti* ad *prædicatum* in propositione, *Antecedentis* ad *consequens* in Ratiocinatione: Item *dextrum* & *sinistrum, ante* & *post,* in Cælo; *identitatem* rei cum seipsa, &c. sic ex aliis *Burgersdicius, Instit. Log. lib.* 1, *cap.* 7.

Thesis. *Sunt Relationes quæ dici possunt Rationis.* Ut 1. Illæ, in quibus subjectum & terminus, sunt pura non-entia. Ex. gr. cum duæ Chimæræ apprehenduntur ut sibi similes, Chimæra vero, & Hircocervus, ut dissimiles: Quo referri etiam possent similitudines, & dissimilitudines privationum.

2. Illæ in quibus subjectum, & terminus non distinguuntur, nisi ratione: ut cum *Socrates heri,* & *hodie*

hodie, dicitur ſibi ſimilis: Cum *Humanitas* dicitur hominis humanitas. Nec Relationes iſtæ cum apprehenduntur, ſunt falſæ, aut plane fictæ, (ut ſiquis putaret ſolem eſſe cauſam procreantem animæ rationalis;) ſed analogiam quandam habent ad Relationes reales.

Quod ad exempla à *Burgerſdicio* memorata attinet; Genus refertur ad ſpeciem, ejuſmodi Relatione quam habet major numerus ad minorem, ſeu pars ad Totum. Eſt enim revera Genus major multitudo ſingularium; ſpecies minor, ut exempla animalis & Hominis indicant. Relationes *ante* & *poſt, dextri* et *ſiniſtri* in Cœlo, ſunt reales Relationes ad partes corporis noſtri. Et variari quidem poſſunt, prout ſitum illius ad has vel illas plagas mundi variamus; conveniunt tamen rebus, (ſicut priores Generis et Speciei), ſive de iis cogitemus, ſive non. Fatemur quidem à ſola mente, et ſermone noſtro eſſe, quod hoc vel illud, hic et nunc ſit ſubjectum vel prædicatum: ſiquidem poteſt unum et idem utriuſque rationem induere. Sed quod ſubjicibile, aut prædicabile ſit, ex ſeipſo habet. Sicut etiam ſubjicibile, et prædicabile, nomina Relatorum. Denique, cum res dicitur eadem ſibiipſi, nulla proprie in ea oritur Relatio ad ſeipſam. Omnis enim Relatio aliquid ad aliud refert in obliquo, ut cum Pater dicitur Filii Pater, ſimile, ſimili ſimile: non autem in recto; ut fit cum eadem res cum ſeipſa comparatur. Cum igitur res concipitur eſſe eadem ſibiipſi, ſolum concipitur eſſe illa ipſa quæ eſt, non autem alia: adeoque non apprehenditur ut relata ad ſeipſam, ſed ut indiſtincta à ſeipſa.

Quæſt. III. *An Relatio Realis realiter diſtincta ſit à fundamento & termino*; hoc eſt an ſit modus quidam phyſicus, ab his reipſa diſtinctus, ut *figura* à *cera*. Pro Affirmativa multis contendit *Comptonus*, et multos citat in ſuam ſententiam, *Metaph. Diſp.* 11. *Sect.* 7, 8,

7, 8, &c. Negantem amplexi sunt *Hurtado Arriaga, Oviedo*, & alii, qui & *Suarium* pro se stare existimant. Sed inter se non plane consentiunt. Quidam enim, inter quos *Suarius*, sentire videntur totam Relationem consistere in Fundamento, connotare tamen extrinsece terminum: Alii vero formaliter includere utrumque, ut *Arriaga Log. Disp.* 12. *Sect.* 8, 9. Alii aliis terminis utuntur, ut videre est apud *Compionum*, supra loco citato. Sed nihil ab his diversum, quod consideratione dignum est, intelligere videntur. Quæstio hæc omnium difficilima est in præsenti Argumento. Sit igitur in ea.

Thesis I. *Relatio accidentalis qua talis est, semper distinguitur realiter à subjecto, cui accidit.* Ut relatio Patris ad Filium, Domini ad Servum. Ratio est; relatio ejusmodi semper nititur fundamento, quod est modus quidam distinctus à subjecto, aut aliud quoddam accidens reale: Ut Relatio Patris actioni generandi filium; Relatio Domini, actioni, emendi, capiendi, aut conducendi servum: Relatio similitudinis inter duos parietes albos, albedini.

Diximus quatenus *accidentalis est*, quia una eademque Relatio, si ad diversa subjecta conferatur, nempe ad proximum & remotum, respectu unius essentialis est, respectu alterius accidentaria. Sic actio generandi filium, essentialiter respicit filium, adeoque relatio ipsius ad filium est essentialis, licet ad patrem, sicut & ipsa actio generandi accidentalis sit. Et similitudo unius albedinis ad aliam, posita illa alia, est ei essentialis, licet similitudo in albedine, sicut albedo ipsa parieti accidentalis sit. Unde inferes omnem relationem esse proximo subjecto seu fundamento essentialem, & necessariam.

Thesis II. *Totum quod extrinsece constituit Relationem non est fundamentum*, ut Suarez statuere videtur;

 sed

Sed *ad eam etiam concurrit Terminus*: Albedo enim per se, sine alia albedine, non est actu, & formaliter similis. Nec actio generandi paternitas est, sine filio. Utrum autem Relatio terminum includat ut partem, an ut conditionem necessariam, quæstio est de voce. In qua minus recte loqui videtur Arriaga, qui partem vocat. Nam ipsa actio generandi filium, posito filio est paternitas: at filius non est pars actionis istius, adeoque nec paternitatis, sed terminus. Et ipsa entitas albedinis A. est similitudo ejusdem ab Albedinem B, si modo hæc existat. At Albedo B, non est pars Albedinis A; adeoque nec similitudinis ejus ad Albedinem B, sed illius terminus. Interim tamen quia terminus, licet extrinsecus sit subjecto & fundamento, est aliquo modo de Essentia Relationis, siquis partem esse contendat, de eo non est litigandum.

Thesis III. *Relatio non eodem modo includit fundamentum, & terminum.* Nam importat fundamentum directe, & præcipue; Terminum vero connotat indirecte, & in obliquo, ac secundario. Ut *Paternitas* directe significat actionem generandi filium; indirecte vero filium genitum. Et æqualitas lineæ A ad aliam B, directe significat Longitudinem lineæ A, indirecte vero lineam B. Ratio est, quia id quod in Relatione fundamentum, vel subjectum proximum vocatur, potest affirmari de illa, in recto, seu in nominativo casu: at Terminus non sic. Ut vere dicitur, Paternitas est Generatio filii activa; æqualitas lineæ A, ad alteram B, est ipsius Longitudo, & Entitas; (per se enim est æqualis, posita altera ejusdem conditionis;) At falsum est filium esse paternitatem; aut æqualitatem lineæ A, ad alteram B, esse lineam B.

Thesis IV. *Relatio nihil est realiter distinctum à fundamento, & termino, simul sumptis*: Licet inadæquate distincta sit ab alterutro sigillatim. Concedunt qui

contra

contra sentiunt, de Relatione essentiali, ut videre licet apud *Comptonum* supra *Sect.* 2. sed verum est de omnibus, quod sic ostenditur.

1. Cum nihil ad aliud referri possit, quin hoc rursus ad illud referatur, si Relatio esset aliqua Entitas realiter distincta à fundamento proximo, & termino, simul sumptis, sequeretur, producta, vel minima Entitate, puta unâ atomo materiæ, mutationem realem, seu physicam, statim fieri, in omnibus partibus Universi. Omnes enim statim evadent atomo isti similes, vel dissimiles, equales, vel inequales. Et ex adverso, si atomus illa interiret, in singulis partibus universi, fieret alia mutatio Physica, pereuntibus, ex singulis illis, aliquot entitatibus realibus distinctis. At utrumque plane absurdum est. Nulla enim causa excogitari potest, cur ex ortu vel interitu unius atomi, tot Entitates, seu modi Physici, oriren-tur aut interirent; Et quidem ea necessitate, quæ ne divinitus impediri potest.

Resp. *Comptonus*, supra *Sect.* 10. *Oriri modos illos per resultantiam, & emanationem quandam, ex ipsis partibus universi: Ea enim omnibus rebus innata est vis, ut posito termino, producant in se Relationes.*

Resp. Sed hoc totum reclamante ratione dicitur. Si enim producta albedine Romæ, (ut exemplum à Comptono adhibitum sumamus,) omnis alia per totam terram, producat in se similitudinem ad eam, cur nec citius, nec serius illam producit? Et si rationi consentaneum esset, albedinem posse producere in se modum physicum, quod evidenter absurdum est, (nemo enim dixerit colores esse operativas physice), quid ad illam productionem conferre posset existentia albedinis Romæ? An hæc excitat virtutem productivam modorum ejusmodi, in omni albedine, per totum orbem terrarum? Aut an gnaræ sunt reliquæ omnes albedines, productam esse hoc instanti albedinem Romæ, ut in actus illos erum-

 pant?

pant? Et cur quæſo, pereunte albedine Romæ, pereunt tot Entitates phyſicæ, ubiq; in reliquis? An ipſæ entitates illas ſtatim enecant? At nihil molitur imminutionum ſuæ perfectionis. An vero Entitates illæ pendent ab albedine quæ eſt Romæ? An hæc illas ſuſtentat, ut ea pereunte pereant? At illæ non minus ſuſtentant ſimilitudinem illius ad ſe, quam viciſſim. Longum eſſet omnes abſurditates hujus doctrinæ deſcribere. Reliquas igitur lectori penſitandas relinquemus.

II. Quæ realiter diſtinguuntur, in creatis, poſſunt ſeparari: At Relatio non poteſt ſeparari à fundamento, & termino. Si enim exiſtant duæ albedines, non poſſunt non eſſe ſimiles: & repugnat aliquem genuiſſe alium, qui non ſit illius pater.

Reſpondet *Comptonus*, primo, negando majorem: & duplicem inſtantiam opponit. Primo, *Ubicatio*, inquit, *diſtinguitur à re ubicata; nulla tamen res exiſtere poteſt, ſine omni ubicatione.* Deinde, *duæ minimæ partes continui exiſtere nequeunt ſine unione; diſtinguuntur tamen realiter, tum à ſeinvicem, tum ab unione.*

Reſp. Major certa eſt; quia, in creatis, in quibus nulla eſt abſoluta neceſſitas exiſtendi, ut in divinis, ubi una res realiter non eſt alia, nunquam ſequetur contradictio, ſi altera exiſtat ſine altera. Nec ulla res creata, eſſentialiter requirit aliam determinatam, realiter diſtinctam, ſibi coexiſtere. Ad priorem igitur inſtantiam dicimus, nullam rem exiſtere poſſe, ſine *omni* ubicatione; requirit enim hanc vel illam indeterminate: poteſt tamen exiſtere ſine quavis determinata. Quæſtio autem eſt de pluribus rebus determinatis realiter diſtinctis. Deinde ubicatio non diſtinguitur à re ubicata, & relatione præſentiæ ad aliquam partem ſpatii: & de relatione illa procedit quæſtio. Ad poſteriorem inſtantiam, negamus ullas partes continui eſſe adeo exiguas, quin exiſtere poſſint ſeorſim ab aliis. Ad minorem reſpondet, diſtinguen-

stinguendo: *duas albedines existere simul posse, sine similitudine formali, licet non sine fundamentali.* Sed hæc responsio plane frivola est. Nam similia sunt formalissime quorum unum est ut aliud. At ex hypothesi quod duæ albedines coexistant, modo veræ sint albedines, sublatis omnibus aliis, altera erit ut altera. Habebunt enim Entitates albedinum, ut supponimus: utraque habebit similitudinem fundamentalem, & carebit formali, ut ait Responsio; utraque denique apta erit producere in se similitudinem formalem, ad alteram, ut prius asseruit *Comptonus*. Quadruplici igitur nomine erunt formaliter similes.

Plurima alia argumenta adferri possent, contra absurdam illam sententiam. Sed hæc in præsenti sufficiant. Quin sufficere posset commune illud quod contra plurimos alios modos, à Scholasticis Pontificiis confictos, militat; nempe, quod *non sint multiplicandæ Entitates sine ratione efficaci*, quæ hic nulla est, ut ex solutione objectionum patebit.

Thesis V. Quinimo, *ne vel ratione distinguitur Relatio, à fundamento proximo, & termino, simul sumptis*, sed tantum ab alterutro seorsim. Quæcunque enim ratione distinguuntur, vel per relationem distinguntur, vel per negationem, ut supra monuimus, Disp. 3. Quæst. 2. Thes. 7. At relatio non distinguitur à fundamento, & termino per negationem. Non enim est affectio negativa: nec assignari potest negatio, per quam distinguatur. Nec per relationem; quia sic illa etiam relatio distingui deberet, à fundamento & termino suo, & daretur progressus in infinitum. Denique, mens non potest distinguere unum ab alio, sine fictione, nisi ubi aliquam distinctionem positivam, vel negativam invenit.

At inter relationem Patris, & actionem generandi filium, nullam distinctionem aut fundamentum distinguendi, invenit. Idem verum est de similitudine, et duabus rebus similibus, de æqualitate, & rebus æqualibus. Est enim actio generandi filium, posito filio, Paternitas; Et Entitas albedinis A, posita albedine B, est similitudo ad eam. Nec quidquam aliud mens nostra per Paternitatem, & similitudinem apprehendit.

Obj. I. Accidens realiter distinguitur à subjecto: At Relatio contingens & separabilis, (ut Paternitas, similitudo) est accidens subjecti relati.

Resp. Relationes ejusmodi sunt accidentia subjecti remoti, ut Paternitas, hominis qui est Pater; at non sunt accidentia subjecti proximi, quod fundamentum vocatur: ut respicere filium genitum, non est accidens actionis generandi: Actio enim essentialiter terminum respicit. Ideo autem Pater refertur ad filium, quia actio generandi ad illum refertur.

Obj. II. Si similitudo duarum albedinum non distingueretur ab utraque, sequeretur eandem esse similitudinem prioris ad posteriorem, ac posterioris ad priorem, quod falsum est.

Resp. Non sequetur: quia licet utraque similitudo utramque albedinem complectatur, non tamen eodem modo complectitur; ut Thesi 3. declaravimus.

Obj. III. Quæ separari possunt, realiter distinguuntur: At relatio paternitatis separari potest, tum ab homine qui est Pater, per mortem filii; tum à fundamento, nempe actione generandi, qua transacta & cessante, adhuc homo dicitur Pater, quamdiu existit filius.

Resp. Argumentum istud tantum probat relationem separari posse à subjecto remoto & fundamento seorsim, quod non est quæsitum.

Inst.

Inst. At probat Paternitatem non esse actionem generandi, & filium genitum.

Resp. Nec istud probat. Quia ad Paternitatem, non requiritur ut actio generandi, & filius simul sint tempore; sed tantum ut aliquando extiterit actio illa, & ut filius existat de præsenti. Unde ab actione generandi præterita, & filio existente de præsenti, homo est pater. Et in his consistit ipsa Paternitas. Quanquam aliæ sint Relationes, quæ requirunt ut Fundamentum & terminus perseverent, seu in tempore coexistant; ut similitudo æqualitas, &c.

Obj. IV. Sequeretur Relationes filiorum Dei ad Deum ut Patrem, & ad Christum ut fratrem, sponsum, caput &c. nihil esse distinctum à gratia justificante, ac sactificante, & ipsis fidelibus; quod falsum. Est enim Adoptio beneficium distinctum à justificatione, & sanctificatione. Præter ista enim boneficia, et omnia reliqua quæ in illis continentur, habent jus reale in Deo, & Christo, ut Deo, patre, & salvatore suo: jus autem istud est peculiaris quædam Relatio.

Resp. Negando minorem. Ad probationem dicimus, Adoptionem, & jus illud peculiare in Deo, vel ad eum, esse distinctum inadæquate quidem à justificatione, & sanctificatione, seorsim sumptis; item à sanctificatione ut præcise denotat renovationem peccatoris; et a justificatione, ut præcise notat absolutionem à reatu, et imputationem justitiæ Mediatoris Christi: possent enim illa, sic considerata, esse sine Adoptione integre spectata, et ut de facto se habet in justificatis et sanctificatis. Non tamen distinguitur ab istis beneficiis, si sumantur cum omnibus quæ ea comitantur, nempe sententia Fæderis Gratiæ, per quam adjudicantur iis maxima privilegia, tum in hoc sæculo, tum in futuro, illa scilicet quæ enumerantur Confessione Fid. Britannica cap. 12. Estque illa sententia, una cum supernaturalibus qualitatibus quæ ipsis ingenerantur, fundamentum

Relationis, quæ in Adoptione & jure illo ad Deum continetur. Nec distinguitur Adoptio ab illo fundamento & ipsis fidelibus, seu regenitis simul sumptis.

Obj. V. Si terminus esset intrinsecus Relationi, filius esset de Essentia Patris.

Resp. De Essentia patris quatenus est pater, hoc est paternitatis conceditur: nec absurdum est. Est enim Relatio essentialiter complexum quid, ex fundamento & termino.

Inst. I. Si filius esset de Essentia paternitatis, etiam Pater esset de Essentia filiationis. Unde sequetur filium qua filius est, ex parte saltem esse patrem.

Resp. Negatur prior consequentia. Ratio disparitatis est, quia filius, qua filius, essentialiter est terminus actionis generativæ patris; at Pater non est terminus illius actionis, sed origo. Unde Paternitas non includit intrinsece Entitatem hominis, qui est pater; ut filiatio includit Entitatem hominis qui est filius, (est enim filius essentialiter Homo dependens, & originatus ab homine), sed includitur in Patre, qua Pater in concreto.

Inst. II. At saltem, si similitudo albedinis A, ad alteram B, includat essentialiter illam alteram, & similitudo illius alterius, includat essentialiter ptiorem, tum duæ illæ similitudines se invicem includent.

Resp. Inadæquate quidem, & diversimode se mutuo includunt; ut explicavimus supra Thes. 3. nec illud absurdum est. Et hinc respondebis ad argumentum illud palmare Comptoni, sup Sect. 4. *Esse Patrem*, in nostra sententia, *nihil aliud est quam duo homines & generatio. Et esse filium est prorsus idem. Utrinque enim sunt hæ tres Entitates. Ergo*, in nostra sententia, *idem est esse patrem & esse filium.* Nam, licet utrinque nihil aliud sit quam duo homines, & generatio, ex altera tamen parte est homo generationem causans, qui est pater, ex altera est homo generationem non causans, sed terminans, seu per

eam

eam causatus, quæ longe sunt diversa.

Obj VI Tota ratio Relationis posita est in respectu ad aliud At iste respectus tenet se ex parte solius subjecti, & fundamenti

1. Quia *Respicientia*, quæ est totaliter Relatio, est in solo subjecto, propter fundamentum.

2. Quia illa sola subjectum denominat ut respiciens; non autem terminum: hic enim denominatur *respectus*, non respiciens.

Resp. Negatur minor. Ad priorem confirmationem, negamus respicientiam esse in solo subjecto relato. Essentialiter enim connotat terminum, qui in subjecto non est. Ad posteriorem, negatur sequela; Quæ enim extrinseca sunt alicui, possunt ipsum denominari, Quod & hic contingit. Siquidem non solum actio generandi, sed unà etiam filius, denominant hominem patrem. Et ad denominandam unam albedinem similem alteri, altera concurrit. Quanquam & falsum sit, proprie loquendo, Relationem esse in subjecto Relato, nisi remotiori. Ideo autem ei inesse dicitur, quia fundamentum ei inest: ut albedo in Pariete, per quam paries dicitur similis alteri albo. Sed si subjectum proximum respiciamus, relatio de eo quidem affirmatur, et eatenus inesse concedimus; non tamen ei proprie inest, sed cum eo identificatur, licet inadæquate.

Obj. VII. Relatio est forma quædam abstracta, et simplex: non igitur est complexum quid, ex fundamento, et termino.

Resp. Non omne abstractum est quid simplex; ut *Multitudo, Trinitas, quaternio.* Hæ enim voces significant plures unitates, prout unum numerum conficiunt. Nec multitudo, ullo modo distinguitur à multis unitatibus, simul sumptis.

Inst. Concipimus Relationem; ut quid intercedens inter Relatum, et Correlatum.

Resp.

Resp. Si de subjecto remotiori loquamur, verum illud est. Actio enim generandi intercedit inter Patrem & Filium. Sin de subjecto proximo, non video quomodo verum sit. Et si verum esset, non inferret Relationem distingui ratione à fundamento & termino simul. Aliud enim est concipere res per formas alienas, aliud eas distinguere à seipsis. Sed de his nimis.

Quæst IV. *An sint Relationes non mutuæ:* hoc est in quibus una res ad aliam refertur, sed non reciproce. Affirmat *Comptonus*, *Metaph. Disp.* 11. *Sect.* 14. Est, que communis sententia inter Pontificios, ut innuit *Arriaga. Log. Disp.* 12. *Sect.* 2. Est tamen proculdubio falsa. Quare sit.

Thesis. *Nulla est Relatio non-mutua.* Nam sicut omne relatum respicit terminum aliquem; ita etiam omnis terminus relationis est correlatum.

Obj. I. Actus visionis respicit objectum; sed non vicissim.

Resp. Objectum in actu primo seu visibile essentialiter respicit visionem possibilem. Sol enim natura sua visibilis est; veritas omnis intelligibilis; bonitas expetibilis. In actu autem secundo, seu ut actu objicitur, evidentius refertur ad actum videndi, licet accidentaliter: est enim illius terminus. Omnis autem terminus, est alicujus terminus, ac proinde Relatum quid.

Obj. II. Creaturæ referuntur ad Deum; sed non reciproce. Sic enim in Deo orirentur novæ Relationes, per quas mutaretur, ut de non-creatore in Creatorem, &c.

Resp. Negatur minor nec per novas relationes Deus mutatur, nisi nova Entitas in eo exsurgeret, quæ earum fundamentum foret. Atqui, ut una res novam Relationem ad aliam acquirat, sufficit si oriatur nova Entitas extra eam. Ut dealbato alio pariete Londini, hic paries albus similis ipsi evadit, sine ul-

la

la mutatione sui. Sic ex ortu creaturæ oritur in Deo nova Relatio, sine mutatione, ut Theologi communiter docent.

Quæst. V. *An recte dividantur Relata in Relata secundum dici, & secundum esse.* Affirmant communiter, sed in utrisque describendis variant: Alii enim dicunt Relata *secundum dici* esse res absolutas, connotantes relationem; ut Scientia & scibile. Alii quæ solo concipiendi & explicandi modo, videntur esse Relata; ut *ala caput.* Alii esse res ut explicatas in ordine ad alias, ex. g. res spirituales per materiales. Sic *Arriaga*, & *Comptonus.* Alii illa quæ *dicuntur* Relata, sed non *sunt.* Relata secundum esse alii appellant quorum tota essentia posita est in Relatione ad aliud. Alii omnia Relata realia. Sit hic.

Thesis I. *Male dicitur Relatum secundum dici, Res absoluta connotans relationem.* Nam quæ connotat Relationem, quatenus id facit, non est res absoluta.

Et omne relatum quatenus non connotat Relationem, ex. g. pater qua homo, est res absoluta.

Objicit Burgersdicius. Scientia est absoluta qualitas, connotat tamen relationem ad Scibile.

Resp. I. Nulla qualitas, ut talis, est absoluta. Semper enim respicit aliud quod qualificat.

II. Scientia essentialiter dicit respectum ad Scibile; non minus quam causa ad causatum. Non igitur est res absoluta.

Inst. At *ala* ad *alatum* referri dicitur, *caput* ad *capitatum*: sunt tamen res absolutæ.

Resp. Sub ratione substantiarum sunt absolutæ. Sed ut membra, & organa corporum animatorum, sunt vere Relata, ac secundum esse.

Thesis II. *Male etiam dicitur, Relatorum secundum esse totam essentiam positam esse in Relatione.* Relatum enim in concreto essentialiter includit subjectum, cujus tota essentia non respicit aliud. Ut essentia Patris, præter Paternitatem includit substantiam intelligentem.

Inst.

Inst. At tota essentia Patris qua Pater est, consistit in relatione ad filium.

Resp. Similiter & omnia relata, quatenus sunt relata. Ut tota essentia Scientiæ, qua Scientia est, capitis qua caput est.

Thesis. III. *Illa igitur sunt relata secundum dici, quæ dicuntur relata, sed non sunt.* Ut cum Pontificii dicunt Antichristum esse genere Israelitam, è tribu *Dan.* Vel quæ concipiuntur ad modum Relatorum, sed non sunt Relata: ut cum privatio concipitur ut Relata ad subjectum, è quo formam tollit. Item illa quæ Analogiam quandam habent ad Relata, quorum nomina sortiuntur. Ut cum Ecclesia vocatur Sponsa, Uxor, & Corpus Christi, &c. Quæ secus se habent, Relata sunt secundum esse. Veram enim essentiam Relatorum habent.

Quæst. VI. *Quid de Divisione Relatorum in* Prædicamentalia, *&* Transcendentalia, *sentiendum sit.* Per priora communiter intelligunt illa, quæ gratis respiciunt terminos suos, seu pure ut terminos, nihil circa illos faciendo; & a subjectis suis distinguuntur tanquam formæ accidentariæ, ut volunt *Conimbricenses*, de Relatis *quæst.* 1. *Art.* 2. *Comptonus* supra *Sect.* 2. Per Transcendentalia vero, quæ terminos suos respiciunt, aliquid circa eos faciendo; nempe producendo. connectendo, cognoscendo, amando aut aliquid ab illis recipiendo, & per suas entitates ad eos referuntur, nec proinde à subjectis suis separari possunt.

Thesis I. *Quædam sunt Relationes communissimæ*, seu quæ in omibus aut plerisque rerum ordinibus locum habent: qualis est Relatio, *causæ* ad *causatum*, *potentiæ* & *actus* ad *objectum*, & *subjectum* patiens, *subjecti* ad *adjunctum*, *partis* ad *totum*, *oopositi* ad *oppositum*, *prioris* ad *posterius*, & vice versa. Quædam sunt minus communes, seu quæ ad certum ordinem, restringuntur: ut relatio *Patris* ad *Filium*, *Domini* ad *subditum*,

tum, vel *servum*, *docentis* ad *discipulum*, quæ in solis rebus intelligentibus locum habent. Sunt etiam quædam Relationes *Essentiales*, ut relatio *actionis* ad *terminum* productum, *unionis* ad *res unitas*. Aliæ *accidentales*; ut Relatio *Mariti* ad *Uxorem*, *amici* ad *amicum*, &c.

Thesis. II. *Sed plane arbitrarium*, & rationi dissonum *est*, *quod relationes communissimæ*, *& essentiales*, *è prædicamentis excludantur*. Cum illæ nobilissimæ, & cognitu maxime necessariæ sint: Utpote quæ ubique in plerisque disciplinis occurrunt. Et ego in ea sententia sum, ut omnes omnino relationes ad unum prædicamentum Relationis spectare judicem.

Thesis III. *Membra hujus divisionis*, *juxta differentias quæ ex communi sententia assignantur*, *varie coincidunt*. Primo enim plurima ex Relatis quæ prædicamentalia vocantur, aliquid faciunt circa terminos suos; ut *Pater* Filium gignit; *Dominus* servum conducit, aut emit, aut bello capit, &c.

Respondet *Comptonus*. Pater respicit Filium caussando, per actionem generativam; at non per paternitatem; per hanc enim mere respicit.

Resp. Pater igitur quatenus est causa Filii, est relatum transcendentale, quatenus vero est Pater, est relatum prædicamentale. At distinctio ista est plane ficta Nam Pater non alia ratione est Pater, quam quatenus est causa procreans, seu Genitor filii; ut vel lippis & tonsoribus notum est.

Inst. At Pater transacta Generatione, filium respicit.

Resp. Respicit forte officia parentis præstando, docendo, castigando alendo, &c. At non respicit ut Pater, nisi per actum generandi. Siquidem cum ut Pater, per entitatem respicere nequeat, necesse est ut respiciat per actum illum, licet præteritum. Actus autem præteriti, subjectum non raro denominant.

Ex

Ex altera parte, quædam ex Relatis Transcendentalibus terminos suos gratis respiciunt, nihil circa eos efficiendo, aut ab iis recipiendo; ut omnia consentanea, & dissentanea, qua talia.

II. Nonnullæ etiam ex illis, Relationibus, quas prædicamentales nuncupare volunt, identificantur cum subjectis inadæquate, non minus quam Transcendentales. Ut ovum, per suam Entitatem, est ovo simile; & duæ Lineæ, per suas Entitates, sunt æquales.

Dices ovum esse ovo simile, per qualitates distinctas; puta per figuram, & colorem: & duas Lineas esse æquales, per quantitatem distinctam.

Resp. I. At tum, saltem figuræ et colores ovorum, per suas entitates, similes sunt.

II. Est etiam ovum ovo simile in substantia.

III. Quantitas distincta à materia nulla est, ut ostendetur in Physiologia. Ex adverso quædam Relationes transcendentales, accidentales sunt subjectis suis. Accidit enim sæpe, unam rem esse causam et effectum alterius. Scilicet cum causa contingenter operatur, et cum effectus oriri potuit ab alia causa. Nec dicas Relationem causæ, quatenus est causa, et effectus, ut effectus est, esse Essentialem: Sic enim Relatio Patris ad filium, qua pater, essentialis est: sicut omni rei quatenus est talis, essentialiter convenit esse talem v. g. homini quatenus est albus, esse album. Reliqua breviter expediam.

Quæst. VII. *An eadem res Relationem habeat ad seipsam.*

Resp. Negative. Relatio enim, de essentia sua est affectio unius ad aliud.

Obj. I. Intellectus cognoscit seipsum: & sic refertur ad seipsum.

Resp. Refertur medio actu intelligendi: seu potius actus ille ad eum refertur; & inde intellectus ipse referri dicitur.

Obj. II. Oculus, dum seipsum in speculo intuetur, refertur ad seipsum.

Resp.

Resp. Mediante specie visibili, non per se

Quæst. VIII. *An ad Relationem necessarium sit, ut Terminus actu existat.* Hic rursus sine ratione distinguunt inter Relationes prædicamentales, & Transcendentales; & de illis affirmant, de his negant.

Thesis I. *Quædam Relationes terminum requirunt actu existentem*; ut relatio Patris ad Filium, Mariti ad Uxorem, similis ad simile. Quanquam differentia ista ad modum loquendi pertinere videatur; scilicet quod actio generandi denominet aliquem patrem, quamdiu vivit filius, non autem diutius.

Thesis II. *Aliæ non requirunt terminum existentem, sed tantum possibilem.* Ut Relatio causæ ad effectum. Quanquam res videatur causa dici, antequam actu causet, ex hypothesi tantum quod causet, & ob virtutem causativam, seu aptitudinem causandi.

Thesis III. *Quædam ne quidem possibilem terminum requirunt, sed tantum intelligibilem*, seu qui aptus sit ad esse objectivum habendum. Sic mens refertur ad res impossibiles, dum eas intelligit, aut optat. Peculiare enim ei est, quod actus illius terminari possunt ad pura non-entia, quatenus ideas qualescunque eorum potest in se formare.

Quæst. IX. *An Relatum terminetur ad quid absolutum, an ad respectivum.*

Resp. *Relatum non terminatur ad absolutum quatenus absolutum est, sed ad respectivum*, seu correlatum. Ut Pater qua Pater, refertur ad alium non qua homo est, sed qua genitus, seu filius. Et omnino omnis causa ad effectum, quatenus est effectus ab ea pendens. Ratio à priori est, quia omne relatum, quatale refertur ad terminum: Omnis autem terminus est respectivus. Sicut enim aliud ipsum respicit, ita etiam ipse ab alio respicitur. At respici ab alio est referri ad aliud.

Quæst. X. Quid de Divisione Relatorum, & Relationum à *Claubergio*, tradita *Ontosophiæ, Sect.* 12. *num.* 217. in Relationem *Originis, Negationis*, & *Affirmationis.*

firmationis, sentiendum sit. Sub Relatione *originis* complectitur Relationes *principii*, ad *principiatum*, & *causarum* ad *causata*, num. 220. Sub Relatione *Negationis*, Relationes inter Res *distinctas*, & *oppositas*, num. 264. Sub Relatione denique *Affirmationis*, Relationis *Convenientiæ*, *Partis* ad *Totum*, *adjuncti* ad *subjectum*, *Signi* ad *Signatum*.

Resp. Reprehendenda est illa distributio.

I. Quia termini quibus duo posteriora membra exprimuntur, sunt obscuri, eoque nomine inepti. Non enim facile apparet quid Relationibus Affirmationis, & Negationis, Significetur. Omnia enim relata cum diversa aliquo modo sint, de se invicem negari possunt, nulla autem vere affirmantur, nisi relata quædam rationis.

II. Falso fundamento nititur prædicta Divisio, nempe *Relationem*, ut Distinctam à rebus relatis, & fundamento *esse purum putum mentis nostræ opus*, ut loquitur Autor, supra, num. 217. Mentem autem nostram tribus modis res ad se invicem referre; inferendo, negando, & affirmando. Nam primo, hic concedere videtur Relationem esse aliquid reale, extra conceptum nostrum, licet indistinctum à fundamento, & termino; quod supra num 207. negare videbatur. Deinde, licet omnia opera mentis nostræ, ut res ad seinvicem confert, ad tria ista revocari possent, non tamen, cum conferimus unam rem cum alia, semper vel inferimus alteram ex altera, vel unam affirmamus, aut negamus de altera. Sæpius enim conferimus res, attribuendo illis unum aliquod tertium, & commune. Neque, sicut in relationibus diversitatis, unam de altera negamus, ita etiam in Relationibus convenientiæ, unam de alia affirmamus, ut termini hic innuere videntur. Tertio cum Relationes à cogitationibus nostris non dependeant, ut ostendimus supra quæst. 1. consentaneum est, ut ex naturis rerum, non autem ex illis differentiæ desumantur.

III. Si

III. Si Terminos hic usurpatos, cum rebus quibus significandis adhibentur, conferamus, patet omnes Relationes originis esse Relationes affirmationis, non minus quam illæ quæ peculiariter affirmationis vocantur. Siquidem cum conferimus causam cum effectu, affirmamus hunc ex illa oriri.

IV. Nec cum res ad origines suas conferimus, referimusve, semper illatione, vel discursu, id præstamus, sed sæpe pure affirmando. Ut cum concimus omnia, præter Deum ipsum, à Deo esse. Si autem dicat Claubergius, conceptus istiusmodi virtualiter esse ratiocinativos, idem dici debet cum diversa aut cognata inter se conferimus.

V. Ad Relationes affirmationis refert partes & Subjecta inhæsionis. Quæ tamen ad Relationes originis evidenter referendæ sunt. Sunt enim partes principia totius compositi, & subjectum est fundamentum modorum qui ab eo pendent. Oriuntur enim modi è substantiis & è potentia materiæ, (ut recte loquuntur Aristotelici) sæpius educuntur. Sed de nævis hujus distributionis satis.

Rectius igitur dividerentur Relationes Reales in Relationes originis, Convenientiæ, Diversitatis, & Ordinis. Relationes originis complectentur Relationes principiorum quorumcunque ad principiata; efficientis ad effecta, mediorum ad finem, partium ad composita, subjecti ad adjuncta, exemplaris ad imaginem; cui affinis est Relatio signi & signati. Sub Relationibus convenientiæ continentur Relationes similitudinis, & paritatis, sive in iis quæ rebus essentialia sunt, sive in accidentariis. Sub Relationibus Diversitatis, Relationes dissimilitudinis, & inæqualitatis, seu imparitatis, sive in essentiis, sive in accidentibus. Non autem putandum est Distinctionem esse Relationem. Satis enim patet esse negationem. Distinguitur enim res à re, non quia certo

modo se habet ad aliam, sed præcise quia non est alia. Denique Relationes ordinis complectuntur omnes Relationes prioris, & posterioris. Relatio enim eorum quæ *simul* dicuntur, ad convenientiam potius referenda est.

DISPUTATIO. IX.

De Distinctione Rerum à se invicem.

Quæst I. AN *Distinctio formaliter consistat in positiva Entitate rerum qua distinguuntur, an in negatione mutua.* Ex. gr. An *Petrus* & *Johannes* homines distincti sint, per suas entitates, an vero per hoc, quod Petrus non sit Johannes, & reciproce. Priorem partem tuentur Suarez, Fonseca, Arriaga, posteriorem Hurtado, Comptonus, & alii.

Thesis. *Distinguuntur Res formaliter, à se invicem, non per solas Entitates suas, sed per negationem mutuam sui*; seu ex eo quod una non sit alia. Probatur.

1. Omnis res, per se, & necessario, connotat negationem omnium aliarum. Non igitur mirum esse debet quod res per negationem istiusmodi distinguantur.

2. Seclusa ejusmodi negatione, res non distinguuntur, sed erunt idem. Per eam igitur distinguuntur Per negationem enim istam, formaliter tollitur Identitas; & proinde constituitur distincto.

Replicat *Compronus*, per negationem tolli, non veram Identitatem, sed impossibilem.

Resp.

Resp. Nec necesse est veram identitatem tolli, (hæc enim nunquam tolli potest), sed sufficit tolli impossibilem. Sicut Unitas negationem dicit pluralitatis impossibilis. Aliâs enim possibile esset non distingui quæ distinguuntur, quod falsum est.

3. Distinctio superaddit Enti Rationem aliquam formalem. Nec enim eadem est formalis Ratio *Entis*, & *Distincti*. At nec aliquid positivum absolutum addit, nec Relationem, seu habitudinem. Solam igitur negationem.

4. Percipere & intelligere non possumus res distingui, dum videamus alteram non esse alteram.

Obj. I. Prius est rem constitutam esse in Essentia, & Entitate sua, quam quod ei conveniat negatio alterius, seu non esse aliam. Ergo prius convenit ei distinctam esse ab alia, quam negatio aliûs.

Resp. Non sequitur. Nam per *esse constitutam* in tali Essentia, seu Entitate, res non est formaliter distincta, sed tantum talis res in specie. Adeo ut *res*, sic constituta, sit id quod distinguitur; negatio vero aliarum rerum, id quo distinguitur.

Obj. II. Per Differentiam suam res distinguitur ab alia. At Differentia rei non est semper negatio.

Resp. Per Differentiam suam res non solum distinguitur ab aliis, sed etiam ab iis discrepat, seu dissimilis est. Et Differentia proprie supponit distinctionem aliquam, ut natura priorem. Si quidem nihil differt a seipso, quatenus ipsum est.

Obj. III. Res positiva distinguitur à negativa, per suam Entitatem, sine negatione: Ergo etiam à positiva.

Resp. Neg. Anteced. Nam sine negatione Chimæræ, Homo non distinguitur à Chimæra. Deinde nulla Entitas esse potest, fine negatione omnium aliarum.

Obj. IV. Sequeretur parietem distingui ab albe-

dine, ſibi inhærente, per negationem albedinis, quæ eſt nihil: adeoque diſtingui ab ea per nihil.

Reſp. Non omnis negatio albedinis eſt nihil, ſed tantum pura negatio. Paries autem eſt negatio albedinis, ſeu non albedo, & aliquid amplius.

Obj. V. Ponamus in quantitate A, eſſe colorem A, color diſtinguitur à quantitate: At in illo caſu non eſt negatio coloris in quantitate, quia in nullo ſimul eſt res ipſa & ejuſdem negatio.

Reſp. Egregium Sophiſma Homonymiæ. Diſtinguo minorem. In illo caſu, non eſt negatio coloris, ut inhærentis in quantitate, verum eſt. Non eſt negatio coloris ut identificati cum quantitate nego. Habet enim quantitas negationem coloris, quatenus non eſt color.

Quæſtio. II. *An res pure poſſibiles, & non Entia, diſtinguantur realiter.*

Reſp. Res poſſibiles diſtinguuntur realiter poſſibiliter, hoc eſt ex hypotheſi quod exiſterent. At non diſtinguuntur actu. Sic enim ſunt nihil.

Obj. Una res poſſibilis, etiam in ſtatu poſſibilitatis, non eſt alia: habet igitur negationem alterius.

Reſp. Habet puram negationem alterius, ſine entitate actuali; quæ ad diſtinctionem realem, proprie non ſufficit.

Inſt. Quæ non diſtinguuntur ſunt idem. At duo non Entia non ſunt idem; puta *tenebræ* & *cæcitas, quadratum rotundum*, & *materia intelligens* &c. Ergo diſtinguuntur realiter.

Reſp. Non Entia, per ſe, & intrinſece, nec diſtinguuntur, niſi in noſtro conceptu, nec ſunt idem: diſtinguuntur igitur extrinſece. Et negationes quidem, ratione rerum poſitivarum quas negant: impoſſibilia vero, ratione rerum repugnantium, ex quibus componuntur. Privationes per ſubjecta diverſa é quibus formas tollunt. Diſtinguuntur igitur non Entia, ratione, aut in ſolo noſtro conceptu.

Inſt.

Inst. Si non-entia per se non distinguerentur, nec non-ens distingueretur ab Ente; à quo tamen maxime discrepat.

Resp. Ens & non-ens distinguuntur distinctione quæ ex altera parte positiva est, hoc est, quæ fundatur in Entitate reali; ex altera vero negativa: quatenus scilicet non-ens non est idem cum Ente.

Quæstio III. *Quænam sint Criteria distinctionis Realis.* Circa resolutionem hujus quæstionis, contra manifestam veritatem pugnant Doctores *Pontificii*, & *Lutherani*, ut dogmata Transubstantiationis, & Consubstantiationis, sine absurdo tueri videantur. Sit igitur.

Thesis. *Quæcunque separantur à se invicem, aut separari possunt, sine contradictione,* sive ambo separatim existant, sive non; *quæ sunt in diversis Subjectis*, aut *in diversis locis eodem tempore, deniq; quorum alterum est causa, alterum effectus, illa omnia realiter distinguuntur.* Per Distinctionem *realem*, hic intellige omnem distinctionem quæ nec ficta est, nec Rationis, ut scilicet modalem includat. Sunt illa omnia per se manifesta, & nulla alia probatione, indigent, quam ut, quæ in contrariam partem objiciuntur, diluamus. Illa autem diluenda redibunt in his controversiis, *an idem corpus possit esse in locis distantibus eodem tempore; an eadem res possit seipsam producere.* Contra tertium Cririum objicit *Schiblerus Metaph. Cap.* 8. *Art.* 3. Ipsi Calviniani admittunt, non arguere distinctionem realem, quod res existant in diversis temporibus. Ergo nec signum est distinctionis realis, quod res sit in diversis locis simul: locus enim rebus extrinsecus est; non minus quam tempus.

Resp. Non sequitur; & manifesta est disparitas. Tempus enim semper fluit: unde una & eadem res coexistere potest diversis illius partibus,

ut palus in flumine diversis partibus aquæ continuo decurrentis. At locus est quid permanens, ac immobile. Et idcirco quæ in partibus illius distantibus existunt, distant, & separantur à se invicem. Et nunquam sequetur contradictio, si unum intereat dum alterum permanet. Adeoque sunt realiter distincta.

Quæst. IV. *An omnia quæ realiter distinguuntur, possint à se invicem separari.* Negant *Pontificii.* Nos distinguimus.

Thes. I. *Si res necessario coexistant, & uniantur, possunt realiter distingui, licet separari nequeant.* Ut subsistentiæ divinæ realiter distinguuntur, cum tamen propter necessitatem existendi, separari à se invicem non possint.

Thes. II. *In creatis semper verum est, quæcunque realiter distinguuntur, citra contradictionem separari posse.* Nam omnis substantia creata potest à quavis alia, cum qua unitur, aut uniri potest, separari: Et omnis modus substantiæ creatæ potest ab illa separari. Nullæ enim res creatæ, absoluta necessitate cohærent. Unde non sequetur, si separentur, idem simul esse & non esse.

Objicit I. *Comptonus*, Relationes non posse separari à suis subjectis, quamdiu existunt termini. Nec subjecta ab omnibus Relationibus. Ut Relatio Creaturæ ad Deum, separari nequit à Creatura, nec vicissim.

Resp. Argumentum illud nihil probat, nisi concessa distinctione reali Relationis à fundamento & termino, quæ plane ficta est.

Obj. II. Non omnia puncta continui possunt à seinvicem separari, quæ tamen realiter distinguuntur.

Resp. Negamus distingui realiter illa puncta, vel partes, quæ separari nequeunt. Et absolute asserimus, omnia puncta cujusq; continui, posse divinitus separari.

Obj. III. A parte materiæ divisibili, non possunt separari omnis figura, & situs partium. Semper enim aliquam figuram & aliquem situm partium retinebit.

Resp. I. Si supponamus omnes partes manere unitas, semper retinebunt quidem aliquam figuram, & situm ad se invicem, in toto: sed suppositio illa potest mutari, sine contradictione, adeoque mutari etiam possint omnia quæ ex ea pendent. Potest enim dividi illa portio materiæ, in omnes partes quas continet; hoc est in puncta indivisibilia, in quibus nulla est partium distinctio, realis, aut intelligibilis: possunt & omnes partes illæ minimæ, in locis distantibus constitui. Unde nulla erit earum figura, nullus situs cum unione conjunctus, qualis fuit ante divisionem.

II. Posito quod partes maneant unitæ, retinebunt aliquam figuram indeterminatam: at potest quævis determinata ab ea separari. Idem dicendum de omnibus aliis modis.

Obj. IV. *Cartesiani,* Mentem existere non posse sine omni cogitatione: Cogitatio tamen *realiter-modaliter* ab ea distinguitur.

Resp. I. Sine omni cogitatione indeterminata concedi posset. Nullam tamen determinatam necessario requirit.

II. Incertum etiam est an mens semper cogitet: nec à Cartesianis demonstratur. Quod enim dicunt, cogitationem esse de Essentia mentis, etiam creatæ, immane absurdum est, ut in Psychologia, Deo volente, demonstrabimus.

Quæstio V. *An Distinctio modalis*, quæ inter substantiam & modum reperitur, *major vel minor sit Distinctione Reali*, inter duas substantias, aut duos modos; Quidam enim minorem vocant; *Comptonus* majorem esse contendit.

Thesis. *Distinctio modalis nec major proprie, nec minor*

Reali est. Patet quia Distinctio non admittit *magis* & *minus*, omnis enim res vel est eadem cum alia, vel non. Si prius nullo modo ab ea distinguitur. Si posterius non potest magis distingui.

Objicit I. Comptonus; Illa magis distinguuntur, quæ minus conveniunt. At minus conveniunt substantia & modus, quam duæ substantiæ, vel duo modi. Hæc enim genere proximo conveniunt; illa genere tantum remoto.

Resp. Nego majorem. Quia, quæ minus conveniunt, dissimiliora quidem sunt, non tamen distinctiora. Differentia enim potest esse major vel minor; non sic distinctio.

Obj. II. Minor est distinctio inadæquata, quam adæquata; ut corpus humanum minus distinguitur ab homine, quam lapis.

Resp Distinctio inadæquata, quatenus distinctio (est enim partim distinctio. partim non, & idcirco *inadæquata* vocatur), non est minor adæquatâ. Ut corpus humanum, quatenus vere distinguitur ab homine, hoc est à mente, non minus ab eo distinguitur, quam quodvis aliud.

Obj. III. Minor est Entitas modi quam substantiæ. Ergo, minus ab ea distinguitur, quam una substantia ab alia.

Resp. Minor est Entitas micæ pulveris, quam Sol, aut Luna: æque tamen ab illis distinguitur, ac hæc à se invicem. Non igitur quia unum ex natura & Entitate sua, imperfectius est alio, magis minusve ab eo distinguitur. Sic enim Substantia magis distingueretur à modo, quam modus à substantia; Creator à Creatura, quam hæc ab illo.

Obj. IV. Minor est Distinctio Rationis, quam Realis.

Resp. Neque hic minor est, quatenus vera Distinctio est. Ex. g. æque distinguitur homo, qua Pater, à seipso, qua Dominus, quatenus distinguitur, ac filius,

&

& servus, ad quos refertur. Nam quatenus sic distinguitur, connotat, ut Pater, Filium; ut Dominus, Servum. Idem dicendum est de distinctione quæ à diversis negationibus oritur. Negationes enim illæ non distinguuntur, nisi per res quas negant, hæ autem distinguuntur realiter, vel ut Entia positiva, vel ut non Entia. Distinctio igitur major vel minor dicitur, per analogiam quandam ad ea quæ proprie majora sunt vel minora, prout scilicet fundamentum majus vel minus est.

Quæst. VI. *An sit aliqua Distinctio Rationis, quæ non est Realis.* Peculiaris est hic sententia *Derodonis*, qui negat. *Metaphys. contract. pag.* 29, 50. Concedendum Derodoni est, Distinctionem Rationis esse *Realem*, eo sensu quo Reale opponitur ficto. Distinctio enim quæ Rationis dicitur non est ficta. Sit tamen.

Thesis. *Est quædam Distinctio, quæ non est Realis*, juxta vulgarem acceptionem Distinctionis Realis, *nec tamen ficta*. Patet, Quia illa Distinctio Rationis dicitur, quæ nec est ficta, nec inter duas substantias, aut duos modos Physicos, nec denique inter substantiam & modum Physicum. At datur Distinctio istiusmodi. Ut inter Attributa Divina; puta *Misericordiam* & *Justitiam*, &c. Item inter attributa cujusvis rei simplicis, ut inter *virtutem intelligendi* & *volendi* in mente nostra, aut Angelo, quemadmodum supra ostendimus, *Disput.* 3. *quæst.* 2.

Objicit *Derodon*. I. Distinctio Rationis est Ens Rationis, adeoque impossibile.

Resp. Neg. Antecedens, primo quia distinctio qua talis nec est Ens Reale, nec Ens Rationis, sed Affectio Entis, vel potius Entium. Deinde, quia Distinctio Rationis sic vocatur, non quia nullum aliud esse habet præterquam à Ratione, seu apprehensione mentis nostræ, sed quia inter plures *rationes* rerum intercedit, nempe inter plures *habitudines*, aut *negationes*, ut in Institutionibus definivimus.

Obj.

Obj. II. Attributa Divina, puta Misericordia & Justitia, si considerentur præcise Ratione principii, quod est ipsa Deitas, nec re nec Ratione distinguuntur: si ratione effectuum, qui sunt *punire*, & *parcere*, sic distinguuntur realiter.

Resp. Misericordia & Justitia in Deo, nec distinguuntur ratione effectuum præcise, nec ratione principii, sed ratione habitudinis diversæ ad effectus illos, quam principium connotat. Adeo ut misericordia sit Divina essentia, prout realiter connotat Relationem ad actum parcendi, vel conferendi beneficia gratuita: Justitia vero sit eadem Essentia, ut connotat Relationem realem ad actum puniendi, vel ad ipsam pœnam infligendam, vel inflictam. Idem verum est de virtute intelligendi, & volendi, in mente creata, & cæteris similibus.

Quæst. VII. *An sit aliqua Distinctio Rationis Ratiocinantis, quæ* (ut vulgo definitur) *nullum fundamentum habet in re.* Communis est pars affirmans. Nos sic statuimus.

Thes. I. *Mens humana sæpe fingit* Distinctionem, *sine fundamento in rebus*: ut multi opinantur *Episcopum* & *Presbyterum* esse distinctos ordines in Ecclesia. Sed Distinctio Rationis Ratiocinantis, ex communi sententia, non est plane ficta. Idcirco sit

Thes. II. *Nulla est Distinctio, præter fictam, quæ non habet fundamentum in re.* Ratio est, quia mens ubi nullum fundamentum distinguendi invenit, distinguere nequit, sine fictione. *Distinguere* enimest diversimode concipere: at impossibile est mentem dissimiles conceptus formare, nisi diversitatem aliquam inveniat in objecto, veram, vel fictam. Siquidem sine objecto vero vel ficto nullus unquam est conceptus.

Obj. Cum dicimus *Homo est Homo*, distinguimus inter Hominem & seipsum, ut modo habet rationem subjecti, modo prædicati; vel cum abstracta di-

distinguuntur à concretis, ut Humanitas ab Homine, Entitas ab Ente.

Resp. Ad primam instantiam, cum dicimus *homo est homo*, vel concipimus hominem esse subjectum simul & prædicatum, vel non. Si prius, Distinctio est rationis ratiocinatæ, habens fundamentum in re. Homo enim à parte rei habet aptitudinem subeundi utramque rationem. Rationes autem illæ sunt diversæ ut per se patet. Si posterius, nullo modo distinguimus Hominem à seipso, sed è contra identificamus eum cum seipso, seu concipimus esse prorsus idem. Ad secundam manifestum est, Hominem in concreto, distingui ab humanitate, non tamen ratione ratiocinata, (ut vulgo loquuntur) sed realiter, aut modaliter, saltem inadæquate. Nam Homo, præter Humanitatem, includit varia accidentia, quæ ab ea, saltem modaliter, distinguuntur. Quod si nulla omnino accidentia includeret, adhuc tamen distinguitur ratione, quia homo in concreto, concipitur ut res quæ sentit & ratiocinatur, Humanitas vero, ut virtus sentiendi, & ratiocinandi, vel ut corpus, mens, & utriusque Unio; illa autem ratione ratiocinata distinguuntur, saltem inadæquate, & diversa connotata includunt. Idem verum est de Ente quod significat aliquid non repugnans, & Entitate, quæ, quatenus ab Ente distinguitur, (interdum enim nullo modo distinguitur), solam negationem repugnantiæ denotat.

Quæst. VII. Quid sentiendum de Distinctione *formali*, & Natura Rei, quam, præter Distinctionem Realem, & Rationis, adstruunt Scotistæ.

Resp.

Thesis. *Nulla est Distinctio formalis, diversa à Distinctione Reali, Modali, & Rationis*; Omnis enim Distinctio vel est inter duas substantias, vel inter duos modos Physicos diversarum substantiarum, vel inter substantiam aliquam, & modum alterius. Et

hæ

hæ omnes reales ab omnibus vocantur: vel inter ſubſtantiam & modum ſuum, quæ modalis vulgo dicitur: vel inter plures modos ejuſdem ſubſtantiæ, quæ vel Realis, vel Modalis eſt: vel denique inter plures rationes rerum, aut inter Rem & Rationem ſuam: Ut inter duas Relationes, ejuſdem Rei, ad diverſos terminos, vel inter duas negationes; vel inter Relationem & negationem, quæ Diſtinctio Rationis dicitur. Diſtinctio igitur illa, quam *formalem ex Natura Rei*, hoc eſt, formalem-realem appellant Scotiſtæ, non poteſt eſſe alia quam Diſtinctio Modalis, vel Rationis. Ut patet exemplis quæ adferunt. Dicunt enim per eam diſtingui in re corporea, Quantitatem & Figuram: Item Relationem, & Fundamentum, ut referunt Conimbricenſes in Præf. Porphyrii q. 4. art. 2. Inter rationem Entis, & rationem ſubſtantiæ in homine, ut refert Arriaga Diſp. 5. Log. 11. 4. In primo enim Diſtinctio eſt modalis, in ſecundo & tertio, eſt Rationis.

Obj. Omnis Diſtinctio Rationis eſt per intellectum: at datur diſtinctio quædam quæ nec Realis, nec Modalis, nec per intellectum eſt: ut inter gradus eſſentiæ, in eodem individuo ſimplici; prout inter rationem ſpiritus, Subſtantiæ, & Entis, in Gabriele. Illa igitur eſt formalis ex Natura Rei.

Reſp. Negatur major. Nulla enim Diſtinctio eſt purè per intellectum, præter Diſtinctionem fictam; ut ſupra oſtendimus.

DISPU-

DISPUTATIO X.

De Universali.

Quæst. I. AN recte definiatur Universale, *Unum aptum inesse pluribus, & illis attribui*, seu *de illis prædicari.*

Resp.

Thesis. *Recte sic definitur*, si intelligas universale *pluribus inesse*, primo *per multiplicationem* sui in illis, adeo ut unicuique insit distincta natura, licet plane similis. Alioqui si natura aliqua sit prorsus eadem in pluribus, ut Essentia Divina in tribus personis S. S. Trinitatis, non erit Universalis, sed tantum communis. Secundo *per identitatem* cum illis pluribus, ita ut in singulis ex iis singulæ sint naturæ similes identificatæ.

Obj. I. Albedo est unum quid in nive, & lacte, non tamen ad illa Universalis est.

Resp. Non est Universalis ad substantiam nivis & lactis, (licet quidam universale accidentale, opposite ad essentiale appellant), est tamen ad albedinem lactis, & albedinem nivis.

Obj. II. Natura Solis est universalis, non tamen est una in pluribus.

Resp. Non est una in pluribus actu existentibus: Est tamen in pluribus possibilibus; aptitudinem autem essendi in pluribus, ad *universale* sufficere volunt Logici.

Obj.

Obj. III. Anima Socratis eſt una in pluribus membris corporis ſui; quia eſt tota in toto corpore, & tota in ſingulis membris, ut communis fert ſententia: eſt tamen res ſingularis.

Reſp. Non conſtat eſſe totam in ſingulis membris. Et ſi conſtaret nec in illis multiplicatur, nec cum illis identificatur. Prius autem neceſſario requiritur ad *Univerſale*.

Obj. IV. Natura Heminæ aquæ eſt in una omnibus illius guttis; non tamen Univerſalis, ſed ſingularis.

Reſp. Eſt una in natura & ratione aquæ præciſe, non in ratione Heminæ.

Quæſt. II. *An ſit aliqua natura Univerſalis à parte rei:* An vero omnis Natura quæ univerſalis eſt, per intellectum univerſalis ſit. Multum agitatur hæc quæſtio, cujus tamen exigua aut nulla Utilitas eſt. Eſt enim de voce *Univerſalis*, quam alii aliter pro arbitrio accipiunt; nempe utrum natura, v. g. Hominis in ſe, an ut tali modo concipitur, univerſalis dicenda ſit. Et tandem eo recidit quæſtio, utrum unitas ſimilitudinis, inter ſingularia, ad Univerſale ſufficiat, an vero alia quædam unitas ſit neceſſaria.

Platonis ſententia fuit, Naturas univerſales eſſe ideas quaſdam ſeparatas à ſingularibus, in mente divina, (ut quidam Platonem interpretantur) exiſtentes. *Scotus* & *Scotiſtæ* docuiſſe putantur, in ſingularibus ejuſdem ſpeciei, eſſe naturam unam unitate formali, (ut vocant), non multiplicatam ex ſe, ſed per ſingularitates diſtinctas ſupeadditas. *Fonſeca* Naturam eſſe univerſalem docuit in ſtatu poſſibili, ſeu in ſigno rationis, antequam contrahitur ad ſingularitates. *Caietanus* eſſe unam unitate negativa à parte rei, quatenus in ſingularibus non diſtinguitur, hoc eſt quatenus non eſt diverſa, ſeu diſſimilis.

Ex altera parte, alii contendunt Naturam non eſſe

se Universalem nisi per præcisionem, seu abstractionem mentis; de modo tamen præcisionis inter se dissentiunt. *Thomistæ* enim dicunt præcisionem illam esse *objectivam*; hoc est, quâ ita concipitur natura, ut singularitates seu differentiæ non concipiantur, magis quam si cum illa nec conjunctæ, nec identificatæ essent. *Nominales formalem* esse contendunt; scilicet quæ vere attingit, omnes differentias, & singularitates quæ cum ea identificantur, verum adeo *confuse* & indistinctè, ac si eas non attingeret. Ab his parum dissentiunt, qui dicunt Universale esse hanc vel illam Naturam communem, indefinite vel indeterminate apprehensam. Ambo quidem concedunt naturam esse Universalem *fundamentaliter*, quatenus convenientia realis inferiorum occasionem menti præbet conceptum præcisivum seu abstractivum formandi: negant tamen esse Universalem *formaliter*. His enim terminis uti volunt.

Denique *Cartesius* docet Universalia nihil esse nisi varios modos cogitandi. In hac quæstione sit,

Thes. I. *Nullæ sunt ideæ rerum separatæ à rebus ipsis, nisi in mente*, vel Divina, vel creata; Humana scilicet vel Angelica. Nec hæ Universales sunt in *Essendo*, sed in repræsentando.

Thes. II. *Nulla Natura communis creata, ita est una in pluribus, ut non sit etiam multiplex intrinsece, & per se:* Adeoque Unitas quæ Universale constituit, non potest esse illa Unitas formalis, quam *Scotistæ* adstruunt; si modo vere eam talem esse putaverint. Sic enim una & eadem *Humanitas* esset in omnibus hominibus; eo modo quo una & eadem essentia Divina, est in omnibus personis venerandæ Trinitatis. Nec Humanitas universalis esset, sed singularis. Deinde supponit sententia illa, singularitatem esse realiter distinctam à natura, ut accidens quoddam ipsius, quod falsum est. Est enim natura, ex g. humana in Socrate, aliisque hominibus, essentialiter, & per se singularis.

Exci-

Excipiunt *Scotistæ,* contra posteriorem illam rationem.

I. Si natura esset ex se, & essentialiter singularis, non esset communicabilis, nec esse posset Universalis. At posterius est falsum.

Resp. I. Natura dicitur communicabilis pluribus, non quod una eademque in pluribus, sed quod plures omnino similes, singulæ in singulis sint.

II. *Petrus* & *Paulus* conveniunt specie, & differunt numero; eandem igitur habent essentiam, non eandem individuationem. Proinde, essentia, & individuatio, seu singularitas, non sunt idem.

Resp. Non *differunt* proprie numero, seu singularitatibus, sed tantum distinguuntur, nec *eandem* proprie & stricte essentiam habent, sed similes essentias, qua ratione habent etiam *eandem* singularitatem, id est, singularitates similes. Unde in eodem individuo essentia et singularitas sunt realiter idem, sola autem ratione diversa. Quatenus enim natura humana Socratis consideratur ut id per quod Socrates est Homo, *Essentia* illius dicitur; quatenus vero connotat similem naturam in alio, dicitur *eadem* specie. Quatenus denique distinguitur realiter à reliquis similibus, et ut negat pluralitatem suæ rationis, *singularis* vocatur.

Thesis. III. *Natura in statu possibili, in nullo signo Rationis, indifferens est ad hanc vel illam singularitatem, nisi in nostro conceptu.*

Patet, Quia, in quovis signo rationis, natura possibilis est contracta ad suam quæq; singularitatem determinatam possibilem ad illam scilicet quam haberet, si existeret. Sicut natura existens contracta est ad singularitatem determinatam existentem. Nec enim aliam habere potest, quam illa quæ cum ipsa identificatur.

Obj. Natura est indifferens ad existendum vel non: Ergo, etiam à pari ad habendam hanc vel illam singularitatem.

Resp.

Resp. Negatur ſequela, et paritas allegata. Natura enim creata eſt indifferens ad exiſtendum vel non, quia non neceſſario exiſtit, ſed poteſt exiſtere vel non exiſtere. At non eſt indifferens ad hanc vel illam ſingularitatem, quia una ſingularitas neceſſario convenit cuiq; naturæ. Nec indifferens eſſe poſſet ad plures, niſi ſingularitas realiter aut modaliter ab ea diſtingueretur. Ex hoc igitur argumento tantum ſequitur, naturam eſſe indifferentem ad ſingularitatem actu exiſtentem habendam, vel ſolam poſſibilem retinendam.

Obj. II. Deus Hominem creaturus, potuit hunc vel illum ſingularem creaſſe, puta *Adamum* vel alium; potuit igitur creaſſe naturam humanam cum hac vel illa ſingularitate: Proinde natura indifferens eſt ad hanc vel illam ſingularitatem.

Resp. Diſt. Conſequens. Potuit creaſſe naturam humanam, cum hac vel illa ſingularitate, id eſt hanc vel illam humanitatem ſingularem, ſeu hanc vel illam, cum ſua quamq; ſingularitate, eſto. Potuit creaſſe unam & eandem numero humanitatem, cum hac vel illa ſingularitate, puta naturam humanam Adami cum ſingularitate Adami, vel Platonis, negatur: hoc enim impoſſibile eſt: quia natura humana Adami non diſtinguitur realiter à ſua ſingularitate.

Theſ. IV. *Natura Univerſalis concipitur à mente noſtra, conceptu præciſivo, ſeu abſtractivo*, qui ſcilicet *repræſentat inferiora ſecundum id tantum in quo conveniunt, non autem ſecundum differentias, aut multiplicitatem*: Ut cum concipimus Naturam humanam in communi, ſeu ſecundum ſe. Quod autem ad diſſidium inter *Thomiſtas* & *Nominales* attinet, rectius *Thomiſtæ* præciſionem hic ſtatuunt Objectivam. Sunt enim in eadem entitate ſimplici plures rationes formales, quæ aliter diſtinguuntur quam per intellectum: (licet hoc non concedant *Thomiſtæ*, & ſic non ſatis ſibi

constant) quarum idcirco una concipi potest, dum alia non concipitur. Quanquam res ipsa cui rationes illæ conveniunt, semper concipiatur. Ex. g. alia est ratio formalis, per quam homo est homo; alia per quam est singularis, ante omnem operationem intellectus. Homo enim qua Homo, connotat habitudinem ad actus sentiendi, & ratiocinandi. At quatenus est singularis connotat solam negationem pluralitatis, in ratione hominis; Quæ rationes, per se, sive cogitemus, sive non diversæ sunt. Et in rebus quæ constant pluribus naturis, quarum una est communis ipsis cum aliis, altera propria, ut in homine manifestum est, (Corpus enim quodammodó commune habet cum bestiis, mentem vero sibi propriam,) clarius apparet, quomodo mens objective unam partem ab alia præscindit. Ratio a priori est, quia omnis præcisio est objectiva. Si enim totum quod est in objecto concipiatur, nulla est præcisio.

Respondent Nominales esse quandam præcisionem quoad modum concipiendi quæ totum quod est in objecto attingit: nempe cum concipitur, v. g Natura Humana, cum omnibus singularitatibus in quantum conveniunt, adeoque confuse, & indistinctæ, ac si essent unum quid. Sed hæc doctrina nimis confusa est. Primo enim improprie vocatur præcisio quæ est tantum ratione modi concipiendi. Præcisio enim est alicujus præcisio seu divisio ab alio. At non est divisio modi concipiendi a conceptu: Ergo alicujus ex parte objecti. Deinde si præcisio, respectu modi, considerat omnia alicujus ordinis, (puta omnes homines,) in quantum conveniunt, non autem in quantum differunt, vel distinguuntur, tum certe cum concipitur *Animal*, qua tale, non concipiuntur illius differentiæ: & cum concipitur homo præcise ut homo non concipiuntur differentiæ Individuantes, quibus homines distinguuntur: idem enim

enim conceptus non potest duntaxat repræsentare animalia in quantum conveniunt, & eadem simul repræsentare in quantum differunt; & ita de reliquis. Adeo ut *Nominales* reipsa præcisionem objectivam concedant, licet verbis negent.

Obj. Sequeretur unm & idem simul, per eundem actum, cognosci & non cognosci. Natura enim Generica, & differntiæ suæ, & natura specifica cum singularitatibus, sunt idem.

Resp. Sequeretur unum & idem cognosci, & non cognosci, sed non secundum idem. Et licet natura Generica in re simplici, eadem sit cum differentiis simul sumptis, identitate reali inadæquata, non tamen identitate formali, seu rationis. Ex g. licet in puncto Mathematico idem realiter sint *indivisibile*, & *inextensum*, nempe ipsa entitas puncti, Ratio tamen inextensionis, & Ratio indivisibilitatis, non suut idem. Nam inextensio est negatio partiumin distinctis locis indivisibilitas est negatio actus dividendi possibilis. Negationes autem illæ distinguuntur aliter quam per intellectum, ut in superiori disput. ostendimus.

Thesis. V. *Licet Natura Universalis concipi soleat per præcisionem, non tamen est aut fit per eam Una, aut Universalis.* Probatur.

1. Quia sequeretur Naturam esse Universalem & non esse pro libitu nostro; esse scilicet, cum de ea cogitamus per conceptum præscindentem; non esse, cum non cogitamus.

2. Una eademque Natura haberet tot Unitates & Universalitates, quod actibus mentis præcisivis concipitur qui inumeri sunt.

Resp. *Intellectuarii*, actum præcisivum quotiescunque repetitur, semper eodem plane modo præscindere naturam ab inferioribus, ac proinde semper facere idem Universale. Contra quia licet idem specie Universale semper faciat, non tamen facit idem numero. Licet enim materia eadem sit, & forma

plane similis, quia tamen forma est aliud singulare, necesse est totum eatenus esse aliud.

3. Ab intellectu natura nihil mutuatur nisi quod per eum denominetur tali modo cognita, quod non est esse unum aut Universale.

Respondent, Naturas inferiorum fieri unum, cum ita concipiuntur ac si essent unum. Contra, quia si illud sufficeret ut fierent unum, tum quia tenebræ concipiuntur ad modum nigredinis, sequeretur eas fieri nigredinem; Et sic de aliis, quæ per idæas alienas concipiuntur.

Thes. VI. *Natura igitur ex se, est proprie, & formaliter, Universalis, antequam præscinditur ab inferioribus.* Patet, Quia Natura ex se est una genere, vel specie, & multiplex, in inferioribus quatenus in illis est prorsus similis; Totum igitur habet quod requiritur ad Universale. Ex communi enim modo loquendi, unum dicuntur quæ exacte conveniunt, præsertim in essentiis: cui proinde standum est, nec opus est ad intellectum recurrere, ut inde Unitatem & Universalitatem arcessamus.

Excipiunt Intellectuales, I. Unitatem quam natura habet à parte rei, non esse stricte unitatem. Includit enim essentialiter pluralitatem.

Contra, 1. Quia multo minus unitas illa quæ est per intellectnm, est stricte Unitas. Et unitati convenientiæ pluribus nominibus cedit. Hæc enim est *Essentialis* inferioribus, *necessaria, perpetua,* & *intrinseca*; illa vero *accidentalis, contingens, mutabilis,* & *extrinseca.*

2. Multa includunt pluralitatem, quæ tamen una ab omnibus habentur: ut omnes res compositæ.

Excipiunt II. Naturam esse tantum *fundamentaliter* unam & universalem, non autem formaliter. Et hac distinctione omnia argumenta opposita satis se diluere existimant; est tamen mera petitio quæsiti. Nam naturam esse formaliter unam, & universalem, nihil aliud apud illos significat, quam esse tale per intellectum, hoc

hoc autem est ipsum quæsitum. Deinde natura humana non tantum præbet intellectui fundamentum concipiendi se, instar unius, quod est esse fundamentaliter unam, sed etiam in se dicit unam multitudinem naturarum in certa ratione similium, seu negationem plurium multitudinũ, quod est *formaliter* esse in ea ratione unam: sicut õnes creaturæ sunt formaliter unꝰ mundꝰ.

Hinc inferimus contra Cajetanum, naturam non tantum negative, sed etiam positive unam esse. Convenientia enim singularium est positiva: siquidem hæc per positivas entitates suas conveniunt.

Obj. I. Quicquid existit extra mentem est singulare. Ergo extra eam nihil est universale.

Resp. Quicquid existit extra mentem, est vel unum singulare, vel plura, conceditur; Unum præcise, negatur. Universale vero non est unum singulare, sed multa quatenus conveniunt.

Obj. II. A parte rei nihil potest esse unum, & Multiplex, in eadem ratione in qua est unum, ut ad universale requiritur.

Resp. Distinguendo minorem. Requiritur ad Universale ut sit unum & multiplex in eadem ratione, quatenus spectatur secundum essentiam talis naturæ, puta Coloris vel Humanitatis: non autem simpliciter. Hoc enim est impossibile. Nec in *Intellectualium* sententia obtinere potest, magis quam *Realium*. Juxta illos enim, natura est una per Intellectum, & extrinsece; multiplex vero, extra intellectum, & intrinsece. Sicut secundum nos est una propter convenientiam multiplex vero propter multitudinem singularium.

Inst. At tot sunt convenientiæ quot sunt singularia. Unumquodque enim singulare, cum quovis alio, suam habet convenientiam.

Resp. Tot sunt convenientiæ partiales, quot sunt singularia: Una tamen est adæquata omnium simul. Omnes enim illæ convenientiæ sunt exacte similes Et ea ratione sunt Una. Deinde satis est ad unitatem conconvenien-

venientæ, quod omnia ſingularia conveniant inter ſe, licet pluribus convenientiis. Sicut ut mille partes continui unum conſtituant, ſufficit quod omnes uniantur, licet pluribus unionibus, tot ſcilicet quot ſunt ~~aligades~~ partium. Cætera inter diſputandum diluenda relinquimus.

dyades

Theſis. 7. *Objectum conceptus quo concipitur Univerſale, ſunt omnia ſingularia, hujus vel illius ordinis, quatenus conveniunt.* Puta objectum conceptus de *animali* in communi, ſunt omnia animalia, in quantum conveniunt in natura ſenſitiva. Patet ex Theſi proxima, & ulterius demonſtratur in hunc modum. Objectum conceptus de animali in communi, vel eſt unum ſingulare animal, ſive determinatum, ſive inderminatum; vel aliquot animalia, vel omnia, eaque tum actu exiſtentia, tum poſſibilia. At nec primum, quia ſic non apprehenderetur Univerſale ſed ſingulare. Nec ſecundum quia neque ſic apprehenderetur Natura ſenſitiva in tota latitudine. Tertium igitur dicendum eſt. Deinde adæquatum objectum conceptus Univerſalis, eſt totum quod per ipſum repræſentatur: Totum autem ſunt omnia individua certi ordinis. Idea enim animalis repræſentat omnia animalia quatenus ſunt animalia.

Obj. Univerſale ineſt ſingulis ſuis inferioribus, & de illis poteſt prædicari, quod de omnibus inferioribus ſimul non eſt verum.

Reſp. Univerſale ineſt ſingulis inferiorum, & de illis poteſt prædicari, non ſecundum *extenſionem*, ſeu Univerſalitatem, ſed ſecundum Naturam tantum & *comprehenſionem.* Ut tota Eſſentia Naturæ ſenſitivæ, ſecundum omnia attributa ſua, eſt in ſingulis animalibus; non autem in tota extenſione, quæ una cum convenientia eorum in quibus extenditur, eſt forma Univerſalis.

DISPU-

DISPUTATIO. XI.

De Genere, Specie, Individuo, & Differentia.

QUæst. prima est, *quid definiatur per definitionem Generis* (& eadem quæstio fieri potest de omnibus notionibus secundis;) Utrum scilicet Naturæ, ut sunt in se; an ut tali modo cognitæ. Posterius affirmant omnes qui notiones secundas denotare affirmant id quod res habent per intellectum. Unde in definitione generis, *Arriaga* definiri vult naturas, non ut sunt naturæ Physicæ & reales, sed ut cognitæ conceptu confuso qui inter inferiora non distinguit.

Thesis. I. *Non definiuntur hic naturæ quæ sunt Genera, secundum naturas suas proprias, nec secundum omnia communia Essentialia.* Et idem de specie, Individuo & Differentia, est dicendum. Ex g. Non definitur hic *Animal*, quatenus est Animal. Sic enim *Animal* non definitur, *Attributum Essentiale conceptum ad modum rei per se stantis commune pluribus quæ essentiis differunt*, sed vivens sentiens. Nec in definitione speciei, definitur, homo aut equus, quatenus sunt homo & equus, sed quatenus sunt subjecta attributi Generici; aut Attributa essentialia, concepta instar rerum per se stantium, communia pluribus quæ solis accidentibus differunt. Ad Genus enim & speciem perinde est quid aut qualia sint, *animal, color, homo, equus,* &c. Modo talia sint ut in definitionibus suis exprimitur.

Thes. II. *Non definiuntur in his definitionibus, natura ut subsunt cognitioni nostra.* Sic enim definiri deberent Genus & species, Res *abstractè considerata, non cognitis differentiis.* Cum tamen definiuntur juxta intellectuales, quæ prædicari aptæ sunt de pluribus specie vel numero differentibus, vel pluribus ejusmodi insunt, quatenus sunt tales.

Thes. III. *Definiuntur* igitur *naturæ reales, secundum id quod habent in se, sive concipiantur sive non.* Seu secundum affectionem, vel rationem communissimam, ut in definitione Generis, *animal, color, lapis, virtus,* & reliquæ naturæ similes, secundum *genereitatem*, seu quatenus sunt communes pluribus quæ essentiis differunt; id est, ut sunt Genera. In definitone speciei subjicibilis, definiuntur, *homo, equus, albedo, fortitudo,* quatenus sunt subjecta generum suorum: Speciei vero prædicabilis, eædem res, & similes, quatenus sunt communes iis solis quæ accidentibus tantum differunt. Seu omnes res quæ species sunt secundum *specieitatem,* sive ut species sunt. Unde & definiuntur res istæ secundum aliquid quod ipsis essentiale est. Essentiale enim est animali, esse multiplicabile in plures species; & homini esse multiplicabilem in plura individua; Adeo ut non sit simpliciter verum, non definiri naturas genericas & specificas secundum essentiam spectatas. Et hoc sensu concedimus quod dici solet, *definiri naturas, ut substratæ sunt notionibus Generis speciei, &c.*

Obj. Illud definitur in definitione Generis, (simile de reliquis dicas), quod affirmari potest de speciebus. At natura secundum *Genereitatem* non potest affirmari de speciebus: Non enim verum est *Homo est animal secundum genereitatem.* Siquidem sic homo esset genus.

Resp. Distinguo minorem. Natura secundum Genereitatem non potest affirmari de singulis speciebus seorsim; potest tamen de omnibus simul. Vel

non

non poteſt affirmari de ſpeciebus (intellige ſigillatim) ſecundum extenſionem, ſed ſecundum reliquam naturam, ſeu comprehenſionem.

Quæſt. II. *An definitio Generis, ſcilicet quod ſit prædicabile de pluribus ſpecie differentibus, in quæſtione qua quæritur quid res ſit, i. e. ad modum rei per ſe ſtantis, bona ſit.*

Reſp. Affirmative. Traditur enim per Genus, quod eſt attributum eſſentiale commune, vel prædicabile de pluribus, in quo differt ab individuo & accidente; & per differentiam quæ in eo ſita eſt, quod habeat ſe ad modum rei per ſe ſtantis, per quod differt à differentia; & quod commune ſit pluribus quæ eſſentiis differunt, hoc eſt ſpeciebus, in quo à ſpecie differt. Contra objiciuntur nonnulla, quæ non ſolum Tyronibus, ſed & doctis negotium faceſſunt.

Obj. I. Quicquid definitur per Genus & Differentiam, eſt ſpecies: At Genus non eſt ſpecies. Omnis enim ſpecies habet aliquod ſupra ſe genus. At Genus hic complectitur ſub ſe omnia Genera. Deinde ſi eſſet aliquod genus Generis, daretur etiam illius aliud Genus, & ſic in infinitum.

Reſp. Ad minorem: Genus non eſt ſpecies in communi, eſto. Non eſt ſpecies particularis, nego. Eſt enim ſpecies univerſalis, ſeu attributi communis. Nam univerſale ſeu attributum commune, dividitur in Genus, Speciem, & Differentiàm. Sed *inſtari* poteſt. Si Genus eſſet ſpecies quædam particularis, comprehenderetur ſub ſpecie tanquam inferius. At Genus eſt ſuperius ſpecie.

Reſp. Genus in communi, quatenus ſortitur rationem ſpeciei cujuſdam, ut dictum eſt, continetur ſub ſpecie in communi. Quod igitur dicitur Genus eſſe ſuperius ſpecie, verum eſt de ſolo Genere particulari ad ſpeciem particularem; ut de *colore* ad *albedinem*, vel de *Animali* ad *hominem*, &c.

Ad

Ad priorem probationem, minor distinguenda est: Genus complectitur sub se omnia Genera, quatenus præcise sunt Genera; at non sub omni alia ratione. Ut complectitur sub se Universale, non qua Universale, sed qua Genus est. Universale autem, qua tale, nec est Genus, nec Species, sive in communi, sive in particulari: Sicut *animal*, qua animal, nec est homo, nec brutum.

Inst. Ergo Universale erit & superius Generi, & inferius.

Resp. Diversa ratione, ut jam declaravimus; nec est absurdum.

Ad posteriorem probationem, negatur sequi progressus in infinitum: quia Genus in communi non habet supra se aliud Genus in communi, sed tantum attributum quoddam latioris extensionis, puta Universale, vel prædicabile. Et licet hoc etiam habeat aliquod aliud attributum superius, puta affectionem communissimam, tandem tamen devenitur ad rationem supremam, nempe *aliquid*, vel *intelligibile*, cui nihil est superius.

Obj. II. Genus, cum Attributum commune sit, non potest definiri per Differentiam, quæ Attributum proprium est.

Resp. Genus non potest definiri per differentiam in communi. Potest tamen per suam differentiam, quæ differentia quædam est particularis.

Obj. III. Species, Differentia, & Accidens, prædicantur de pluribus specie differentibus in quid. Ex. gr. *Species* de Homine & Bestia, *Differentia* de Rationalitate & Irrationalitate, *Accidens* de Figura & Motu. Ergo Definitio convenit aliis præter Genus.

Resp. Verum est antecedens de communi ratione speciei, Differentiæ, & Accidentis; non autem de specie, Differentia, & Accidente particulari, ut sunt notiones primæ.

Inst.

Inst. Color eſt Accidens; & tamen prædicatur de pluribus ſpeciebus in *quid*, puta de albedine & nigredine.

Reſp. Eſt Accidens reſpectu ſubjecti colorati; ut ad *bovem, avem, chartam*, &c. At non eſt accidens ad albedinem, & nigredinem, ſed Genus.

Obj. IV. Pars non prædicatur de Toto: at Genus eſt pars ſpeciei: hæc enim componitur ex Genere & Differentia.

Reſp. Vera eſt major de parte in abſtracto; ut *caput* non prædicatur de corpore animalis. At de ſuo toto prædicatur quævis pars in concreto. Genus autem de ſpecie in concreto prædicatur, non in abſtracto; puta *animal* de homine, non *animalitas*. Quanquam Genus non proprie pars ſit ſpeciei, ſed analogice tantum, quatenus unum eſt ex Attributis ipſius eſſentialibus.

Obj. V. Definitio prædicatur de pluribus ſpecie differentibus *in quid*: At Definitio Generis non eſt Genus. Ergo prædicari de pluribus ſpecie differentibus in quid, convenit alii quam Generi.

Reſp. Ad minorem, Definitio Generis eſt ipſum Genus explicatum, ſeu explicite cognitum: nec differt à Genere, niſi accidentaliter, aut penes conceptum clarum & obſcurum.

Rogabis, cum Genus in communi, ſit ſpecies quædam univerſalis, vel Attributi communis, utrum ſit ſubalterna, an infima.

Reſp. Eſſe infimam. Ratio eſt quia inferiora Generis, ſcilicet hoc & illud Genus, puta *animal, color*, &c. item Genus ſupremum, ſubalternum, & infimum, proximum, & remotum, non differunt in ratione Generis, niſi accidentaliter: ſicut *homo albus* & *niger*, ſunt differentiæ tantum accidentales hominis.

Quæſt. III. *Quomodo genus prædicetur de Individuis; ſcilicet ad modum Generis, an ad modum Speciei?*

Theſ.

Thes. I. *De Individuis completis*, puta de Socrate & Bucephalo, *Genus prædicatur ut Genus*, nempe *incomplete*, ut loquuntur in Scholis; hoc est tanquam *Pars Essentiæ* per se stans, ut exempla data ostendunt.

Thes. II. Sed *de individuis incompletis*, qualia sunt *hoc animal*, *hæc Substantia*, *hoc Ens*, *hoc Corporeum*, & similia attributa generica individuata; hoc est ut restringuntur ad certas individuationes, *prædicatur ad modum speciei*. Ut cum *animal* prædicatur de *hoc animali*, prædicatio est speciei, quia est completa; hoc est attributum in illa exprimit totam Essentiam Subjecti, saltem confuse & obscure.

Obj. In hac prædicatione, *hoc animal est animal*, prædicatum est aliquid quod affirmari potest de pluribus specie differentibus, estque per se stans: Ergo, est Genus.

Resp. Si absolute spectetur est Genus; at non prout refertur ad subjectum *hoc animal*.

Inst. *Hoc animal* est vel Socrates, vel Plato, vel Cyllarus, vel Bucephalus, vel aliud quoddam individuum completum hominis, vel bestiæ. Ergo attributum *animal*, in hac prædicatione, non denotat totam Essentiam subjecti.

Resp. Est aliquid ex his à parte rei: nullum vero in nostro concipiendi modo. Sic enim, nihil aliud denotat, quam animal singulare: hoc autem ut sic consideratur, est animal duntaxat cum singularitate. Singularitas enim in Essentia rei non censetur.

Quest. IV. *Quo sensu Genus sit Attributum Remotum Individuorum?*

Resp. Non quasi Species aut Differentia propius iis convenirent, essentve medium reale, & proprie dictum, inter Genus & Individua: sed tantum quod ex individuo aliquo non infertur immediate Genus, puta

puta *ex Socrate, animal*; sed prius Species, & deinde Genus. Cujus ratio est, quia Genus latius patet quam species. Mens autem cum plura attributa disparis extensionis, infert ex aliqua re, prius sumit quod minus late patet.

Quæst. V. *An recte definitur* Species subjicibilis, *quæ immediate locatur sub Genere*: Prædicabilis vero *quæ prædicatur de pluribus solo numero differentibus, ut tota eorum Essentia.* Sunt illæ definitiones Porphyrii, & communiter probantur.

Thesis. *Posterior Definitio recte se habet. Sed prior reprehendenda* est; quia prius definiebatur à Porphyrio Genus, per habitudinem ad suas species. Hic igitur ubi Species rursus definitur per habitudinem ad Genus, Circulus in definiendo committitur.

Ad hanc rationem communiter respondent Logici, Relata (qualia sunt Genus & Species subjicibilis) non posse aliter definiri, quam per mutuam sui mentionem, licet in obliquo. Ut Pater definitur *is qui habet filium*, & filius *qui est à Patre.* Verum sic falsum tradunt doctrinam, de Ratione definiendi. Nec enim relata definiuntur per expressam mentionem sui, ut in definitionibus Porphyrianis Generis & Speciei Subjicibilis fit, sed tantum per implicitam, in qua non considerantur ut relata. Exempla patris & filii non concludunt: sic enim definitiones eorum essent plane nugatoriæ: cum sensus prioris esset, *Pater est is qui habet eum qui est à Patre*: Posterioris vero, *Filius est qui est ab eo qui habet Filium.* Aliter igitur definiri debet Pater, *is qui alium genuit*; Filius vero *qui genitus est ab alio.* Similiter Genus definiri debet *Attributum Essentiale, consideratum ad modum rei per se stantis, commune pluribus quæ essentiis differunt*; non autem commune pluribus specie differentibus, aut pluribus speciebus:

Species

Species vero quatenus eſt ſubjectum Generis, Unum eſt è pluribus, quibus convenit aliquod Attributum eſſentiale commune.

Contra relationem Generis ad ſpeciem, Sophiſmata ſunt quæ ſequuntur.

Obj. I. Relata non poſſunt de ſe invicem affirmari; quia ſemper diſtinguuntur realiter; ut Pater et filius &c. At Genus affirmatur de ſpecie.

Reſp. Vera eſt minor, de Genere et ſpecie *materialiter* conſideratis; id eſt de Naturis particularibus, quæ ſunt genera et ſpecies; at non *formaliter*; ſeu ut ſunt Genus, et ſpecies. Genus enim ſic conſideratum, complectitur omnes ſuas ſpecies; ut Animal, qua Genus, hominem, et brutum: una autem ſpecies non poteſt affirmari de alia.

Obj. II. Relata ſunt ſimul Natura. At Genus et ſpecies non ſunt ſimul natura. Genus enim eſt prius natura quam ſpecies: quia illam ut pars eſſentialis conſtituit.

Reſp. Hic etiam minor non eſt vera, de Genere & ſpecie *formaliter*, ſeu ſecundum Genereitatem, & ſpecieitatem conſideratis; ſed tantum *materialiter*, ut ſunt tales naturæ particulares, puta *Animal*, et *Homo*, *Color*, et *Albedo*. &c.

Obj. III. Species eſt Correlatum individuorum Non igitur Generis.

Reſp. Species eſt Correlatum individuorum, non ut ſubjicibilis, qua ratione eſt correlatum Generis, ſed tantum ut prædicabilis.

Quæſt. VI. *An ſpecies Subjicibilis, qua talis ſit Univerſalis.*

Reſp. Negative; quia ſpecies ſub illa ratione non habet quidquam ſibi inferiùs, ſed tantum aliquid ſuperiùs, vel æquale, ſcil. Genus et differentiam propriam Deindè ſubjicibilitas, nec Univerſalitas eſt nec affectio illius neceſſaria. Conven it enim rei particulari, et ſingulari.

Obj.

Obj. Species subjicibilis, qua talis, vel est Universalis, vel singularis. Non singularis: Ergo Universalis.

Resp. Negatur major. Sub ratione enim subjicibilitatis, nec est Universalis, nec singularis. Sicut Homo qua doctus, nec est cæcus, nec videns. Absolute autem et citra illam rationem, est Universalis.

Quæst. VII. *An de individuo recte dicatur*, quod de uno solo prædicetur, & identice scil. De seipso.

Resp. *Affirmative.*

Obj. I. Inividuum prædicatur de hoc & illo individuo.

Resp. Verum est de individuo in communi, non in particulari.

Inst. Individuum Equinum est individuum particulare prædicatur tamen de Bucephalo et Cyllaro.

Resp. Individuum Equinum licet particulare quoddam sit ad communem rationem individui, est tamen species quædam ad omnes equos singulares.

Obj. II. Petrus prædicatur de Petro Apostolo, et Petro Ramo.

Resp. Petrus prædicatur de hisce secundum nomen tantum, seu æquivoce: non secundum naturam aliquam nomine significatam. Sensus enim harum prædicationum est, *utrumque nomine Patri vocari.*

Inst. Petrus Apostolus prædicari potuit de *Apostolo* & *Piscatore*, non autem secundum nomen tantum: Ergo de pluribus.

Resp. De pluribus sola ratione distinctis, verum est: Realitur negatur; fuerunt enim *Apostolus* & *Piscator*, quatenus de illis prædicabilis fuit *Petrus*, unus et idem homo singularis.

Quæst. VIII. *An differentia possit definiri.*

Resp. Affirmative. Tum enim differentia in communi definiri potest, prout in Institutionibus factum est; tum etiam differentia particularis, ut talis est

res

res vel perfectio rei. v. g. *Subsistere per se*, quod est differentia substantiæ, definitur non indigere subjecto sustentante, vel nulla re indigere, ut existat, præter concursum conservativum primæ causæ. Differentia etiam aliquando difinitione explicanda est, scil. quoties non effertur terminis per se notis. Licet, in Differentiis efferendis, ab ejusmodi terminis abstinendum sit, qui definitione indigent.

Obj. Differentia non constat Genere, & Differentia: Ergo definiri nequit definitione Essentiali:

Prob. Antecedens non constat Genere; quia Differentiæ in nullo conveniunt: sunt enim rationes formales, in quibus res adæquate discrepant: Nec Differentiâ; quia sic daretur Differentia Differentiæ in infinitum.

Resp. Neg. Primum Antecedens. Differentiæ enim omnes, qua tales, conveniunt in his, quod sint attributa propria suorum subjectorum, & quod reddant ea inter se dissimilia. Ad Probationem dico, per differentias suas res differunt in omnibus, præterquam in hoc attributo communissimo, quod unaquæque ab altera differat, & sic differentia est adæquata. Nihil autem cogitari potest quod in aliqua ratione communissima, cum aliquo alio non conveniat: Ipsum enim non-Ens in eo convenit cum Ente, quod utrumque nominari & concipi possit. Maximæ igitur differentiæ conveniunt in ratione communi differentiæ, & hæc convenit cum ratione convenientiæ, quod utraque sit *habitudo* quædam, seu ratio alicujus Rei.

Inst. Nihil potest esse simul ratio conveniendi & differendi. Ut cum virtus percipiendi sit ratio formalis per quam spiritus differt à materia, quomodo potest esse ratio per quam cum ea convenit?

Resp. Differentia est ratio differendi, qua talis ratio particularis; ratio autem conveniendi, præcise qua differentia, in actu Signato. Ut virtus percipiendi

endi qua talis, est ratio discriminativa spiritus & materiæ; at qua præcise differentia quædam est, convenit cum differentia opposita materiæ; adeoque cum materia ipsa. Et ambo, nempe spiritus & materia, in hoc conveniunt, quod virtus percipiendi sit differentia unius, carentia autem hujus virtutis sit differentia alterius.

Ad Probationem posterioris partis, negatur consequentia. Quia licet quarundam differentiarum excogitari possint aliæ differentiæ, tandem tamen devenitur ad terminos per se evidentes, qui nullis notioribus declarari vel possunt vel indigent.

Quæst. IX. Cum ratio Differentiæ in dissimilitudine aliqua consistat, & essentialis quidem in dissimilitudine essentiæ, sicut accidentalis in dissimilitudine accidentium, *an quævis dissimilitudo essentiæ sufficiat ad differentiam specificam*, ut vocatur. Et hic aliæ quæstiones discutiendæ veniunt: scilicet an omnia individua specie differant; seu an species infima rationem habeat Generis ad sua individua: Et supposito quod quædam specie non differant, an dissimilia aut inæqualia in essentiis esse possunt? De Individuis ejusdem ordinis procedit quæstio; ut de duobus ovis ejusdem avis; item de dissimilitudine in essentiis, & de inæqualitate in perfectione essentiali. Nam quod ad individua diversi ordinis, puta *Socratem* & *Bucephalum*, illa specie differre omnes concedunt. Conceditur etiam individua ejusdem speciei, sæpius esse dissimilia & inæqualia in accidentibus. His præmissis, sit

Thes. I. *Non omnia individua specie differunt:* sive *Species infima non est genus ad sua individua.*

Probatur. Quæ specie differunt sunt dissimilia, in Essentiis, hoc est, Attributa quædam essentialia habent disparata, seu dissimilia: At non omnia individua sunt dissimilia. Ut duæ lineæ, aut duo circuli æquales; duo ova ejusdem avis, magnitudine paria. Nulla

enim in his differentia excogitari poteſt, præterquam in accidentibus. Deinde Genus eſt pars tantum Eſſentiæ ſpeciei: At ſpecies infima non eſt pars tantum eſſentiæ Individuorum; ſed totam eorum eſſentiam continet. Species igitur infima non eſt Genus, ad ſua individua.

Objicit Ramus, & Ramiſtæ, qui contra ſtatuunt.

I. Species infima eſt totum, cujus eſſentia ad ſingula individua communiter attinet. Hæc autem ſunt illius partes ſubjectæ; Ergo eſt Genus ad ſua Individua.

Reſp. Non omne Totum cujus eſſentia ad ſingula Subjectorum communiter attinet Genus eſt, ſed tantum ejuſmodi Totum, quod unicum tantum eorum Attributum Eſſentiale denotat. Utrumque enim tam Genus quam ſpecies Infima, Totum eſt ad ſua inferiora; ſed hæc totum ſimpliciter eſt, quia integram Eſſentiam individuorum continet: illud ſecundum quid tantum; quia continet duntaxat totam eorum eſſentiam communem.

Obj. II. G. *Dounamius, Dialect. lib.* 1. *cap.* 27. *Forma differre & ſpecie differre! at ſinguli homines Forma differunt. Habent enim, ut omnia Entia & non-Entia, propriam formam per quam ſunt, id quod ſunt, & à cæteris diſtinguuntur.*

Reſp. I. Fieri poteſt ut ſinguli homines ſpecie differant. Hinc tamen male infertur concluſio univerſalis, de omnibus Individuis. Poteſt enim unus homo habere aliquid eſſentiale, quod alius non habet. At quis ſanæ mentis ſimile judicium faceret de duabus lineis æqualibus, & ejuſmodi, innumeris ſingularibus, quæ exacte ſunt ſimilia?

II. Negamus omnia individua forma eſſentiali differræ (talis enim forma intelligenda eſt). Siquidem plurima ſolum habent formas vere & realiter diſtinctas; hoc eſt, quarum una non eſt alia. At non omnia habent formas eſſentiales diſſimiles, ſed multa

multa plane similes. Nec distinctio & differentia confundenda est, ut in argumento fieri videtur.

Obj. III. Singuli homines inter se differunt, vel genere, vel specie; non genere, ergo specie.

Resp. I. Nec Genere nec specie differunt, in ratione hominum, seu quatenus sunt homines; sed tantum distinguuntur.

II. Licet ut homines sunt, differrent, non tamen par est ratio omnium reliquorum singularium.

Inst. Homo non est species singulorum hominum, species enim qua talis refertur ad Genus tantum, non autem ad Individua. Ergo est Genus.

Resp. Neg. Conseq. Quia non omnis natura communis est Genus, sed illa tantum cujus inferiora essentiis differunt, & quæ in illis multiplicatur.

Obj. IV. Individua omnia differunt Individuationibus, seu singularitatibus; hæ autem de eorum essentiis, sunt.

Resp. Non *differunt* Individuationibus, sed tantum distinguuntur. Unde & individuationes in censum attributorum Essentialium non recipiuntur.

Obj. V. *Arist. Metaph. lib.* 2. *cap.* 3. dicit infima Genera de solis individuis prædicari. Seneca Epist. 58. Hominem *Genus* Catonis, Ciceronis, &c. appellat. Stoici apud Laërtium in Zènone, dicunt Socratem esse *speciem specialissimam.* Jurisconsulti etiam hominem *Genus* appellant, & apud omnes fere scriptores occurrit *Humanum Genus.*

Resp. Levia sunt ista omnia. Dicuntur enim species infimæ ultima genera, & individua species specialissimæ, non quia hæc essentiis differunt, sed per analogiam quandam ad ea quæ vere genera & Species sunt. Quia scilicet species infima dividitur in individua, sicut quæ vere Genera sunt, in species. Quod autem ad appellationem *Humani Generis*

 attinet,

attinet, in ea Genus non sumitur sensu Logico, pro natura communi, sed pro collectione similium, quæ considerantur ut plura distincta: & idem valet ac *omnes homines*, aut *aliqui* ex omnibus ordinibus. Quin si ex ea sequeretur Hominem esse Genus, ad singulos homines, à pari sequeretur Herculem esse Genus ad suos posteros; hi enim vocantur Genus Heraclidarum, apud Porphyrium, Isag. cap. 2.

Thes. II. *Individua ejusdem speciei non possunt esse dissimilia in Essentiis.* Est contra Arriagam, *de Anima Disp.* 1. *Sect.* 7. *N.* 224. Probatur, quia non aliunde provenit Differentia specifica quam à dissimilitudine essentiali. Quæ igitur in Essentiis differunt, necesse est ut differant specie.

Respondet *Arriaga*. Differentiam specificam esse notabilem; qualis non est omnis dissimilitudo essentialis. Sed contra, quia si ab hac regula discedamus, scilicet, quod differentia specifica in dissimilitudine essentiali posita sit, nullam de ea ideam figere possumus. Quis enim definiet quantanam differentia sit notabilis, quanta non? Tantilla igitur dissimilitudo in essentia rei, ad differentiam specificam sufficit.

Objicit autem: Cognitiones de Petro & Paulo, sunt aliquantum dissimiles, & magis differunt quam duæ cognitiones de solo Petro; non tamen differunt speie.

Resp. Distinguo Antecedens. Si duæ cognitiones altera de Petro, altera de Paulo, objecta plane similia repræsentent, ut si Petrus & Paulus per eas concipiantur præcise ut sunt individua Humana, nullo modo dissimiles erunt. Si vero aliquam dissimilitudinem, etiam accidentalem, in illis repræsentent, erunt dissimiles, & idcirco specie diversæ. Dissimilitudo enim in repræsentando est ipsa differentia essentialis cognitionis. Nec quia differentia in objectis non facit ea specie differre, ipsæ cognitiones de iis non different specie. Habemus enim conceptus specie

diversos

diversos de eodem individuo; dum diversa illius accidentia, aut etiam attributa essentialia intuemur. Ut cum concipimus mentem Humanam ut peccato vitiatam, & immortalem.

Thes. III. *Nulla Individua ejusdem speciei, sunt inæqualia, perfectione seu virtute essentiali*: Est contra eundem Autorem; & hinc probatur; quia inæqualitas in essentia, dissimilitudinem infert, in qua consistit differentia specifica.

Objicit, I. *Arriaga* loco supra citato, Cognitio de Petro solo, non differt specie à cognitione de Petro & Johanne simul, ut omnes fatentur: sunt tamen cognitiones illæ perfectione inæquales; quia altera ex iis plura objecta repræsentat.

Resp. Mirum Argumentum ab homine acuto profectum. Nam,

1. Non constat perfectiorem esse cognitionem quæ plura objecta repræsentat: contendere enim potest aliquis, cognitionem numeri binarii esse æque perfectam ac cognitio ternarii.

2. Si omnes fatentur cognitiones in argumento memoratas, esse ejusdem speciei, fatentur certe id quod aperte falsum est. Sunt enim cognitiones illæ essentialiter dissimiles. Altera enim repræsentat unum tantum hominem; altera duos: altera distinguit inter partes objecti, altera non: altera duas ideas continet, altera unicam.

Objicit, II. Si quævis inæqualitas sufficeret ad differentiam specificam, sequeretur me specie differre à quovis alio homine, modo unico puncto materiæ eo major fuerim, quod absurdum est. Adde quemlibet puerum differre specie à seipso adulto.

Resp. Nego minorem. Quia quodvis punctum materiæ, cui anima unitur in homine, est de illius essentia. Siquidem corpus est de illius essentia; nec major est ratio unius partis, quam aliûs. Unde idem adultus specie differt à seipso parvulo.

Inst. Sic idem homo continuo mutaretur ſecundum ſpeciem, & eſſentiam.

Reſp. Inadæquate, ſeu ſecundum quædam eſſentialia, conceditur: nec abſurdum eſt.

Inst. At accidit homini, quod major, minorve mole corporis ſit.

Reſp. Accidit ei, ſi ſpectentur quæ in eo præcipua ſunt, puta virtus ſentiendi, & ratiocinandi. Unde reliqua quia minora ſunt, non attenduntur, nec cenſentur mutationem eſſentialem, ſeu ſpecificam inferre. Et ſic tandem dici poteſt quamlibet inæqualitatem Eſſentialem differentiam ſpecificam phyſicam conficere; licet Logicam non ſemper conſtituat; eo quod exceſſus parvus, modo præcipua differentia manſerit, nullus cenſeatur. Ideo autem pro nullo habetur, quia ex eo non ſolemus attributa rei diſcriminativa arceſſere; vel quia inæqualitas illa rarius nobis innoceſcit.

Quæſt. X. *An Atrributa propria rei*, puta differentiæ eſſentiales, aut proprietates eſſentiam neceſſario conſequentes, *poſſint alteri communicari*. Hæc controverſia orta eſt ex eo, quod Lutherani, qui ubiquitatem naturæ humanæ Chriſti affingunt, cum hoc argumento ab Orthodoxis urgentur, *quod uni proprium eſt & Eſſentiale, non poteſt alteri communicari: ubiquitas eſt propria naturæ increatæ; nequit igitur communicari naturæ creatæ*, puta *humanæ*, propoſitionem negent, & contra eam nonnulla objiciant.

Theſis. *Attributa propria eſſentialia*, qualia ſunt omnes differentiæ eſſentiales, tum primæ quæ conſtituentes, tum ſecundæ quæ conſequentes, ſeu proprietates vocantur, *communicari nequeunt*. Dico propria *eſſentialia*, quia propria *accidentalia* ſunt communicabilia ſucceſſive: ut pecunia aut beſtiæ, quæ hodie hujus vel illius proprie ſunt, cras ſunt propriæ alterius. Et quæ de facto unius propria ſunt, alteri convenire potuerunt. Ut Alexandro magno propri-

um

um fuit, fuisse eversorem Regni Persici, quod multis aliis convenire poterat.

Probatur Thesis I. Si propria essentialia communicari possent, cessarent esse propria, & evaderent communia, quod implicat. Nemo enim proprium diceret (inquit Aristoteles) *quod alii inesse potest.*

Respondet *Schiblerus, Metaph. lib.* 1. *cap.* 23. *num.* 83, 84. *proprium cum alteri communicatur, non fieri accidens commune duorum; quia etiam cum communicatur, uni soli primario convenit, ratione cujus est proprium; alteri vero solum secundario, & per communicationem.* Contra, quod duobus convenit, licet alteri primario, alteri secundario conveniat, non est proprium alteri, sed utrique commune. Si instetur, esse proprium alteri quatenus ei *primario* convenit, licet non simpliciter; sic tamen asseritur quod falsissimum est; scilicet attributum essentiale, quod unam speciem rei constituit, aut necessario comitatur, posse idem numero alteri secundariò convenire, seu communicari. De ejusmodi enim communicatione quæstio est.

II. Communicato proprio aliquo essentiali, communicatur essentia. At eadem numero essentia non potest esse communis pluribus rebus creatis, aut uni increatæ, & alteri creatæ, v. g. *logo* & humanitati: sic enim essentiæ rerum confunderentur, & quælibet res esset quælibet alia: maneret etiam in sua essentia & specie, ac simul in aliam transiret. Ut si virtutes percipiendi, appetendi, se movendi, communicarentur materiæ, in sensu composito, utiq; materia, manens materia, esset spiritus, quod immane absurdum est. Et si virtutes illæ mentis Socratis, eædem numero communicarentur corpori Socratis, corpus Socratis esset mens Socratis. Dices, Animam cum omnibus suis facultatibus essentialibus communicari corpori.

Resp. Unitur quidem, sed proprie loquendo, non communicatur: Anima enim non est commu-

nis ſibi & ſuo corpori. Et non obſtante unione, proprietate ſuas eſſentiales & neceſſarias, diſtinctas retinent.

Reſpondent Lutherani, eandem rationem propriam, quæ eſſentialiter uni convenit, poſſe accidentaliter alteri convenire.

Replicamus; Si de convenientia, per identitatem, etiam inadæquatam, loquamur, ut quæſtio poſtulat, falſiſſimum eſt. Sic enim quævis res poſſet accidentaliter fieri quævis alia: ut creatura accidentaliter fieri, poſſet Deus; materia, intelligens, &c. At nullum exemplum adducere poſſunt Lutherani mutationis iſtiuſmodi.

III. Communicato uno proprio eſſentiali, communicantur reliqua omnia: ut ſi naturæ creatæ communicari poſſet ubiquitas aut omniſcientia, quæ Deo propria ſunt, utique eidem communicari poſſet æternitas. Et ſi materiæ communicari poſſet facultas rationis, communicari eidem poſſet facultas electionis liberæ. At non omnia propria eſſentialia cujuſq; rei, poſſunt alteri communicari, ut fatentur Lutherani. Ratio majoris eſt, quia propria eſſentialia identificantur, ſaltem inadæquate. Et evidentius vera eſt de propriis quæ ſola ratione diſtinguuntur, de quibus præcipue procedit quæſtio.

Objiciunt *Lutherani*, I. Propria partis communicantur toti; ut homo intelligens dicitur, propter intelligentiam quæ propria mentis eſt.

Reſp. Concluſio quæ hinc ſequitur non eſt contra nos, nec Lutheranos juvat. Non enim ſic proprium eſſentiale unius communicatur alteri adæquate diſtincto; cum totum ſit inadæquate idem cum quavis parte ſua. Quæſtio autem eſt an proprium unius ſpeciei, aut individui, communicari poſſet alteri adæquate diſtincto? Ut, an propria unius partis, communicari poſſunt alteri; ex. g. corpori intelligentia, quæ mentis propria eſt: Deinde propria partis non communicantur toti ſimpliciter, ſed tantum ſecundum partem,

tem, seu quatenus totum partem illam continet. Et tribuuntur toti, prædicatione synecdochica. Ut intelligentia tribuitur homini, non secundum se totum, sed tantum secundum alteram partem, scilicet mentem. Adeo ut cum homo *intelligens* dicitur, sensus tantum sit, aliquid hominis est intelligens, vel facultas intelligendi est in homine.

Obj. II. Proprietates elementorum communicantur corpori misto quod ex illis coagmentatur.

Resp. Nihil sequitur. 1. Quia proprietates elementorum non manent in misto, secundum illum gradum juxta quem proprietates eorum sunt: sed debilitantur & ad symmetriam revocantur. Ut, supposito quod corpora quædam ex igni, aëre, aqua, & terra coalescant, non manet in illis calor in summo gradu, qui proprietas ignis est, nec frigus in summo gradu, quod proprietas aëris in statu suo naturali putatur.

2. Quia proprietas unius elementi non inhæret alteri; ut calor ignis aëri, aut aquæ. Sed tantum calor quidam remissus producitur in illis per ignem, qui cum illis sociatur. Multo minus frigus aëris, aut humiditas aquæ, communicatur igni.

Obj. III. Potentiæ vitales sunt propriæ animæ; communicantur tamen corpori, & ab eo usurpantur; ut ab oculo ad videndum, à lingua ad gustandum. Sic *Schiblerus Metaph. lib. 1. cap. 23. num.* 80.

Resp. Hæc etiam ratio inconsequens est. 1. Quia potentiæ vitales, ut potentiæ vegetandi, & sentiendi, non sunt propriæ solius animæ vegetantis, & sentientis, sed totius viventis; & includunt, præter virtutem animæ, quæ causa principalis actionum vitalium est, organa corporea: Anima enim sine his non exerit actiones vitæ vegetantis, aut sentientis.

2. Quia, si maxime verum esset potentias vitales solius animæ proprias esse, non tamen communicantur corpori, sed tantum in organa illius vires suas exerunt, ut aliæ causæ transeuntes in subjectum extraneum: vel

vel ut causa principalis movet instrumentum; motus autem iste non est proprietas necessaria facultatis animæ, sed accidens organi corporei quod movetur. Improprie etiam dicuntur potentiæ vitales à corpore usurpari, cum è contra organa corporea ab his usurpentur.

Obj. IV. Ignis communicat calorem suum ferro ignito.

Resp. I. Non *suum* communicat calorem, (nisi in quantum seipsum poros ferri permeantem, communicat, unàque calorem suum) sed alium in ferro producit. Qui enim fieri potest, ut unus & idem individuus calor, simul sit in materia ignis & ferri, nisi hæ invicem penetrarentur?

Contra tertiam etiam rationem quam pro Thesi nostra adduximus, objicit *Schiblerus*. Quædam proprietates partium communicantur toti, non tamen omnes. Nam à *prudentia, sanctitate, scientia, immortalitate* animæ, homo denominatur *prudens, sanctus, sciens, immortalis*, non tamen ab *invisibilitate* animæ denominatur *invisibilis*, nec à *spiritualitate spiritualis*.

Resp. Futile argumentum, & homine cordato indignum. Nam,

1. Non quæritur an proprietates & accidentia animæ toti Homini denominationem tribuant, quod ad modum loquendi pertinet; sed an communicari possint, realiter & physice, alteri; nempe corpori, propter unionem: Sicut Lutherani dicunt propria Deitatis communicari humanitati in Christo, propter unionem.

2. Falsum est per immortalitatem animæ, hominem denominari immortalem, nisi *secundum quid*, nempe secundum animam. Et similiter sanctus, prudens, sciens dicitur, non quia sanctitas, prudentia, & scientia corpori communicantur, (nisi quod corpus per animam ad opera prudentiæ & sanctitatis appli-

cari

cari soleat) sed quia una aliqua illius pars est prudens, sancta, sciens.

3. Omnes igitur proprietates & accidentia partium, æqualiter communicantur toti, si de communicatione reali loquamur. Ut sicut homo est invisibilis, secundum animam tantum, ita secundum illam tantum est intellegens, prudens, sanctus Ex quo tamen nunquam sequetur proprietates unius partis communicari alteri, propter unionem.

4. Dispar est ratio attributorum affirmantium & negantium: hæc enim, quia ad eorum veritatem sufficit, si uni parti conveniant, Toti recte tribuuntur. Illa vero quia universaliter negant, nisi addatur limitatio, nequeunt vere atrribui. Ut immortalis, invisibilis, immaterialis, non recte dicuntur de homine, quia significarent nihil hominis esse mortale, visibile, & materiale. Revera tamen immortalitas, invisibilitas, immaterialitas, æque conveniunt homini, ac prudentia & scientia.

Hanc quæstionem ideo latius tractavimus, quia utilis est ad controversiam illam, quæ nobis cum Lutheranis agitatur de communicatione idiomatum, in persona Salvatoris.

DISPUTATIO. XII.

De Necessitate & Contingentia, Signo & Signato.

Quæst. I. AN *omnis Necessitas Contingentiam tollat & vicissim?* Affirmant nonnunquam Arminiani, & Jesuitæ. Nostri contra statuunt. Sit igitur

Thesis. *Non omnis necessitas contingentiam tollit, sed quadam*

quædam cum ea consistit. Probatur à nostris argumentis plerumq; Theologicis. Posita, inquiunt præscientia, & voluntate, seu decreto Dei, de hoc vel illo futuro, necesse est ut eveniat quod Deus præscivit,& præfinivit futurum. Et tamen sæpe contingenter, ac libere evenit. Idem dicendum de prædictionibus,promissis, & comminationibus pænarum. Si enim cum Deus prævidet hoc vel illud futurum, posset illud non evenire, falleretur, seu falsa evaderet præscientia Divina. Et si cum vult,seu decernit aliquid evenire,posset illud non evenire, voluntas & Decretum frustraretur. Nec cum veritate, aut veracitate ipsius stare potest, si prædictiones, promissiones, & comminationes non implerentur. Exempla innumera in sacris literis occurrunt. Ibi enim impossibile esse dicitur, quin eveniant scandala: contingenter tamen homines alii aliis scandala objiciunt, & in ea impingunt. Ossa Christi frangi non poterant, quia ita prædixit Deus: contingenter tamen milites ab iis frangendis abstinuerunt, &c.

Sed & aliis rationibus confirmari potest. 1. Necessitas connexionis attributorum essentialium cum suis subjectis, consistit cum contingentia ipsorum, subjectorum, quoad existentiam, & emanationem à suis causis. Ut homo necessario est rationalis, ex hypothesi scilicet quod sit; contingenter tamen existit, fuitq; contingens quod Deus illum in principio condiderit. Sic alea ludentem vincere necessario est contingens: & fodientem, qui solum intendit agri culturam, aut ædificium extruere inuenire thesaurum, necessario est fortuitum. 2. Quod potest non esse interventu impedimenti, necessario oritur à sua causa, impedimento remoto: ut Sol supra Horizontem, necessario illuminat illam partem terræ quæ intra Horizontem continetur: potest tamen non illuminare, si corpus opacum Lunæ interveniat, ut in Eclipsi fit. 3. Quod est maxime contingens, ex hypothesi aliqua necessarium est, ut hominem sedere

dum

dum sedet, stare cum stat. Et quicquid est, quando est necessario est; & contra. Item quod contingens est in sensu diviso, necessarium est in sensu composito, & vicissim; ut in exemplis datis. 4. Quod respectu unius causæ est necessarium, respectu alterius potest esse contingens, & vicissim. Ut actus liber hominis respectu hominis contingenter evenit: at respectu Dei, qui actum illum præscivit, & præfinivit, aut voluntatem efficaciter ad eum eliciendum movet, & determinat, (ut sæpe facit), necessarius est. 5. Quod naturaliter est contingens aut possibile, potest moraliter esse necessarium, aut impossibile. Sic necesse hominem lapsum, nec restitutum, peccare; & beatos in cœlo tantum bene agere: si tamen naturam humanam spectemus, non repugnat ei à peccato cessare, habentque peccatores vires naturales quibus abstinere possent à multis peccatis, si serio vellent.

Quæstio II. *In quo consistat formalis ratio signi.*

Resp. I. *Formalis ratio signi naturalis, consistit in aptitudine intrinseca ad aliquid potentiæ perceptivæ indicandum:* Quæ aptitudo non distinguitur realiter ab ipsa re. Ut *fumus* per se aptus est indicare videnti, ignem esse: naturaliter enim esse non potest sine igne, vel præexistente, vel coexistente.

II. Sed *formalis ratio signi ad placitum, consistit in relatione, seu denominatione extrinseca. ex instituto Divino, vel Humano,* & *usu, seu consuetudine.* Ut *hædera* suspensa ante tabernam, est signum vini vendibilis, quia ita volunt Caupones: Voluntas tamen illa nihil intrinsecum addit hæderæ.

Quæstio II. *Quomodo signum respiciat rem signatam, & potentiam percipientem.*

Resp. I. Certum est signum respicere utrumque, (signatum enim potentiæ perceptrici exhibet): Non tamen eodem modo. Nam in eo casu, quo signum incurrit

incurrit in ſenſum externum, hunc reſpicit præciſè ut objectum Terminativum; mentem vero cui, mediante ſenſu, ſignatum exhibet, ut objectum motivum; adeoque ut cauſa quædam cognitionis mentalis de re ſignata. Hanc enim excitat, ſeu mentem ad eam eliciendam trahit, & determinat. Quando autem ſignum à ſolo intellectu percipitur, utramque rationem ad eum ſortitur. Hoc eſt percipitur ab eo ut objectum terminans, & ſimul eundem movet ad cogitandum de re ſignata. Hinc patet qua ratione ſignatum reſpiciat, ſcilicet quatenus aptum eſt cognitionem illius menti ingerere, aut eam actu ingerit: adeoque reſpicit ſignatum ut per ipſum cognoſcibile, aut cognitum eſt. Cum enim dicimus fumum eſſe ſignum ignis, ſenſus eſt, eſſe aliquid quo mens excitatur, aut excitari poteſt ad cogitandum de igne.

II. Reſpectus ille ſigni ad rem ſignatam, & potentiam perceptivam, eſt de eſſentia ſigni qua ſignum eſt. Ratio eſt, quia nihil poſſet eſſe ſignum, niſi eſſet aliquid quod percipiendum exhiberet, & potentia perceptiva cui illud exhiberetur. Sublata enim re ſignata, aut ſignabili, aut potentia perceptiva quæ eam apprehendat, tollitur à re ratio ſigni. Ut ſi nihil ſit vini in taberna, aut ſi is qui tranſit, cæcus fuerit, hædera nequit illi eſſe ſignum vini venalis de præſenti.

Obj. Signa arbitraria, ex accidenti reſpiciunt rem ſignatam: ut vox *homo*, hominem.

Reſp. Verum eſt de ſignis illis materialiter conſideratis, id eſt, quatenus ſunt tales res, puta *vox, hædera* &c. at non formaliter, qua ſigna, ſeu poſita inſtitutione, & uſu.

III. Signum prius reſpicit potentiam perceptivam *cui*, quam rem ſignatam *quam* ſignificat. Hanc enim non aliter reſpicit, quam eam exhibendo potentiæ. Exhibet autem, quatenus perceptionem de

ea

ea causat. Prius igitur respicit cognitionem de re signata, & deinde, ea mediante, rem quæ cognoscitur.

IV. Signum tamen dicitur per respectum ad signatum, non ad potentiam. Est enim signum signati, potentiæ vero non signum, sed objectum. Ratio est, quia signum denotat id per quod aliquid percipitur. Solum autem signatum, non potentia percipitur ex signo.

Quæst. III. *Qua ratione signum ingerat seu promoveat cognitionem rei signatæ?*

Resp. Non per influxum physicum. (Fumus enim nullo modo influit physice in cognitionem ignis qui ex eo percipitur; Et par ratio est cæterorum) sed ad modum causæ moralis. Sit enim, exempli causa, signum sensibile; hoc primo in sensum externum incurrit: deinde à phantasia vel mente percipitur: indeque movetur mens ad cogitandum de re signata, idque propter connexionem & habitudinem aliquam inter signum & signatum, sive illa naturalis sit; ut inter vestigium & pedem; sive arbitraria, seu ex usu, & consuetudine; ut inter vocem, & rem significatam.

Quæst. IV. *An signum sit adjunctum?* Quidam enim ad locum adjuncti referunt, ut *Burgersdicius Instit. Log. lib.* 1. *cap.* 19. Verum *non omne signum adjunctum est*. Multa enim ex signis sunt effecta rei signatæ: ut *pulsus velox*, & *inæqualis*, qui signum febris est, effectus etiam ejusdem est. Sonus est signum simul, & effectus bombardæ explosæ; Effecta autem rei non semper sunt illius adjuncta. Coactio etiam nubium est signum pluviæ: nemo tamen, ut opinor, Adjunctum pluviæ dixerit. Qua enim ratione dici poterit pluviam esse subjectum coactionis istius? cum coactio ista nec inhæreat pluviæ, nec ei adhæreat, sed antecedat ut causa.

Quæst.

Quæst. V. *Utrum ratio signi in significatione actuali, an in aptitudine significandi, consistat?*

Resp. Quæstio hæc, est de voce. In qua dicendum est, *rem non esse signum*, proprie & stricte loquendo, *nisi cum actu aliquid exhibet potentiæ perceptivæ.* Alias non erit signum simpliciter, sed aptum tantum esse signum. Interim tamen propter meram aptitudinem significandi, signum dici solet. Sic hædera ante tabernam signum vini vendibilis dicitur, etiam cum a nemine percipitur.

Quæst. VI. *An omne signum seipsum sensui offerat?* Sic enim communiter docent Logici.

Resp. Signa quibus homines admonentur, plerumque sunt sensibilia. *Non* tamen *omnia signa sunt ejusmodi.* Nam mens hominis regeniti, ex actibus internis fidei, charitatis, luctæ cum carne &c. tanquam per signa, concludit reatum peccati esse sibi remissum, & Deum esse reconciliatum. Signa tamen ista non incurrunt in sensum externum.

Dices, ista esse antecedentia vel consequentia remissionis, non signa.

Resp. Quandoquidem illa mentem movent ad remissionem agnoscendam, non minus quam fumus ad cogitandum de igne, cur non dicerentur signa?

Quæst. VII. *An aliquid signum sit suiipsius?*

Resp Affirmant multi, sed absurde. Signum enim & signatum sunt Relata. Nihil autem refertur ad seipsum. Quod tamen est signum unius rei, signatum est alterius. Ut vox prolata est signum conceptûs, & rei alicujus; signatum tamen vocis scriptæ.

Obj. I. Eadem cognitio seipsam reflexe repræsentat. Adeoque est illius signum.

Resp. I. Dubium est Antecedens, de quo in Psychologia.

II. Si de Antecedente constaret, nulla est consequentia.

quentia. Quia ideo tantum cognitio objectum repræsentare dicitur, quatenus est illius idea in mente. Hoc autem non est esse signum, ut ex definitione ejus constat.

Obj. II. Cum intellectus percipit aliquid esse *animal*, signum habet quod sit vivens: At animal & vivens sunt idem. Sic *Schiblerus*.

Resp. Mirum Argumentum. Nam,

1. Animal & vivens non sunt *adæquate* idem.

2. Nec Animal est signum viventis, nec omne medium in syllogismo, est signum rei quæ infertur in conclusione. Sic enim omnis syllogismus procederet ex signis, quod falsum est.

Obj. III. *Acolastus* & *Cornelius* seipsos in Comœdia repræsentant.

Resp. Nonnisi quatenus pro aliis habentur, ut lex scenæ exigit.

Quæst. VIII. *An, ut signum officio suo defungatur, necessarius sit discursus,* quo signatum ex signo colligitur?

Resp. Homines sæpe colligunt signata ex signis, per discursum. Ut tamen signatum ex signo percipiatur, discursus non semper necessarius est. Infantes enim & bruta signis moventur; ut canis voce heri ad cursum; nec tamen percipit vocem esse signum voluntatis heri; nec signum cum signato confert, sed tantum sono percepto, determinatur ad motum.

Quæst. IX. *An signatum de signo vere enunciari possit in recto?*

Resp. Non enunciatione propriâ: (Signum enim & signatum sunt Relata adeoque distincta, & diversa. Unde sensu proprio falsum est, *hadera est vinum venale.*) Sed tantum metonymicâ. Ut cum statua Cæsaris *Cæsar* vocatur. Sic *tres propagines tres dies* dicuntur. Gen. 40. & *septem boves, septemque spicæ, septem anni. Petra* dicitur *Christus*, 1 ad Cor. 10. *Panis*

& vinum, corpus & sanguis Domini. Matth. 26. In quibus et similibus, verbum substantivum non denotat identitatem attributi cum subjecto, sed tantum indicat attributum esse signum subjecti. Ratio autem hujusmodi locutionis est, quia signum loco signati ponitur, seu vicem illius quodammodo supplet.

DISPUTATIO. XIII.

De Causis & rerum Causalitate, generatim.

Quæst. I. QUanam *sit vera notio Causæ in genere?*

Resp. Variæ à variis adferuntur. *Conimbricenses lib. 2. Metaph. cap. 7.* Causam definiunt, *id à quo aliquid dependet per se.* Verum si *pendere ab alio,* idem sit, ac ita ad illud affectum esse, ut sine eo esse nequeat, sic *terra* erit causa ambulationis, *lex* transgressionis. Cum sine terra nulla esse posset naturaliter ambulatio; & ubi nulla est lex nulla est transgressio. Alii inter quos *Ruvius lib. 2. Phys.* definit, *Principium per se influens in effectum.* Sed & hæc definitio peccare videtur. Primo quod tradita sit per mentionem effecti, quod æque ignotum est ac causa. Deinde quia exemplar, finis, & objecta motiva, inter causas recensentur; nec tamen causant per influxum proprie dictum. Tertio quia *influxus* est terminus metaphoricus, qui alia definitione indiget, & nihil significat præter Causalitatem, quæ æque ignota est ac ipsa Causa.

Alii

Alii dicunt Causam esse, *quæ influit per influxum defectibilem*; ut à ratione causæ excludant Patrem æternum respectu filii: hic enim influit in esse filii sed per influxum *indefectibilem*. Sed contra, quia (præterquam quod influxus hoc in loco sit metaphora) accidentarium est ad causam, quod influat influxu defectibili, vel indefectibili, cum satis sit ad eam, si quocunque modo vere influat. Deinde causa nobilior erit si indesinenter influat. Tertio Deus influit ut causa conservans indefectibiliter, in existentiam angelorum, & mentium humanarum, licet non necessitate naturali, ut in generationem filii, sed libere ex decreto suæ voluntatis. Cur igitur non est causa hujus, non minus quam illorum, cum hac differentia, quod hunc causat causalitate naturali, illos libere.

Suarius definit causam, *principium per se influens esse in aliud.* Ubi per phrasin *per se*, excludit causas per accidens & remotas: per *influens esse*, excludit conditiones, quæ non influunt. Per *aliud*, exclusum existimat Patrem æternum, à ratione causæ, respectu Filii; quia Filius non est aliud à Patre, hoc est alia essentia, sed tantum alius, seu alia persona. Contra,

1. Quia merito quæret aliquis quid per *influens* intelligendum sit: Hoc enim non est notior quam vox ipsa *Causæ.*

2. Sine necessitate verbum *influo* in sensum activum detorquetur, cum ex usu linguæ Latinæ semper neutrum sit.

3. Ostendi nequit causam finalem, Exemplar, & objecta motiva, magis influere in alia, quam conditiones.

4. Minime necesse est ut illud aliud, in quod causa influat, sit alia substantia, sed sufficit si sit modus aliquis: ut patet in mente producente in se varios actus, & ideam seu imaginem quandam sui. Quin definitio illa innuere videtur omnem causam influ-

ere esse aliûs substantiæ. Et Causam non esse quæ ad modum tantum, aut accidentia rei aliquid confert.

Deniq; & vulgaris illa definitio Causæ *cujus vi res est*, hoc est, quæ aliquid confert ad esse rei, omnes conditiones complectitur, tam necessarias, quam non-necessarias, quæ tamen non sunt causæ. Absurde enim amissio rei causa recuperationis,absurde peccatum causa gloriæ justitiæ,& miserecordiæ divinæ dicitur:quæ tamen istarum rerum conditiones sunt. At inquiunt quidam, esse causas *sine quibus non*. Contra, 1. Negamus omne *sine quo non*, esse Causam: hoc enim est id quod quæritur. 2. Aliquando vi eorum res est, sine quibus esse potest, & sæpe est. Ut pauper vi accessus ad liberalem tali hora, eleemosynam ab eo accipit, quam tamen accipere potuit alia hora, vel etiam ex rogatu alterius, licet non accessisset: accessus igitur ille non est causa *sine qua non* accipiendi eleemosynam.

Ex his apparet Causam in genere, prout à puris conditionibus, & aliis quæ ad locum originis pertinent, sed causæ non dicuntur, non aliter definiri posse nisi disjunctive, *Quicquid confert ad esse rei, intrinsce constituendo, agendo, aut objective movendo*, ut in Institutionibus descripsimus.

Quæst. II. *An ut aliquid sit causa alterius, necessarium sit ut existat?* Sive an id quod non existit possit aliquid causare? Conceditur hic ab omnibus. 1. Id quod nunquam existit, id est,quod nec fuit,nec est,nec erit,nihil posse causare. Causare enim est dare esse alteri: at nihil dat nisi id quod habet; vel formaliter,vel eminenter. 2. Conceditur Causam finalem, exemplarem, & objectivam, causare eo tempore,quo non existunt; ut Finis antequam existit, movet agentia rationalia, ad electionem & executionem mediorum. Et exemplar externum, quod quis intuitus est, etiam postquam destruitur, modo idea ipsius in mente remanserit,dirigit ad opus conforme efficiendum. Meritum deniq; bonum, vel malum, incitare potest alium ad agen-

agendum, remunerando, vel puniendo, postquam transivit actio quæ meruit. Hæc enim omnia causant interventu cognitionis, quæ esse potest de illis cum non existunt. 3. Ex altera parte conceditur, Materiam & Formam non posse quidquam causare, nisi cum existunt. Causant enim per *se*, seu per communicationem sui: vel, ut alii volunt, per unionem: At nec se communicare, nec uniri possunt, nisi cum existunt.

Quæstio igitur procedit de causa efficiente activa, seu quæ efficit per veram & physicam actionem. Et de ejusmodi causa, quidam docent, quod causare possit, etiam cum non existit: sed manifesto errore tenentur, & absurdam sententiam produnt. Actio enim seu operatio non potest esse sine agente actu existente. Siquidem omnis actio seu operatio, est forma agentis quatenus est tale, & de essentia sua ex eo pendet: at nec informare potest id quod non est, nec ab eo dependere. Deinde sicut nihil dare potest id quod nunquam habuit; ita nec de præsenti dare potest, per efficientiam physicam, quod non habet de præsenti.

Obj. I. *Franciscus Bonæ Spei.* Actio durare potest post interitum agentis; ut si quis, Sagitta ex arcu missa, statim moriatur, manet impulsus qui Sagittam defert, per aliquot momenta. Et postquam ignis bombardæ interiit, globus per eum emissus aliquamdiu movetur. Quin nec projiciens, toto tempore agit, quo res projecta movetur. Existit igitur actio, eo tempore quo agens, ut agens, non existit.

Resp. Non sequitur. Impulsus enim qui imprimitur, ab impellente, in sagittam, globum missilem, & ejusmodi, non est actio impellentis, sed motus ab eo productus in alio, qui, cessante actione, aliquamdiu durat. Nihil autem absurdi est, effectum durare postquam cessavit actio per quam productus est.

Obj. II. Res operari ſolet in loco in quo non eſt: Ergo etiam operari poteſt eo tempore in quo non eſt. In utroque enim caſu eſt æque ſeparata ab effectu.

Reſp I. Si operatio proprie hic intelligatur, falſum eſt antecedens: impoſſibile enim eſt ejuſmodi operationem ſeparari ab agente. Nec ullum agens producit effectum in loco diſtanti, nihil efficiendo in medio, ut in Phyſiologia oſtendetur.

II. Negatur etiam conſequentia, propter diſparitatem temporis, & loci. Ponamus enim rem operari in loco in quo non eſt, in eodem tamen inſtanti exiſtit, & ſic non eſt actio ſine agente. At ſi operaretur eo tempore quo non exiſtit, operaretur quando abſolute non eſſet: adeoque actio exerceretúr, & aliquid produceretur, ab eo quod eſt nihil, & idcirco plane ineptum ad illud producendum.

Quæſt III. *Quo ſenſu cauſa eſt prior cauſato.*

Reſp. I. *Cauſa non neceſſario eſt prior tempore quam cauſatum.* Ut Sol in primo inſtanti ſuæ productionis, lucem emiſit. Cur enim ab illa emiſſione, vel per unicum inſtans ceſſare debuit? An non æque potens, & æque determinatus fuit, per naturam ſuam, ad illum effectum, in primo, ac in ſecundo? Angelus etiam, in primo inſtanti ſuæ creationis, potuit exercere actum intelligendi. Nec repugnat produci cauſam in actu ſecundo, ſeu cauſalitatem ſuam actu exercens.

II. *Cauſa non ſemper eſt prior dignitate*, ſeu perfectione, *quam cauſatum.* Ut ignis producens non eſt perfectior igne quem producit.

Obj. Dignus & perfectius eſt producere, quam produci, dare quam accipere.

Reſp. Hinc tantum ſequitur, cauſam efficientem quatenus eſt talis, eſſe nobiliorem effectu quatenus eſt effectus: poſſunt tamen eſſe æquales ſecundum ſuas entitates. Deinde ſi loquamur de cauſa in genere,

nere, imperfectior est causato, etiam quatenus causa est. Ut materia, etiam quatenus ingreditur constitutionem compositi, est imperfectior ipso composito.

III. *Causa adæquata semper est perfectione æqualis suo effectui.* Vera est hæc Assertio tantum de efficiente principali. Et ratio est, quia nihil potest operari ultra suam perfectionem, seu dare quod non habet.

IV. *Omnis Causa est prior* naturâ *causato.* Sed de prioritate illa quæritur *in quo consistat.* Quidam enim dicunt consistere in eo, quod ad causam ab effectu valeat consequentia, sed non necessario vicissim. Verum ad multa ab aliis valet consequentia, quæ tamen non sunt priora causalitate. Ut ab inferioribus ad superiora. V. g. ab homine ad animal, ab albedine ad colorem: nec tamen superiora sunt causæ inferiorum. Consistit igitur prioritas Causæ ad causatum in hoc quod causa sit id à quo causatum dependet, quodque esse ipsi confert; non autem vicissim.

Obj. Causa etiam à causato pendet. Si enim impossibile esset causatum; impossibilis etiam esset causa. Ut si nulla esse posset domus, nec ullus esse posset Architectus.

Resp. Neg. Anteced. Probatio non concludit. Non enim omne illud quod necessarium habet connexionem cum alio, ab eo pendet: sed illud solum, ad cujus esse, illud aliud aliquid confert. Sic tametsi Sol non potest esse sine Luce, non tamen pendet à Luce, sed contra, Lux pendet à Sole. Non enim Lux ad esse Solis quidquam confert, sed Sol ad esse Lucis. Quod igitur ad possibilitatem causati attinet, Causa cum ea quidem connexa est, sed ab ea non pendet. Nam Materia & Forma non distinguuntur à composito realiter, nisi inadæquate. Quicquid autem dependet ab alio, ab eo adæquate

distinguitur: Secus enim idem dependeret à seipso. Materia igitur & forma non dependent à composito. Nec efficiens dependet ab effectu possibili: quia hic quamdiu possibilis est, purum nihil est: at à nihilo nihil dependet. Quod si aliquid *reale* dicamus, nihil aliud illud esse potest, præter virtutem effectivam causæ: palam autem est causam a virtute sua non pendere; quia vel hæc ab illa non distinguitur, nisi ratione, ut in causis per se; vel si distinguitur, ut in iis quæ causant per vitutem adjunctam. (ut homo scribit per artem) non tamen pendent res quæ sic causant, à sua virtute adjuncta: quia virtus illa ad earum esse nihil confert.

Quæstio IV. *An Causa per accidens sit vere causa.*

Resp. I. *Causa per accidens non est vere* & proprie *causa*: quia qua talis res in specie est, non influit; aut saltem causatum qua talis res in sua specie est, ab ea non oritur. Sed Causa dicitur, quia aliquid quod cum eo ex accidenti conjunctum est, causat. Unde una & eadem res potest esse causa *per se*, unius effectus, causa vero *per accidens* alterius. Ut Evangelium est Causa per se Instrumentaria conversionis, Causa vero per accidens indurationis. Hinc etiam causa per accidens est inordinata, & indefinita, ut observavit Arist. lib. 2. Phys. text. 50, & 55. quia definiri nequit quænam sint aut esse possint causæ ejusmodi. Ex. g. Causa per accidens statuæ potest esse Musicus, vel Musicæ imperitus, vir probus, vel improbus, dives vel pauper, &c. Nisi quod semper sit aliquid conjunctum cum causa per se. At vera causa rei est aliquid definitum.

II. Ideo tamen causa per accidens causa dicitur, quia aliquid quod vere causa est cum eo ex accidenti conjungitur. Ut Musicus dicitur causa Statuæ, quia accidit Statuarium esse Musicum.

Quæstio V. *An Causa remota sit proprie Causa?*

Quidam

Quidam affirmant, quia vere influit, mediante alia. Alii negant; quia non influit per se, sed in aliud quod influit. Deinde quia ab ea non pendet causatum. Etiamsi enim non existeret, esse tamen posset causatum. Ut etiamsi non fuisset avus, esse tamen potuit is qui nepos dicitur, nempe filius, ex hypothesi, quod pater extiterit. Unde Adamus non causa procreans omnium posterorum, sed tantum eorum quos ipse solus genuit.

Nos cum distinctione sic statuimus.

I. *Causa Materialis, & finalis, licet remota, veræ sunt causa in suo genere.* Ratio est evidens, quia vere influunt. Nam ad materiam quod attinet, remota non distinguitur à proxima, nisi quod hæc varias uniones includit, quas prior non includit. Et utraque per se compositum constituit. Ut materia seminis, unâ cum particulis quas germen è terra exugit, materia remota est Cathedræ, ex quibus fit arbor, seu lignum, quod materia est proxima. Utrumque autem Cathedram constituit. Quod vero finem spectat, finis ultimus est remotissimus, quia ultimò obtinetur: vere tamen, & per se, movet ad actiones circa media ultima: Scilicet cum quis ut Deo inserviat, non minus quam ut vivat, & robur corporis conservet, &c. edere, bibere & dormire statuit.

II. *Efficiens Remota non est* proprie *causa effectus qui producitur ab efficiente proxima:* non enim per actionem suam dat esse effectui isti. Et perit sæpe actio efficientis remotæ, priusquam existat effectus efficientis proximæ. At posita efficiente in actu, ponitur effectus. Solum igitur *causa* dicitur quia est causa *causæ*. Idem de objecto remoto, si non attingatur per actum, dicendum est. Ut cum *mens* dicitur objectum remotum Ethicæ, aut Logicæ. Hæ enim non considerant naturam mentis, nisi obiter, ac indirecte, ac valde imperfecte, sed tantum illius operationes.

III. *Falsum*

III. *Falsum tamen est* quod tradit *Comptonus*, Phys. Disp. 18. Sect. 2. N. 6. *Causam remotam esse Causam tantum per accidens.* Differentia enim est manifesta in natura utriusque. Nam Causa per accidens non influit in causam per se: at causa remota in proximam influit. Deinde ubi plures causæ, naturaliter subordinatæ, ad idem effectum concurrunt; ut rotæ supremæ & inferiores, in horologio, ad motum indicis, aut mallei, Ratio, & voluntas, ad actiones imperatas, & exteriores, absurdum est dicere rotam supremam, & Rationem esse causas per accidens horum effectuum; cum tamen causæ sint remotæ. Nec enim per accidens ad effectus illos concurrunt, ut Musica ad ædificandum

Objicit *Comptonus.* Illa est causa per accidens, qua ablata, idem maneret effectus. At posita causa proxima, idem manet effectus, licet remota tollatur.

Resp. I. Major est mala definitio causæ per accidens Ex ea enim sequetur Architectum, & Agricolam, esse causas per accidens ædificii, & horti. His enim ablatis, iidem esse possent effectus, per primam causam.

II. Posita causa proxima in actu, ponitur effectus, non existente & operante causa remota: interim tamen contingit, ut si nunquam fuisset causa remota, nec effectus fuisset: eo scilicet casu, quo non fuisset causa proxima, quæ ex ea, vel quoad esse vel quoad actionem, pendet.

Obj. II. Causa remota non est *per se*, causa effectus qui oritur à causa proxima. Siquidem illa, non *per se*, sed per aliud effectum attingit. Ergo est causa per accidens.

Resp *Causa per se* est phrasis ambigua. Vel enim significat id quod per essentiam causat, adeo ut non possit non causare, ex hypothesi quod existat. Sic mens est causa per se cogitandi, secundum Cartesium; putat enim mentem semper cogitare, quamdiu

diu existit. Vel id, quod, per suam actionem quamcunque, immediate attingit effectum. Qua ratione sola causa proxima est causa per se. Vel denique id quod vere aliquid confert ad effectum, sive immediate ipsum producendo; sive producendo aut conservando aliud quod ipsum immediate producit. Et sic tantum opponitur causæ per accidens quæ solum denominative causa est, eo quod cum vera causa ex accidenti, conjungitur. Unde consequentia nulla est.

DISPUTATIO XIV.

De Causa Efficiente, & Actione.

Quæst. I. *QUanam sit Causarum prima, & nobilissima?*

Resp. I. *Causa efficiens natura prior est reliquis omnibus.* Omnes enim reliquæ eam præsupponunt. Nam finis movet efficientem ad agendum: & efficiens, per suam actionem, formam producit in materia, aut etiam materiam ipsam producit.

II. *Finis est primus in causatione actuali*, seu primo omnium causalitatem suam exercet: movet enim efficientem ut supra diximus ad operandum. Et tunc efficiens vel producit rem per se subsistentem, vel modum illius aliquem, qui forma dicitur.

III. Si de causis creatis naturalibus loquamur, *prior natura est materia*, seu subjectum patiens: hæc enim independenter à subjecto operari nequeunt.

IV. *Efficiens quoad modum causandi nobilissima est.* Quia

Quia per veram actionem causat. Cum Materia & Forma per suas Entitates, seu se communicando causent; Finis autem & exemplar, solum objective. Deinde, Efficiens dat novum aliquod esse à se diversum, quod non præstant Materia & Forma nec finis, nisi ut Efficientem incitat. Hinc nomen *Causa* absolute Efficienti tribuitur.

Quæst. II. *Quidnam sit Causa Efficiens?* Varie enim à doctis definiri solet. Aristoteles dicit esse id, *Unde principium primum mutationis & quietis est.* Ubi interpretes primitatem, non temporis intelligunt, (finis enim prius tempore, Causalitatem suam exercet, quam Efficiens) sed dignitatis; quia Efficiens est principium physice agens, finis vero objective tantum movet. Alii Definitionem rejiciunt, eo quod multæ sint Efficientes quæ non primo agunt; ut Causæ Instrumentales, & Adjuvantes: Quanquam Causa Adjuvans aliquando æque primo agat, ac illa cui opem fert.

Comptonus Phys. Disp. 24. *Sect.* 1. reprehendit definitionem illam, quod excludat Efficientem creantem, quam Aristoteles ignorasse putatur. Unde aliam tradit, viz. *Principium per se influens in aliud, sine mutatione sui.* Sed contra,

1. Obscurum est quid sit *influere*, ut ante notavimus.

2. Etiam Forma, & Finis influunt, sine mutatione sui.

3. Difficile est ostendere quomodo Efficiens agat sine mutatione sui. Nam novam actionem edere est mutari saltem modaliter. Siquidem actio, quatenus *vim* & *conatum* Efficientis denotat, est in ipso Efficiente.

Ramus & *Ramistæ*, ex *Platone* & *Cicerone*, dicunt Efficientem esse, *à qua res est*. Contra urget *Burgersdicius*, rem esse etiam à fine. Et idcirco addit aliquid definitioni isti, dicitque, Efficientem esse *à qua res vera causalitate proficiscitur*. Verum gravius objiciet qui pe-

tiverit

tiverit sibi explicari, quid sit rem *esse ab aliquo*, quod non explicant Ramistæ. Et Definitio Burgersdicii, causalitatem non tantum finis, sed materiæ, etiam & formæ tanquam minime veram, seu impropriam, insimulat. Deinde non explicat quid sit vera Causalitas. Vera enim est Causalitas Finis, non metaphorica, ut ait Burgersdicius. Dicit quidem Aristoteles, finem non esse Effectivum, nisi per Metaphoram; sed non dicit non esse Causam. Unde licet Efficientia finis sit metaphorica, Causalitas tamen vera est: alioqui non esset vera Causa.

Dicendum igitur est, *Efficientem* esse *quæ per actionem causat*. Efficere enim est agere, ut omnes norunt. Unde nec Causa procatarctica, nec Exemplaris proprie Efficiens est, licet inter Causas Efficientes annumerari soleant.

Quæst. III. *An eadem res possit seipsam producere?* De secunda productione affirmant Jesuitæ. Sed monstrosum effatum est. Sit igitur contra.

Thesis. *Nihil potest seipsum producere, sive primâ productione sive secundâ.* Probatur.

I. Quicquid producitur, pro instanti priori non existit. Productio enim terminatur à *non-esse*. At si idem seipsum produceret, secunda productione, hoc est in eo instanti in quo existit, aliquid jam existens produceretur, nec omnis productio procederet à non-esse, quod manifestam contradictionem implicat. Unde etiam nulla est secunda productio, nisi in eo casu, quo res, quæ prius producta fuit, interit, seu corrumpitur, ut denuo producatur.

II. Sequeretur unum & idem esse duplex, & diversum à se. Nam cum eadem res seipsam, producit, ut volunt Adversarii, vel producit aliquid, vel nihil. Posterius, ut opinor, non dicent: quia productio non potest terminari ad nihil: Si igitur aliquid producit, necesse est illud esse diversum quid à producente, seu à re jam existente; quod enim jam existit

producì

produci nequit, dum intereat. Unde & secunda illa productio esset plane superflua; quia nihil per eam poneretur in rerum natura.

3. Si idem seipsum produceret, vel seipsum produceret seipsum ex nihilo, vel ex materia praeexistente. At neutrum dici potest. Non prius: quia res producens non est nihil Nec posterius: quia sic novam formam sibiipsi induceret, adeoque non seipsam sed aliquid aliud produceret.

4. Sequeretur idem esse prius & posterius seipso. Omne enim producens est prius producto.

Respondet *Arriaga* non repugnare eandem rem, ut productam per unam actionem, esse priorem seipsa, ut producta est per aliam. Non enim, inquit, necesse est, ut Entitas effectus sit posterior sit entitate Causae; sed tantum ut posterior sit Entitate actionis, qua producitur. Sed contra.

1. Quia, licet res quae producta fuit per unam actionem hora prima, & interiit hora secunda, reproduci posset hora tertia, & sic esse priorem sibiipsi ratione temporis; repugnat tamen rem quae continuo existit tres horas, produci per unam actionem hora prima, & rursus produci per secundam, hora tertia. Sic enim secunda actio nihil poneret in rerum natura. Siquidem quod jam factum est fieri nequit, nisi prius intereat.

2. Entitas effectus posterior natura est entitate Causae seu virtute causativa, non minus quam actione qua producitur. Utraque enim praesupponitur ad existentiam effectus, ut per se manifestum est. Nullus enim effectus existere potest, nisi prius sit Entitas seu virtus causativa, quae actionem edat per quam producatur.

Quid autem induxit homines, alioquin ingeniosos, & doctos, ad sententiam adeo monstrosam propugnandam? *Christus*, inquit Suarius, *sedens ad mensam cum Discipulis, corpus suum secunda vice produxit in Eucharistia.*

charistia. At si constaret, Christum corpus suum, sub speciebus panis & vini, produxisse, (quod tamen insigne delirium est) quomodo constat corpus Christi seipsum produxisse? An non illud opus fuisset solius Deitatis? Facessant igitur nugæ illæ, apud omnes cordatos, quas dogma illud fanaticum Transsubstantiationis peperit.

Quæstio IV. *An duæ Causæ Efficientes possint esse sibi mutuo causæ*: hoc est se mutuo producere, aut conservare? Dixi *duas efficientes*, quia certum est, Finem & Efficientem, esse mutuo sibi causas. Nam finis, sua bonitate, movet Efficientem ad agendum: Et Efficiens rursus, actione sua, finem assequitur, eique dat ut existat. De duabus autem partibus materiæ, aut duabus formis, res est manifesta. Si enim una sit causa materialis alterius, altera erit illius forma, non autem materia, & si altera sit forma, altera erit subjectum, seu materia.

Thes. *Duæ Causæ Efficientes nec possunt se mutuo producere, nec conservare.* Hoc est una & eadem res non potest esse Efficiens, & effectus, respectu ejusdem. Ratio est, quia sic, una & eadem res, respectu ejusdem, esset & prior naturâ, & posterior: & ab una & eadem alia dependeret, & non dependeret. Quin eadem res esset Causa sui. Quod enim est causa causæ, est etiam causa causati: adeoque penderet à seipsa, essetque sibiipsi prior, & posterior. Quod est prius priori, multo magis prius est posteriori.

Objiciuntur variæ Experientiæ.

I. Multæ prunæ conjunctæ seinvicem fovent; & manus complicatæ calorem mutuo conservant.

Resp. Si omnes prunæ æque calidæ sint, calorem sibi invicem non augent, (quia simile non agit in simile) sed tantum, cùm vis unita fortior sit, melius resistunt vi contrariorum, & fortius agunt in materiam accensam. Si non sint æque calidæ, tum calidiores agent in minus calidas, sed non vicissim.

Simile

Simile de manibus dicendum eſt.

II. Manus frigidæ, mutua frictione, ac compreſſione, ſe calefaciunt.

Reſp. Manus quidem, in eo caſu, per mutuam compreſſionem, partes ſubtiliores ſanguinis ad motum reducunt, in quo motu calor, conſiſtit Sed motus dextræ qui producit calorem in ſiniſtra, non producitur à motu ſiniſtræ, ut concludendum eſt.

III. Lingua calefacit zinziber; & hoc rurſus linguam.

Reſp Zinziber transfundit in poros linguæ, particulas tenues, quæ ſpiritus linguæ excitant in motum; & lingua halitum calidum, in poros zinziberis: Et ſic quidem mutuo in ſe agunt; ſed calor linguæ non producit illum calorem in zinzibere qui linguam calefacit, nec viciſſim.

IV. Duo ligna prona, ſibi invicem à capite innitentia, ſe mutuo ſuſtentant.

Reſp. Non agendo in ſe invicem; ſed impediendo motum deorſum, in quem utrumque tendit.

V Partes minimi naturalis, puta aquæ, aut ignis, ſe mutuo conſervant. Poſſunt enim conjunctim, ſub formâ aquæ, vel ignis, exiſtere, ſeparatim non poſſunt.

Reſp. Partes illæ non agunt in ſe invicem, (adeoque exemplum iſtud nihil concludit), ſed tantum omnes neceſſariæ ſunt ad talem ſpeciem, puta aquæ, conſtituendam; & ſi ſeparentur, in aliam abeunt, puta in fumum, vel vaporem: Alii dicunt, ideo partes illas conjunctim exiſtere, non autem ſeparatim, quia in ſtatu unionis, vi contrariorum reſiſtere poſſunt, cui impares ſunt in ſtatu ſeparationis.

Quæſt. V. *An cauſa efficiens, manens eadem, ſemper facit idem?*

Reſp.

Resp. I. *In prima causa non obtinet.* Hæc enim quia infinita, & illimitatæ virtutis est,& præcipue quia Liberrim éagit,eadem manens in se,circumstantiis item ad extra iisdem manentibus, diversa opera edere potest. Ut nunc cum peccatoribus, pro sua misericordia, parcit; nunc eosdem punit: alium restituit, alium, non magis indignum, non restituit.

II. *Nec semper obtinet in causis creatis liberis:* nisi quatenus determinata sunt ad unum genus effectuum, unumque agendi modum. Hæ enim facultate pollent, per quam actiones suas variare possunt, pro libitu; eo scilicet casu quo nihil apparet, ex una parte magis quam ex altera, quod actum in eam determinet. Sic homo eodem modo dispositus, potest, è sortibus sæpius oblatis, nunc unam sumere, nunc aliam.

III. *Obtinet* igitur *in solis causis naturalibus,* & quæcunque ad unum modum agendi, unumque genus effectuum, determinantur Sic *animal* in gignendo, semper generat animal. Et *ignis* semper calefacit, ac exurit. Bonus *Artifex* semper edit opus bonum, nisi propter rationes quasdam aliter voluerit. Interim tamen ut eadem causa, manens eadem, idem opus efficiat, requiritur ut materia, instrumenta, aliæque circumstantiæ, eadem sint; utque nullum impedimentum interveniat.

Variari enim potest effectus, ex accidenti, propter variationem eorum quæ efficienti, ejusque modo agendi, extrinseca sunt. Sic Sol idem manens, & eodem modo agens, quantum ex se, contrarios effectus producit; propter dispositionem contrariam materiæ. Ut cum Lutum indurat, glaciem liquefacit, &c.

Quæst. VI. *An idem singularis effectus, qui de facto oritur ex una causa efficiente, oriri potuit ex alia ejusdem virtutis?* Quidam negant, Nos affirmamus. Quid enim vetat ignem, qui fit ex hoc vel illo ligno, per

hunc ignem, ex eodem ligno fieri potuiſſe, per alium? idem enim eſt ignis qui fit ex attenuatione, & motu ejuſdem materiæ, a quocunque tandem igne accendatur. Nec quidquam prohibet eandem domum extrui potuiſſe ab alio ædificatore, quam ab eo qui de facto eam extruxit. Eadem enim eſt domus, quæ ex eadem materia, eodem modo compoſita extruitur. Ratio à priori eſt, quia effectus oriri poteſt à qualibet cauſa efficiente, quæ ſufficiente inſtructa eſt virtute, ad eam producendum. At alia cauſa efficiens ejuſdem ſpecie, ſatis inſtructa eſt ad eundem effectum producendum qui oritur de facto ab alia.

Obj. Diſtinctæ actiones non poſſunt tendere ad eundem terminum adæquatum. Effectus igitur, qui oritur ab hac cauſa, per hanc actionem, non poteſt oriri ab alia, per aliam.

Reſp. Diſtinctæ actiones non tendunt ad eundem terminum ſimul; poſſunt tamen disjunctivè. Hoc eſt terminus qui productus eſt per hanc actionem, antequam per eam producitur, produci potuit ab alia. Ad quemvis enim effectum producendum, ſufficit quævis actio ſingularis, quæ ad eum proportionatur.

Quæſt. VII. *An ulla res poſſit ſeipſam conſervare?*

Reſp. Negativè. Quicquid enim ſeipſum conſervat, à ſeipſo dependet, quoad eſſe continuatum. At nihil poteſt à ſeipſo ullo modo dependere. Sic enim eſſet prius ſeipſo. Siquidem illud à quo res dependet, eſt prius re quæ ab ea dependet. Si igitur res conſervaret ſeipſam, daretque ſibi eſſe continuatum, illud eſſe continuatum eſſet prius ſeipſo, ſaltem natura.

Obj. I. Ignis ſe conſervat, pabulum continuo depaſcendo.

Reſp. Idem numero ignis ſe non conſervat, ſed tantum primus ignis qui ex una parte materiæ accenſæ

censæ sit, alium producit in parte proxima, & hic rursus alium; & ita deinceps, dum tota materia absumatur.

Obj. II. Anima conservat animal; ergo Animal habet principium se conservandi in seipso.

Resp. Anima corpus conservat, & idcirco animal dicitur seipsum conservare; sed nec totum animal, totum, nec anima, aut corpus, seipsum conservat.

Obj. III. Pleræque res vi contrariorum, interitum sibi molientium, resistunt, & sic se conservant.

Resp. Non sequitur: quia vi contrariorum resistere, non est se conservare, nisi indirecte, sic enim res non in seipsam agit, sed in contraria, vim eorum retundendo.

Obj. IV. Calor manet in cubiculo, pereunte vel amoto igne, per quem productus est. Ergo se conservat.

Resp. Conservatur à Deo; ut res omnes creatæ quamdiu existunt, vel immediate, vel causarum secundarum ministerio.

Inst. Si à Deo conservatur, cur non semper durat, sed paulatim imminuitur, & tandem evanescit.

Resp. Quia Deus ordinem naturæ à se institutum observat, nec per miraculum contra vim contrariorum eum semper conservare vult, sed tantum quamdiu per vim suam naturalem contrario resistere poterit.

Quæst. VIII. *An sit causa efficiens, qua per suam existentiam causat, sine actione?*

Communis sententia affirmat; & ejusmodi causam *Emanativam*, opposite ad *Activam*, appellat. Ego vero hujus generis causam capere non possum: Sit igitur Thesis negans.

Nulla est causa Efficiens quæ sine actione causat. Probatur.

1. Causa quæ sine actione causat, vel causat per suam entitatem, se communicando causato, ut ma-

teria & forma, vel per ſui perceptionem, ut cauſa objectiva. At Cauſa quæ Emanativa dicitur, nullo ex his modis cauſat. Nullo igitur modo cauſat.

2. Nullum exemplum certum, ac evidens, hujuſce Cauſæ adfertur à ſuis patronis. Quod enim dicunt *omns eſſentias, per emanationem*, (rectius dixiſſent *per emiſſionem*) *producere ſuas paſſiones, hoc eſt, proprietates neceſſarias*; ut *ignis* ſuum calorem, *Sol* lucem, *anima* ſuas facultates, &c. nihil concludit. Nam proprietates illæ rarius diſtinguuntur à ſuis ſubjectis, niſi ratione: Unde ſubjecta eas producere nequeunt, niſi ſeipſa producerent. Si autem diſtinguuntur realirer, aut modaliter, productio earum ad cauſam ſubjectorum referenda eſt, (hæc enim vere efficere, & agere, intelligi poteſt), non autem ad ſubjecta ipſa, quæ nulla actione in eas influunt. Sic ut communiter dicitur, *Id quod dat formam, dare omnia quæ eam conſequuntur.* Nec apparet ignem producere calorem ſuum, ſeu in ſeipſo. Maxime enim probabilis eſt ſententia Carteſii, Calorem eſſe motum varium et ocyſſimum particularum materiæ. Materia autem non producit illum motum in ſeipſâ. Si vero ſit qualitas diſtincta à motu, ut vulgo præſumitur, ad cauſam productivam ipſius ignis referenda eſt. Quod ad corpora lucida attinet, (quæ maxime hic alligantur) illa quidem emittunt lucem extra ſe: ſed cur non per actionem; ſicut de igne, corpora vicina calefaciente, conceditur. De cæteris omnibus idem dici poteſt.

3. Cauſa quæ neque ut materia, aut forma, neque ut objectum, et tamen ſine omni actione, cauſat, per ſuam Entitatem et eſſentiam cauſat: adeoque implicat contradictionem non cauſare quamdiu exiſtit: at omnis cauſa exiſtere poteſt ſine ſuo effectu, omnique actione. Quæ enim realiter diſtinguuntur, non implicat alterum non exiſtere, altero exiſtente. Effectus autem cauſæ emanativæ realiter

 diſtin-

distinguitur à causa, ut omnes fatentur. ex. g. non implicat contradictionem Solem non emittere lucem extra se, licet naturaliter non possit ab emittendo cessare. Pendere igitur nequit effectus ab efficiente aliter quam per actionem.

Inst. Calor separari nequit ab igne. Si enim ignis calidus non sit, nec erit ignis.

Resp. Ignem esse concretum quid, ex materia, et motu vario; et ocyssimo; Unde non mirum est calorem ab eo separari non posse. Sicut in sensu composito albedo separari nequit ab *albo*. Ex quo liquet calorem qui est in ipso igne non esse effectum ignis, sed causæ quæ ignem producit. Alia est ratio Lucis, quæ emittitur à corpore Lucido, et extra ipsum existit.

Pro divisione igitur Causæ efficientis, in *Emanativam* et *Activam*, aliam substituendam censeo. illam nempe per quam dividitur in *Continuam*, & *Interruptam*; seu in eam quæ indesinentur agit, naturaliter, quamdiu existit, (ejusmodi enim Efficiens satis intelligi potest), & eam quæ *non semper* agit, quamdiu existit. Sic *mens*, ex Cartesio, semper cogitat, quod forsan verum est. *Lucida* semper emittunt lucem, nisi impedimentum interveniat. Et omnia corpora visibilia, species visibiles.

Hinc inferes causalitatem omnis. Causæ Efficientis esse *Actionem*: Et de Efficientibus quæ non agunt quamdiu existunt, facile ostenditur. Per actionem enim Efficiens actu efficit, & effectus ex ea oritur, ac dependet. Deinde Entitas causæ & effectus existere possunt, & sæpius existunt, cum illa hunc non producit; ut *Domus* & *Ædificator*, transacta ædificatione. Causalitas igitur efficientis est quid distinctum à virtute effectrice, & effectu: hoc autem est actio. De iis vero quæ semper sunt in actu, patet ex iis quæ proxime diximus. Intelligi enim nequit quomodo aliquid ab aliquo procedat sine actione.

Quæst. IX. *An duæ causæ efficientes totales, ejusdem ordinis, concurrere possint ad eundem numero effectum producendum?* Dico *Totales*, & *ejusdem ordinis*, quia duæ partiales, aut Totales diversi ordinis, virtute conjuncta eundem effectum sæpe producunt. Ut cum duo *equi* trahunt currum; *Mas* & *femella* generant prolem, *Manus* & *Calamus* formant Literas. Sed de Causis Totalibus ejusdem ordinis procedit quæstio. Fatentur omnes Naturaliter illud fieri non posse. *Natura* enim *abhorret à superfluis*: adeoque, cum una Causa totalis, unius ordinis, ad effectum producendum sufficiat, non potest plures adhibere. Verum divinitus id fieri posse contendunt Jesuitæ; Licet alii ex Pontificiis negent.

Thesis. *Duæ Causæ efficientes Totales, ejusdem speciei, nequeunt concurrere ad eundem effectum producendum.*

Probatur. Si duæ ejusmodi efficientes concurrere possent ad eundem effectum, vel concurrerent eadem numero actione, vel distinctis actionibus. Prius est impossibile. Actio enim est exercitium vel actus virtutis effectivæ. Ubi igitur duæ virtutes distinctæ exercentur, necesse est duo esse exercitia: tam enim repugnat exercitium virtutis A, esse exercitium virtutis B, quam has virtutes esse unam & eandem. Deinde sic duo agentia erunt unum tantum agens, quia per unam singularem actionem agent. Denique actio est modus essentialiter affixus uni agenti: adeo ut actio Petri nequeat esse actio Johannis. Si autem posterius dicatur; tum altera causa vel nihil produceret, & sic non concurret, quod est contra hypothesin: vel produceret id quod altera totaliter producit. Unde idem effectus bis simul produceretur: Et totus penderet à duabus actionibus totalibus. At, si totus effectus penderet ab actione A, & per eam poneretur in rerum natura, nihil esset quod penderet ab actione B, & nihil per eam poneretur in esse. Plures igitur actiones ad eun-

dem

dem effectum concurrentes, non possunt esse aliæ quam partiales.

Obj. I. Potest quis propter duos fines adequatos, idem medium eligere: puta ambulationem sanitatis, & amici invisendi gratia. Ergo, similiter per duas actiones totales, potest idem effectus produci.

Resp. Dispar est ratio Finis, & Efficientis. Quia finis non dat *esse* medio, aut illius electioni, sed tantum objective movet Efficientem ad illud eligendum, & obeundum. At Efficiens dat esse effectui. Unde, si totum illud esse tribuat per unam actionem, non potest alia totum tribuere per aliam. Deinde dici potest, duos illos fines, licet absolute diversi sint, in ejusmodi tamen proposito, rationem induere unius totalis. Ambo enim simul sunt totum propter quod suscipitur ambulatio. Et similiter cum pluribus actionibus idem effectus producitur, omnes simul totum sunt per quod effectus producitur: adeoque quælibet seorsim, est tantum medium partiale ad effectum.

Obj. II. Idem effectus oritur à diversis causis totalibus subordinatis; cur igitur non etiam à pluribus coordinatis.

Resp. Disparitas est manifesta: Quia una è causis subordinatis, non est per se sufficienter instructa ad effectum producendum: ut manus scribere nequit sine calamo; nec calamus sine manu. At è pluribus coordinatis, si totales sint, altera per se totum effectum producere potest, & producere supponitur.

Obj. III. Cum duo equi trahunt currum, præsertim ejusmodi ponderis, quem alter facile trahere posset, (& supponamus utrumque indesinentur influere in motum currus), vel uterque producit totum motum, & sic concluditur quod intenditur, vel alter unam partem producit, alter reliquam, quod

explicari nequit. Cur enim alter hanc partem potius produceret, qusm aliam?

Resp. Utrumque sigillatim non producere totum motum. Sed alterum producere unum illius gradum, alterum vero alterum. Si enim alter tantum traheret, nec majori conatu quam ubi cum altero conjunctim agit, motus esset dimidio tardior: cum ubi alter concurrit, duplo velocior est.

Quæst. X. *Quanam sit Causa Principalis & quanam Instrumentalis.* Hac de re varie sentiunt Autores. Et ut sententias minus probabiles missas faciamus, *Suarez Metaph. Disp.* 17. *Sect.* 16, 17. dicit causam *principalem esse, qua majorem perfectionem continet quam effectus, aut saltem aqualem*; *Instrumentum* vero *esse, quod vel concurrit ad effectum se nobiliorem, vel saltem ad quem ex se nullam habet proportionem.* Ita ut *Effectus virtutem illius operativam, si non etiam entitativam superet.* Huic succinit *Scheiblerus, Metaph. cap.* 22. *tit.* 7. Verum contra hanc rationem Causæ principalis, & instrumentalis, merito objicitur, effectum qui non nisi per instrumentum à Causa principali produci potest, superare illius virtutem per se spectatam, non minus quam instrumenti. Nec enim anima audire potest, sine aure, aut videre sine oculo, magisquam auris, aut oculus, sine anima. Nec apparet effectum, qui medio instrumento editur, semper esse virtute ejus operativa nobiliorem, Quanto enim nobilior est divisio ligni, quam acies cultri, gladii, aut securis, per quam fit?

Galtruchius, Phys. Univers. Tract. 2. *Disp.* 1. *cap.* 3. Dicit Causam principalem esse, "quæ agit per virtutem "propriam & effectui proportionatam; ut ignis pro- "ducens ignem, aut calorem; qui effectus non sunt "perfectionis majoris, quam est ignis propria. Con- "tra, Instrumentum agit tantum per subordinatio- "nem ad causam principalem, aut in virtute illius: "nec habet effectus sibi proportionatos Unde elevari "dicitur à causa principali, per motionem quam ab

"ipsa

"ipsa vel dependenter ab ipsa recepit. Et motio "ista vel est virtus activa; ut cum aqua calefacit per "calorem ab igne derivatum: Vel est motus loca-"lis, ut quando pictor utitur penicillo, ad pingen-"dum. Quamobrem duplex est genus Instrumen-"ti: Aliud Activum quod accipit qualitatem acti-"vam: aliud pure motum, quod nihil accipit "præter motum localem: Nec tam est activum, "quam id per quod agit causa principalis; istudq; "proprie est Instrumentum Artis; ut calamus quo "scribo. Sed etiam hic varia sunt quæ reprehen-sionem merentur. Nam,

1. *Instrumentum* per virtutem propriam agit, licet non nisi motum per Causam principalem; ut *Calamus*, per cuspidem, & crenam; *Gladius*, per aciem, & rigorem. Nec quidquam est quod agit virtute simpliciter aliena. Sic enim non ipsum ageret, sed aliud quid. Licet multa agant virtute derivata, seu mutuata.

2. Unde & effectum habet sibi, in genere suo proportionatum: hoc est, qui virtutem illius activam non superat; sicut Causa principalis in suo.

3. Instrumentum quidem semper subordinatur Causæ principali, & motionem suam ab ea accipit. Motio tamen illa nunquam est virtus activa. Omnis enim motio est actio, vel passio. At virtus activa neutra ex his est. Non tamen negamus Instrumentum aliquando, virtute aliqua activa, per causam principalem instrui; præsertim si de instrumentis moralibus loquamur: ut Legatus à principe, authoritate instruitur, ad negotia ipsius peragenda. Sed agentia ex authoritate alterius, non nisi analogice *instrumenta* sunt. Siquidem non tantum ex virtute physica propria agunt, sed etiam per motionem actualem propriam.

4. Cum

4. Cum aqua calefacit, id præstat per calorem, non tanquam per instrumentum; sed seipsum, cum calore quem habet, alteri communicando. Vel ille ipse calor singularis exhalat, ex aqua, in corpus cui applicatur; sicut & exire solet in vapore. Nec alius calor in corpore vicino, aut contiguo producitur.

5. Instrumentum sæpius activum est, licet nunquam agat nisi quando adhibetur à Causa superiori. Unde recte dividitur in *activum*, ut gladius, calamus; & *passivum*, ut incus. Verum quidem est instrumenta, cum à causa principali moventur, pati. Ex quo tamen non sequitur, non agere. Nam licet recipiendo motum à causa principali, patiantur; cum tamen in motu illo sunt, vere agunt: Efficiuntur enim agere, per causam principalem. Et idem effectum præstant, ac si à se moverentur. Siquidem ut calamus producat characteres, in charta, aut tabula, nihil aliud requiritur nisi ut postquam tali figura præditus sit, talibus motibus agatur, qui signis illis efficiendis apti sint.

Burgersdicius, Inst. Log. lib. 1. *cap.* 17. *Theorem.* 25. *Instrumentum* definit *quod causa principali in effectione subservit:* cum prius definierat *causam minus principalem* (quam distribuit in *procatarcticam, proëgumenam* & *Instrumentum*) *qua principali inservit.* Ubi,

1. Eodem plane modo definit Genus, ac alteram ex speciebus quæ sub eo continentur.

2. Ex hac definitione causa proëgumena, quæ intus disponit, aut proritat ad agendum, Instrumentum erit. Illa enim causæ principali inservit in agendo, non minus quam Instrumentum.

3. Hinc qualitates naturales, inter instrumenta agentium, cum Thomistis, male connumerat. Quia illæ ad virtutem activam causarum principalium pertinent. Sicut & qualitates adventitiæ; ut habitus acquisiti, & dotes supernaturales.

4. Hallu-

4. Hallucinatus etiam est, cum Causam *principalem* definivit *qua sua virtute effectum producit*: quod, ut supra monuimus, verum est de omni causa efficiente, & de ipso instrumento.

Keckermannus System. Log. Maj. lib. 1. *cap.* 15. Causam *Instrumentalem* definit, *quæ à principali assumitur ad effectum producendum*. Quod proprie verum non est nisi de solis Instrumentis artis. Nam Instrumenta naturalia, ut lingua in loquendo, pedes in ambulando, stomachus in cibo conquoquendo, non assumuntur, sed usurpantur, seu adhibentur, ad opera Causæ principalis. Sed de his forte plus satis; Ex quibus colligere licet *Instrumentum* esse id *quod à Causa aliqua efficiente adhibetur ad agendum, ita tamen ut à virtute illius effectiva qualicunque diversum sit.*

Quæst. II. An recte dividantur Instrumenta *Physica*, in *conjuncta*, & *separata*. Sic enim dividunt Pontificii. Exempla posterioris ordinis ponunt *Sacramenta*. quibus Christus in cœlis existens, *gratiam* in animis hominum operatur; *Calorem* in aqua, igne absente, quo alius calor, & *semen* arboris, separatum ab illa, quo alia arbor producitur. Sed hæc mera Matæologia est. Nam licet instrumenta *moralia*, separatim à Causa principali agere possint, ut Legatus procul à principe; omnia tamen instrumenta quæ per motum physicum aguntur, cum causa principali necessario conjuncta sunt, vel cum illius virtute, aut effectu aliquo. Quod ad exempla data spectat, Sacramenta non operantur physice, sed tantum moraliter. Nec si physice operarentur, humanitas Christi quæ longe ab illis distat, causa principalis esset gratiæ sanctificantis, sed divina illius natura quæ ubique præsens est. De calore aquæ supra diximus: nec enim ille instrumentum ignis est, quando cum eo conjungitur, sed virtus ejus activa: multo minus cum ab eo separatur. Et, si instrumentum ulla ratione foret; cur non aquæ in

qua

qua est, potius quam ignis, qui forte extinguitur, instrumentum diceretur? Nihil enim est Instrumentum causæ non existentis actu, præsertim physicum. Propter eandem rationem, semen non est instrumentum arboris, quo aliam arborem producit. Arbor enim sæpe interit, antequam ex semine ipsius alia arbor fiat. Et pari ratione diceret aliquis, filium esse instrumentum patris, etiam mortui, quo pater generat nepotem, quod non nisi rhetoricando dici potest.

DISPUTATIO XV.

De Causa objectiva, Exemplari, & Fine.

Quæst. I. IN *quo consistit Causalitas Causæ objectivæ,* seu *objecti directivi*, ac *motivi?*

Resp. I. *Non in actione aliqua physica, & proprie dicta.* Cogitari enim nequit quanam actione, pulchritudo ad amorem moveat, & incitat; aut deformitas ad odium, ac displicentiam. Deinde res non existentes causalitatem objectivam exercent: ut cum quis movetur bonitate finis, quem nondum assecutus est, ad eum appetendum, aut cum à spe illius potiundi excidit, ad dolorem. At nihil agit in aliud actione physica, nisi quando existit.

II. *Cognitio* est conditio quidem necessaria, ut objectum moveat potentiam ad actum: sed *causalitas ejus dici nequit.* Quia causalitas rei est intrinseca ei cujus causalitas est. At cognitio objecto est extrinseca.

III. Nec

III. *Nec mera entitas objecti est ejus causalitas*; quia sic semper causaret; Entitas enim objecti semper est eadem. At non semper objective causat, etiam existente potentia in quam ageret.

IV. *Causalitas igitur objecti est ipsa Entitas*, aut qualitas *objecti, ut actu terminat actum cognitionis*, sive ut ei objicitur, & ab eo percipitur. Nec enim sola entitas objecti movet potentiam. Siquidem cum non apprehenditur, non movet. Nec sola cognitio; quia sic cognitio esset causa objectiva, non autem objectum, quod falsum est. Licet igitur objectum per se aptum sit movere potentiam, quia tamen ad eam movendam per se non sufficit, causalitas ejus locanda est in actuali terminatione actûs per quem apprehenditur.

Objic. Posita causalitate ponitur effectus. At multa objecta actu terminant apprehensionem, quæ non movent. Ut quidam bonam formam intuentur, sine amore; quidam malam, sine displicentia.

Resp. Ex accidenti aliquo illud provenit, propter dispositionem aliquam contrariam ejus qui objectum intuetur. Nempe, vel quia videt se objecto pulchro frui non posse, aut non nisi cum difficultate, aut molestia, quam ferre nequit? aut quia aliis objectis jam capitur, &c. Ex se tamen objectum pulchrum, recte cognitum, semper aptum est animum ad se trahere.

Quæst. II. *Utrum Exemplar internum, sit conceptus de opere faciendo, in mente existens, an illius objectum?* Et si objectum sit, *utrum sit ipsum opus faciendum, an aliud objectum*, seu Idolum, *ad cujus similitudinem artifex operatur.* Utraque pars utriusque quæstionis suos habet Patrones. Nos sic statuimus.

Thes. I. *Exemplar non est conceptus in mente, præcise ut conceptus.* Ratio est quia artifex, dum ad exemplar operis faciundi attendit, non necessario cogitat

cogitat reflexe de ſuo conceptu, ſed directe fertur in objectum aliquod ab eo diverſum; ſcilicet vel illud ipſum, quod efficere ſtatuit, vel aliquod illius ſimulachrum. *Nec eſt ipſum opus faciendum, præciſe.* Quia hoc non eſt exemplar ſuiipſius. Sed *eſt objectum ut repræſentatur per conceptum*, ſeu objectum in eſſe cognito. Ad ejus enim ſimilitudinem opus efficitur. Unde, non ſtatuendum eſt, ut quidam faciunt, duplex exemplar, aliud *objectivum*, aliud *formale*: ſed unum tantum nempe *objectum figuratum* in mente. Nec enim conceptus niſi quatenus repreſentat objectum, nec objectum niſi ut repræſentatur per conceptum, Exemplar eſt.

Theſ. II. *Exemplar eſt ipſum opus faciendum, in eſſe cognito, non autem aliud quid ad cujus ſimilitudinem opus efficitur.* Ut Idæa Cæſaris, quam pictor in mente format, repræſentat ipſum Cæſarem qui exiſtit, aut extitit; non autem alium, ad cujus ſimilitudinem imaginem cæſaris depingit. Ratio eſt. Quia ſine neceſſitate fingitur illud aliud objectum, ab opere faciendo diſtinctum. Æque enim facile eſt menti ipſum opus faciendum præconcipere, ac aliud fingere quod ipſi ſimile ſit.

Obj. I. *Petrus à Sancto Joſeph. lib. 2. Metaph. cap. 7. art. 3. Cum pictor intuetur regem, & imaginem illius in mente format; ipſe rex eſt exemplar imaginis quam poſtea pingit; non autem imago mente concepta. Ad ſimilitudinem enim ipſius regis imaginem pingit.*

Reſp. I. In illo caſu, ipſe rex eſt exemplar externum, ad cujus ſimilitudinem pictor primo format imaginem regis in mente, deinde aliam viſibilem manu pingit. Sed idea imaginis pingendæ, quam ex ipſius regis intuitu concipit, eſt exemplar internum, per quod pictor immediate dirigitur ad imaginem manu pingendam. Quæſtio autem eſt de exemplari interno; Hoc autem ſemper habet artifex; externum non ſemper habet.

II. Nec

II. Nec exemplar externum Exemplar est, nisi quatenus excitat ideam internam in mente, quæ artificem in operando dirigit.

Obj. II. *Opus censetur rectum quando conforme est suo exemplari? At Imago Regis non censetur recte facta eo quod sibi conformis sit, sed quatenus ipsum regem repræsentat. Non igitur res facienda exemplar est, sed aliud quid ad cujus similitudinem fit.*

Resp. Dist. minorem. Imago Regis non ideo censetur recta, quia est conformis sibi, ut extra mentem existit verum est: quia est conformis sibi, ut concepta à mente, negatur. Recte enim facta est propter utramque conformitatem, tum ad ipsum Regem, tum ad veram imaginem regis, & sui, in mente pictoris.

Obj. III. *Potest quis formare ideam rei factibilis in mente, qui nihil statuit efficere, aut qui non statuit efficere hoc individuum magis quam aliud. In illo igitur casu, idea est aliquid aliud, quam opus quod efficitur, ut figuratum in mente.*

Resp. I. Cum quis format ideam rei quam non effecturus est, idea illa est res, non quidem quæ postea fiet, sed quæ fieri potest, ut repræsentata à mente. Unde per rem faciendam, hic intelligimus, tum illam quæ fit, si modo ulla fiat, tum illam quæ fieri potest.

II. Cum autem artifex non cogitat de uno individuo magis quam alio, idea quam format, complectitur omnia individua certæ alicujus speciei: omnia enim ex æquo repræsentat. Dicitur tamen idea hujus aut illius individui determinati, potius quam alterius, quia hoc vel illud determinate, ex idea illa præconcepta, & operatione consequente, emergit.

Quæst. III. *In quo consistat causalitas finis?*

Resp. I. *Causalitas finis, in actu primo*, hoc est virtus illius causativa, *est ipsa bonitas finis*, vera, vel appa-

apparens. Hæc enim eſt aptitudo illius ad efficientem movendum.

II. *In actu* autem *ſecundo eſt bonitas illa, ut apprehenſa.* Ad bonitatem enim, quæ virtus cauſandi in actu primo eſt, accedere debet cognitio, ſeu apprehenſio, ut actu cauſet. Et ſi res in præſentibus circumſtantiis bona appareat, ſemper movet ad ſui proſecutionem.

III. Eſt igitur cauſalitas finis, in actu ſecundo, aliquid diſtinctum ab actione Efficientis, per quam eum amat & intendit, & media ad eum obtinendum exequitur. Finis enim cauſalitatem ſuam in actu ſecundo exercet, pro priori ſaltem naturæ antequam efficiens eam amet, intendat, aut proſequatur. Deinde actio efficientis eſt cauſalitas ipſius efficientis. Efficiens autem & finis, cum cauſæ diverſæ ſint, Cauſalitates etiam diverſas obtinent.

Objicit *Comptonus Phyſ. Diſp.* 23. *Sect.* 3. *Poteſt finis per cognitionem repræſentari; & tamen non movere voluntatem ad proſecutionem ſui. At poſita Cauſalitate finis, in actu ſecundo, ſequitur effectus, nempe motus ille efficientis.*

Reſp. Non poteſt finis repræſentari ut hic & nunc proſequendus, quin efficiens intendat efficaciter eum proſequi. Adeo ut, ſemper in eo aut in circumſtantiis aliquid apparet, quod voluntatem, ab intentione illius efficaci retrahit.

Quæſt. IV. An *Finis ſecundum eſſe reale, an objectivum, Efficientem moveat?* Hoc eſt utrum per entitatem ſuam, an per cognitionem ſui. Extendi poteſt hæc quæſtio ad omnes cauſas objectivas, & multum agitatur inter Doctores Pontificios; ſed facile noſtro judicio deciditur, ſi dicas *ſecundum utrumque movere.* Quod autem ſecundum *eſſe reale* moveat manifeſtum eſt. Secundum illud enim movet, quod efficiens expetit, & intendit: hoc autem eſt *eſſe* Finis *reale,* non autem *eſſe cognitum.* Ut æger qui medicamentis,

ſanitatis

sanitatis gratia, utitur, sanitatem, secundum esse reale intendit, & prosequitur. Quod autem moveat etiam secundum *esse objectivum*, seu ut cognitus, patet; quia finis incognitus neminem movere potest, aut solet. Quamvis res, quæ cognitionis expertes sunt, in finem tendant ex consilio & directione primæ Causæ, aut per instinctum naturalem in eo ferantur; ut bruta quorum cognitio non distinguit finem à mediis, sub rationibus suis formalibus.

Obj. I. Finis secundum esse reale, est Effectus Efficientis: Non igitur est causa actionis Efficientis; proinde, secundum esse reale, ad eam non movet.

Resp. Finis, secundum esse reale, est & causa actionis efficientis, quatenus inducit eum ad se intendendum; Et effectus, quatenus per aliam illius actionem obtinetur. Sive est Causa intentionis, effectus executionis. Unde finis & efficiens sibi mutuo sunt causa, diversa ratione.

Obj. II. Finis dum causat, nullum habet esse reale, sed tantum objectivum in mente.

Resp. Nullum habet esse reale actuale, hoc est non actu existit: habet tamen esse reale potentia. Et in hoc differt causa finalis, & omnis fere causa objectiva, à Causa Efficiente proprie dicta. Hæc enim, quia vera actione causat, nihil causat, nisi cum existit.

Inst. Impossibilia aliquando movent ad appetitionem sui: ut cum improbus cupit esse beatus, sine virtute, vel sanctitate.

Resp. Beatitudo nihilominus, in eo casu, movet secundum illud esse quam habet in se, nempe ut est status in quo animus acquiescere possit. Sed hinc oritur

Quæst. V. Sitne cognitio bonitatis, per quam finis movet, causalitas illius, an tantum conditio necessaria.

S Resp.

Resp. *Certum est esse conditionem necessariam*; quoniam ignoti nulla est cupido. *Est* tamen *pars Causalitatis.* Nec enim sola bonitas finis, nec etiam sola illius cognitio Efficientem movet, sed utrumque simul: prior quidem ut ratio *quæ* movet, posterior *per quam.* Ratio est quia si cognitionem à causalitate finis rejiciamus, ut plerique faciunt, nulla illius causalitas in actu secundo assignari poterit; nihil enim tunc restabit, præter ipsam entitatem finis, & actiones Efficientis. Hæ autem sunt effectus causalitatis finis, illa vero esse potest, cum finis actu non causat.

Quæst. VI. *Quid sit causatum finis?*

Resp. I. *Appetitio, Amor* & *Intentio* sui. Hos enim effectus in voluntate excitat.

II. *Judicium practicum*, in mente, de fine prosequendo, per executionem mediorum.

III. *Electio* mediorum, & *consultatio* de iis, si dubia sint.

IV. *Amor mediorum* propter finem, licet in se ingrata sint. Ut cum æger, propter sanitatem, multa remedia amplectitur, quæ dolorem & molestiam creant.

V. *Imperium voluntatis*, quo potentias executivas trahit ad media exequenda.

VI. *Finis modum & mensuram mediis ponit*: nec enim Efficiens ea ulterius prosequitur, quam quantum ad finem obtinendum expedit.

DISPU-

DISPUTATIO XVI.

De Rerum Convenientia, Differentia, & Oppositione.

Quæst. I. QUid ſit Convenientia, & Differentia, ſeu diverſitas? *Burgerſdic. Inſtit. lib.* 1. *cap.* 20. *Convenientiam* deſcribit, *qua plura, aut quaſi plura, uniuntur inter ſe.* Diſtribuit autem, in *Realem* & *Rationis. Convenientiam realem* definit, *Convenientiam unius rei cum ſeipſa*; *Covenientiam* vero *Rationis*, *Convenientiam plurium in uno conceptu.* Convenientiam Eſſentialem, *Identitatem* vocat, quam *Unitatem Eſſentiæ* definit. Et diſtribuit in *ſubordinatam*, & *coordinatam.* Priorem definit, *qua conveniunt ſuperiora cum inferioribus ſibi ſubjectis.* Poſteriorem diſtribuit in *Numericam*, *Specificam*, & *Genericam.* Primam ex his definit, *Identitatem unius individui cum ſeipſo?* Secundam definit, *Identitatem plurium individuorum, ſub eadem ſpecie.* Et *eadem ſpecie* eſſe dicit, *quorum una eſt ratio eſſentiæ*, ſive *quæ ſpecie non differunt.* Tertiam definit, *Identitatem plurium ſpecierum, aut individuorum, ſub eodem genere.* Et *eadem genere* eſſe dicit, *quæ ſub eodem genere ſunt.* Ibid. *cap.* 21. Diverſitatem definit, *qua res à ſeinvicem diſtinguuntur.* Et conſimili modo diſtribuit, ac convenientiam. *Keckermannus* vero, *Syſt. Log. Maj. cap.* 4. *Convenientiam, Identitatem*, & *Unitatem*, pro iiſdem habet. Unde *Identitatem* definit, *Unitatem & convenientiam rerum.* Et ſic omnes modos convenientiæ ad *Identitates* revocat. Sed in his plurima ſunt quæ reprehenſionem merentur.

I *Convenientia non est unio plurium* aut *quasi plurium*, nisi metaphorice. Unio enim proprie, est forma compositi; quæ longe alia est à Convenientia. Et nulla conveniunt quæ non uniuntur, sed separantur. Ut nos cum illis, qui in India degunt, convenimus, in natura humana, à quibus tamen longe distamus. Fateor in ipsa voce *Convenientiæ*, prout in hoc argumento accipitur, esse metaphoram. *Convenire* enim proprie, est in unum locum, aut saltem in locos vicinos venire. Et idcirco, pro *Convenientia* rectius adhiberetur vox *Similitudinis*, quæ proprie sumpta, eandem rem significat. Sed licet nomen rei definiendæ metaphoram includat, definitio tamen illius, & rei per ipsum significatæ, verbis propriis exprimi debet; si modo ulla talia suppetant.

II. *Identitas* & *Convenientia* proprie dicta, *longe differunt*. Nam *Identitas* est unius rei affectio, qua res illa ipsa est quæ est, seu suam ipsius habet naturam. At *Convenientia* est similitudo unius rei ad aliam. Et omnis res eadem cum seipsa est. At nihil sibiipsi simile est, aut cum seipso convenit; nisi sensu negativo, (quatenus non est sibi dissimile, seu quatenus non differt, aut dissentit à seipso), aut metaphorice, cum phrases istæ ad *Constantiam* indicandam usurpantur. Unde non conveniunt proprie, nisi quæ distinguuntur, aut quæ ut distincta spectantur.

III *Ab Unitate* etiam proprie dicta, *differt tum convenientia, tum Identitas*. *Unitas* enim proprie, est affectio Unius rei, aut plurium quæ componuntur; & sic differt à convenientia, quæ semper est plurium, aut quæ ut plura spectantur. Deinde Unitas formaliter negat pluralitatem: at Identitas negat rem esse aliam, seu distinctam ab ea quæ est. Cum igitur *Convenientia* plurium *Unitas*, & *Identitas* appellatur; (Ut cum natura Humana Unitatem, & Identitatem specificam, in omnibus hominibus, & Natura anima-

animalis Unitatem, & Identitatem Genericam, in omnibus animalibus, habere dicitur) voces *Unitatis, et Identitatis*, analogice usurpantur.

IV. *Mira est Definitio Convenientiæ Realis*, in qua dicitur esse *convenientia Unius rei cum seipsa*. Convenientia enim proprie loquendo, semper est plurium Quin potius, sicut diversitas, per quam eadem res est diversa à seipsa, eodem tempore, propter diversas rationes quæ ei conveniunt, (quomodo Angelus, ut virtute intelligendi præditus, est diversus à seipso, ut virtute libere eligendi pollet), est diversitas rationis, sic etiam convenientia rei cum seipsa, convenientia est rationis. Quæ enim conveniunt, necessario spectantur ut distincta. Et qualis est distinctio eorum, quæ conveniunt, talis etiam est convenientia; Proinde quæ sola ratione distinguuntur, sola etiam ratione conveniunt, et realiter idem sunt: Male igitur confunditur convenientia realis cum reali identitate. Et si convenientia unius rei cum seipsa sit realis, qualisnam quæso erit convenientia plurium inter se, ut hominis et bestiæ in natura sensitiva, vel Socratis et Platonis quoad Doctrinam, Gentilismum, &c? An non quæ magis conveniunt quam per diversas negationes, aut diversas habitudines ad res distinctas, adeoque conveniunt ante omnem operationem intellectus, realiter convenire dicenda sunt?

V. *Nec convenientia plurium in uno conceptu, recte dicitur convenientia Rationis*. Quæ enim in uno conceptu conveniunt, sæpius realiter conveniunt, ut *homo* et *bestia* in conceptu *animalis*. *album*, et *nigrum* in conceptu *colorati*. Quin nec uno conceptu confuso (seu qui inter ea non distinguit) concipi possent, nisi ante conceptum illum convenirent. Siquidem convenientia inter ea, est ratio cur vere, uno istiusmodi conceptu, concipi possint. Nec quæ uno conceptu conveniunt, Identitatem rationis habere dicenda sunt; sed Identitatem Metaphoricam, et analogicam.

Realiter enim plerumque diversa sunt. Neque ulla est identitas rationis proprie, præter illam qua una aliqua ratio rei est eadem cum seipsa; v. g. ratio Intellectivi in angelo.

VI. *Male etiam Convenientia Essentialis, definitur unitas Essentiæ.* Nam quodvis individuum habet unitatem Essentiæ, nec tamen Convenientiam Essentialem cum seipsa, nisi plane improprie. Dicendum igitur fuit, Convenientiam Essentialem, esse similitudinem plurium Essentiarum, sive per quam una essentia est sicut alia.

VII. *Nec rectius convenientia Essentialis* identitas *dicitur, quam convenientia in accidentibus*: quia utraque eorum est quæ distinguuntur, aut quæ ut distincta spectantur, quorum tamen nulla est *identitas* propria.

VIII. Nec video cur *Convenientia* eorum, quæ subordinantur, aut coordinantur, *subordinata* aut *coordinata*, magis quam convenientia sentientium, *sentiens*, aut alborum *alba* dici debeat.

IX. *Error* non Levis *est quod Identitas numerica, tanquam species convenientiæ, aut identitatis coordinata ponatur.* Hæc enim non est rerum, quæ coordinantur. Nam coordinatio semper est plurium, & nihil proprie coordinatur cum seipsa.

X. Licet omnis species eadem sit cum seipsa, & similiter omne genus, (quoniam quicquid cadit sub conceptum nostrum, cum seipso idem est, & idcirco individua, quæ similes habent Essentias, ejusdem speciei dici soleant; sicut species quæ similes habent Essentias qua tales, ejusdem generis) *Dura* tamen *est Locutio, in qua Individua* illa *eadem dicuntur in natura speciei,* aut species eædem in Natura Generis. Non enim eadem sunt, sed similia. Nec eandem habent naturam; sed similes.

XI. Deniq;, *nec recte dicitur Diversitas,* prout convenientiæ opponitur, *qua res à seinvicem distinguuntur.*

Licet enim distinctio & diversitas pro eodem sæpe usurpari soleant, omnino tamen expedit ut distinguantur; vel Loco diversitatis alia vox substituenda est, oppositæ significationis ad vocem convenientiæ: nempe *discrepantia, differentia*; aut aliqua similis. Ratio est quia multa distinguuntur quæ non differunt, hoc est quæ non discrepant, aut discordant: Licet quæcunque differunt, etiam distinguantur. Potest enim esse vera ac realis distinctio sine ulla differentia; ut est inter duas *Lineas*, aut duos *circulos æquales Diversitas* igitur ut convenientiæ opponitur, *est dissimilitudo rerum*; seu ejusmodi earum affectio, *per quam una aliter se habet ac altera*; vel quoad essentiam, vel quoad accidentia.

Ex his duo corrolaria addimus.

1. *Falsum est*, quod multi axiomatis loco habent, *Quæcunque conveniunt realiter, ratione distinguuntur, & quæcunque realiter distinguuntur conveniunt ratione.* Licet enim quæ realiter idem sunt, ratione & conceptu distingui soleant, & quæ realiter differunt, concipiantur sæpe sub ratione aliqua communi, tanquam essent unum, & idem, (mens enim pro sua vel subtilitate, vel infirmitate, dividere solet quæ unita, & unire quæ divisa sunt, ut in conceptibus confusis, & præcisivis), tamen, quæ realiter conveniunt, etiam realiter distinguuntur, & quæ realiter distinguuntur, vel non conveniunt, vel plus quam ratione conveniunt. Præterquam quod vix reperire possim Convenientiam Rationis, nisi talis dicatur Convenientia plurium rationum, ut in *angelo* convenientia respectuum ad actus intelligendi, & volendi.

2. Falsum etiam est id quod habet *Herebordus, Select. Disp. Vol. 2. Disp. 27. Multa realiter differre quorum una est numero essentia.* Nisi hoc sensu intelligatur, quod multa quæ realiter differunt, unam essentiam

 com-

compositam conficiant. Sed non sic intelligere videtur Herebordus, ut patet ex instantiis quas adfert in illius confirmationem. *Modus* inquit, *& res modificata, sunt una numero essentia, & tamen realiter differunt. Ut unio animæ & corporis est eadem essentia animæ & corporis, realiter tamen ab iis differt.* Similiter de *personalitate,* & *natura* Suppositi intelligentis, pronunciat. Sed ista omnia sunt mera deliria. Si enim eorum quæ realiter differunt una & eadem esset numero essentia, idem à seipso, eodem tempore, realiter differret. Et, (cum quæ realiter differunt in creatis separari possint à se invicem), idem posset separari à seipso. Unde, cum unio animæ & corporis separari ab illis possit, impossibile est, ut eandem essentiam cum illis habeat. Idem de personalitate, & natura dicendum est. Reliqua quæ ad locum convenientiæ & Diversitatis spectant, brevius expediam. Sit igitur,

Quæst II. An & quo sensu verum sit, *quæ conveniunt in uno tertio, ea conveniunt inter se?*

Resp. Verissimum quidem illud est, sed sensu nugatorio, seu identico, qui nihil docet; Nam quæ conveniunt in uno tertio, non aliter conveniunt inter se, quam in illo tertio, sive per illud. Quod idem est ac si dicas *quæ conveniunt in uno tertio, illa conveniunt in illo tertio,* aut (ad summum) *illa conveniunt.* Omnia enim quæ conveniunt, *inter se* conveniunt. Sic igitur exprimendum fuit illud axioma, *quæ conveniunt cum eodem tertio, eatenus conveniunt inter se.* Ut quæ æqualia sunt eidem mensuræ communi, æqualia sunt inter se; & quæ similem habent essentiam, aut similia accidentia, cum eodem tertio, eorum essentia & accidentia sunt similia inter se.

Quæst. III An detur similitudo in essentiis? Quidam negant, & *Similitudinem* ad qualitates restringunt: Convenientiam vero rerum in essentiis, *Identitatem* appellant. Sed quæstio est de voce: in qua vocibus abutuntur, aut sine ratione uti recusant, ut usurpari recte possent.

possent. Quid enim aliud est *unam rem esse similem alteri*, quam esse ut altera est. Jam vero una res est ut altera, non tantum in qualitatibus suis, & modis, sed etiam in essentia; ut omnia individua ejusdem speciei. Nec convenientia in essentiis, Identitas est nisi improprie. Quo igitur nomine appellabitur convenientia in qualitate, cum hæc ab essentia rei realiter distinguitur?

Resp. *Similitudo* (cum additamento) *stricte* sumpta, ut opponitur æqualitati, & paritati. In defectu enim vocum, nomen Generis restringitur ad unam aliquam illius speciem designandam.

Quæst. IV. *An Convenientia & Diversitas realiter distinguantur à rebus ipsis quæ conveniunt & differunt?*

Resp. I. Si de *convenientia* & *diversitate Essentiali* loquamur, *palam est eas non distingui à rebus* quæ conveniunt & differunt, *nisi ratione*. Realiter enim in illo casu distingui nequeunt. Quia quæ essentiis conveniunt, conveniunt *per se*, & quæ essentiis differunt, *per se* differunt. Quod autem per se tale est, non est tale per aliquid à se realiter distinctum. Ratione autem distinguuntur, quia res quatenus conveniunt aut differunt, habitudines seu relationes ad alias includuut. Unde distinguitur convenientia à rebus quæ conveniunt, & differentia à rebus quæ differunt, eo modo quo relatio à subjecto et termino; De quo supra *Disp.* 8. *quæst.* 3.

2. *Aliter de convenientia, & differentia rerum, in accidentibus philosophandum est*. Quando enim res conveniunt accidente communi, cum illud proprie semper distinguatur realiter, saltem modaliter, adeoque magis quam ratione, necesse est convenientiam subjectorum, magis etiam quam ratione, à subjectis ipsis distingui, Quanquam convenientia ipsa accidentium, (ut per se spectantur), quia essentialis est, sola ratione ab illis distincta sit. Idem de differentia seu diversitate dicendum est.

Quæst.

Quæst. V. *An duæ entitates simplices, possint in eadem ratione, simul convenire, & differre?*

Respondent quidam, *posse in gradibus remissis*: Convenientiam enim & diversitatem magis & minus recipere. Falluntur tamen. Ubi enim inter duo, aliqua est Convenientia, & aliqua differentia, licet utraque realiter sit illorum duorum Entitas, necesse tamen est ut illa aliqua, seu remissa convenientia, ut vocatur, in una ratione sit, & differentia, in alia.

Patet, quia convenientia & differentia sunt affectiones rerum dissimiles; adeoque oriuntur à rationibus, non tantum distinctis, sed etiam dissimilibus.

Obj. Substantia & modus conveniunt in aliquo reali positivo, ut per se patet; differunt vero in eodem reali positivo; quia non differunt in nihil. Et spiritus ac materia conveniunt in ratione substantiæ, ut omnes fatentur; in eadem etiam differunt, quia non solis modis differunt. Ipsæ etiam rerum differentiæ, & oppositiones, per se ipsas differunt, quatenus sunt differentiæ, & oppositiones, conveniunt tamen in eo quod utraque sit differentia, & oppositio.

Resp. Nulla ex his conveniunt & differunt in eadem ratione. Ut substantia & modus conveniunt in reali positivo communi, quod plane simile est in utroque; differunt vero in reali positivo proprio. Similiter materia & spiritus conveniunt, in ratione substantiæ communi tantum; & in solis rationibus propriis differunt. Et differentiæ ac oppositiones conveniunt in communi ratione differentiæ, et oppositionis; differunt vero quatenus diversarum rerum differentiæ, et oppositiones sunt. Adeo ut ratio conveniendi, et differendi semper sit alia, et alia.

Quæst. VI. *In quo consistat rerum oppositio*: Item, *an à*

an à diversitate distincta sit, et *quatenus*. Obscure plerique hîc, si non omnes, differunt Logici. Nos luculentius rem, sequentibus Aphorismis, exponere tentabimus.

1. *Oppositio semper est inter terminos distinctos*; et *omnia opposita* quà talia *distincta sunt*. Nec enim idem sibiipsi, quatenus idem est, unquam opponitur; ut per se patet. Dico autem oppositionem esse *inter terminos*, hoc est inter objecta quæ apprehensionem mentis nostræ terminant, (de oppositione enim simplici nunc sermo est), potius quam inter *res*; quia extrema oppositionis non semper sunt res, proprie loquendo, ut in oppositione privativa, et contradictoria maximè patet.

2. *Oppositio in genere*, et latissima significatione, *est quævis plurium repugnantia*. Et *opposita sunt, quæ consistere nequeunt*. Cui opponitur affectio rerum quæ *cognatio*, et *consensus* dicitur, quæ nihil aliud est quam *convenientia*, seu *similitudo* late sumpta

3. Hinc sicut *omnes* omnino *termini* aliquatenus conveniunt; ut ipsum *ens*, et *non-ens*, *homo*, et *non-homo*, *cæcus*, et *videns*, in hoc quod omnes esse possint, et aliquando sint objecta mentis nostræ, et signata sermonis; sic etiam omnes *aliqua ratione repugnant sibi invicem*. Adeo ut unum et idem oppositum et non oppositum sit, diversa ratione. Ut *probus* et *improbus* ratione formarum, *probitatis*, nempe et *improbitatis*, opposita sunt; sed ratione subjectorum, quæ sunt duo homines, cum per se præcise ut homines spectantur, non opponuntur, sed consentiunt.

4. Sed *repugnantia* terminorum ex variis capitibus oriuntur, quæ valde sunt dissimilia. Unde *alia major, alia minor est*. Quidam enim termini ita sibimet invicem repugnant, ut in rerum natura consistere nequeunt; ut res et sua negatio, seu carentia. Nihil enim potest simul esse et non esse. Et

hæc

hæc oppoſitio *contradictio* vocatur: Sed hic intelligenda eſt carentia *totalis*, ſive *Univerſalis*. Adeo ut cum dicimus *hominem* & *non-hominem* conſiſtere non poſſe in rerum natura, per *non-homo* intelligendum eſt *nullus homo*, ſeu totale *non-eſſe* hominis. Secus enim equus eſt aliquod *non-homo*, quod cum homine ſatis bene conſiſtit. Sed *homo* & *nihil quod ſit homo* conſiſtere nequeunt. Ratio eſt quia *aliquid quod non eſt homo*, poteſt eſſé quid poſitivum. Plura autem poſitiva facile conſiſtunt, nec alterum ab altero expellitur è rerum natura. Si autem dicas carentiam rei non poſſe eſſe in rerum natura, reſpice ad ea quæ de negationibus dicta ſunt ſupra *Diſp.* 4. q. 5.

5. Secundo, *alii ſunt termini qui in eodem ſubjecto conſiſtere nequeunt*, circa quod idcirco *pugnare* dicuntur. Ex quibus alter interdum poſitivus eſt, nempe forma, ſeu modus vel pars, vel adjunctum externum, quæ omnia nomine *Habitus* veniunt; alter negativus, qui privatio dicitur: ut *Scientia*, & *ignorantia*, *viſus*, & *cæcitas*. Et terminorum ejuſmodi oppoſitio, *privativa* dicitur, denominatione ſumpta ex altero oppoſitorum, nempe privatione. Interdum uterque terminorum eſt poſitivus. Quo caſu, ſi abſoluti ſint, *Contraria* vocantur, & oppoſitio eorum *contrarietas* dicitur. Sic opponuntur modi ſubſtantiarum, qui maxime ſunt diverſi, ſeu diſſimiles; ut in mente, *virtus* & *vitium*, *ſcientia* & *error*; in ſubſtantia corporea, *calor*, & *frigus*, *gravitas*, & *levitas*, *albedo* & *nigredo*. Notandum tamen eſt, omnia oppoſita nomine contrariorum, nonnunquam appellari. Sin reſpectivi fuerint, oppoſitio *Relativa* nuncupatur; ut oppoſitio inter cauſam & effectum, partem, & totum, ſubjectum, & adjunctum, ſi ad idem conferantur. Sic enim nihil poteſt eſſe & cauſa, & effectus, totum, & pars, ejuſdem rei.

6. Oppoſitio eorum quæ circa idem ſubjectum pugnant.

pugnant proprie est inter formam & illius carentiam, vel inter plures Formas, Modos, aut Relationes: subjecta autem quæ hisce afficiuntur non nisi ratione illorum opponuntur, seu quatenus illis affecta sunt: ut *cæcus* & *videns*, *albus* & *niger*, *Pater* & *Filius*.

7. Quæ tamen privative opponuntur, sunt Habitus, et privatio, non qualiscunque, sed illius tantum habitus quem tollit. Sic *manus* & *carentia pedis*, in homine non opponuntur privative; sed manus & carentia manus, pes & carentia pedis. Et (quod magis advertendum est) aliquis gradus *Lucis*, & aliquis gradus tenebrarum indeterminate, in aere, tempore vespertino, non opponuntur privative, sed aliquis gradus determinatus lucis, & ejusdem carentia. Sicut nec scientia rerum naturalium, & ignorantia spiritualium, sed scientia rerum naturalium, & earundem ignorantia.

8. Quarto denique, *alii sunt termini, qui*, licet consistere possint in rerum natura, & in eodem subjecto, (nisi quod plurimi eorum in nullo subjecto, ne seorsim quidem esse possint), *nequeunt* tamen *identificari*. Et ex his quidam similitudinem in essentiis denotant: ut omnes species rerum, sive substantiæ sint, ut *homo, equus, arbor, lapis*; sive modi, ut *scientia, virtus, albedo, flavedo, lux, motus*, sive concreta ex utrisque, ut *calidum, lucidum, grave*. Et termini istiusmodi *disparate* opponi dicuntur. Quidam plane similes sunt; ut duo circuli æquales. Si igitur hi oppositi sint, utique omnes termini distincti, quatenus distincti sunt, etiam illi qui sola ratione distinguuntur, quatenus sic distinguuntur, oppositi sunt dicendi. Licet enim qui *disparati* vocantur dissimles sint, nullam tamen repugnantiam includunt ad se invicem; nisi quod non possint identificari, seu de se affirmari.

Dices forte, pugnare, quod non possint esse sub eadem specie infima; aut propter dissimilitudinem in

in essentiis. Sed quid hoc est repugnare ut sint sub eadem specie infima, nisi quod repugnent esse omnino similes in essentiis, seu quod necessario dissimiles sint? At *esse dissimile*, non est idem ac non posse consistere cum alio, adeoque nec oppositum esse.

9. Hinc inferimus, *disparata non esse proprie opposita*. Multo minus omnia illa quæ distinguuntur, seu quorum unum non est aliud. Unde defendi nequit definitio vulgaris oppositorum. *Quæ nec de se invicem, nec de eodem tertio, secundum idem* (id est secundum eandem partem vel naturam) *ad idem* (seu eodem respectu) *& eodem tempore, affirmari possunt.* Sic enim omnia non solum quæ dissimilia, sed etiam quæ realiter distincta sunt, quin & quæ sola ratione distincta sunt quatenus distinguuntur, essent opposita. Nulla enim ex his de se vere affirmantur. At quis dixerit duas lineas æquales esse oppositas, nisi forte quoad locum, cum altera è regione alterius locatur? Et longe absurdius, Genus & differentia, & omnia attributa essentialia ejusdem rei, opposita dicerentur. Sic enim omnia consentanea essent opposita; præter ea quæ solis vocibus distinguuntur, ut homo et *Anthrôpos*. Deinde omnis oppositio præsupponit distinctionem, adeoque nulla ex parte eadem cum illa est.

10. Nec recte definitur oppositio à *Claubergio, Ontosoph. Sect.* 265. *Summus diversitatis gradus*. Sic enim, nisi declararetur quisnam gradus summus sit, sola contradictio erit oppositio Nec recte declaratur, si dicas illa esse opposita, quorum positio unius est ablatio alterius. Nam si *ponere* simpliciter hic intelligas, sic sola contradicentia erunt opposita: si respectu alterius, sic non solum *diversa* sed etiam *distincta* erunt opposita; Nam posito uno distinctorum, tanquam eodem cum hoc vel illo, tollitur alterum; ut si hic homo sit Petrus; non potest esse Paulus.

Hinc

Hinc reprehendendum est, quod idem autor dicit supra Sect. 274. *Contrariorum pugnam, quandoque esse naturæ suæ diversitatem, propter quam de se invicem affirmari nequeunt*; ut *par* & *impar*, rectum & *curvum*. Non enim sola diversitas, sed simplex distinctio affirmationi mutuæ rerum obstat. Nec *par* & *impar* contraria sunt, ut vulgo statuuntur, sed privantia. Curvitas autem & rectitudo circa subjectum tantum pugnant.

11. Nec probandus est *Ramus*, qui *lib.* 1. *Dialect. cap.* 12. *&* 13. Diversa definit, *quæ sola ratione dissentiunt*; *opposita* vero *quæ ratione & re*. Multa enim sunt diversa, quæ non sola ratione, sed reipsa dissentiunt. Sumamus enim exempla diversitatis quæ ab ipso Ramo ponuntur, nempe *victoriam*, & *insignia* victoriæ, ratione *Syllæ* & *Murenæ*, qui ante victoriam triumpharunt, item esse *formosum* & *facundum* ratione Ulyssis, illa naturis suis dissentiunt, hoc est dissimilia sunt, non autem sola ratione alicujus tertii, cui simul non conveniunt. Quin illa, & quæ ejusmodi sunt, magis dissentiunt re, quam relata plurima. Hæc enim, quoniam Relatio est tantum ratio rei, sola ratione dissentiunt: ut esse *simile*, & *dissimile*, respectu ejusdem. Unde vel Relata è censu oppositorum expungenda sunt, vel mala erit Definitio oppositorum à Ramo tradita.

12. Hinc etiam Relata, præter contraria, & privantia, (sunt enim & hæc relata quædam; nam contrarium est contrarii contrarium, et privatio est Habitûs privatio) inter opposita non sunt numeranda: quia repugnantia eorum nec est in natura; ut contradicentium, et privantium; nec ratione subjecti præcise; (nam *paternitas*, et *filiatio* eidem subjecto convenire possunt), sed præcipue ratione ejusdem termini. Ad diversa igitur potius referenda sunt. Unde et inter opposita in Institutionibus non retulimus.

13. Sunt

13. Sunt igitur tria tantum genera oppositorum, *Contradicentia*, *Priventia*, & *Contraria*. Ex quibus contradicentia maxime opponunur, quia absolute *repugnantia* sunt. Proxime accedunt privantia, quia eorum alterum est quid negativum, in quo cum contradicentibus conveniunt. Minorem tamen oppositionem includunt, partim quia extremum quod negativum est, aliquid positivum connotat, nempe capacitatem subjecti ad formam quam tollit recipiendam: partim quia utrumque ex privantibus circa idem subjectum pugnat; cum contradicentia à subjecto absolvantur. Minima vero est oppositio contrariorum; partim quia utrumque est positivum, positivum autem cum positivo minus *pugnat*, quam cum negativo: partim, quia sub eodem genere intrinseco, & reali, continentur, in quo idcirco consentiunt. At contradicentia & privantia in nullo genere seu ratione essentiali communi, conveniunt, nisi quod utrumque extremorum potest esse objectum actus alicujus vitalis, cognitionis puta, aut appetitionis.

Obj. Privantia, tum naturis suis pugnant, eo quod alteram eorum negativum sit; tum ratione ejusdem subjecti; in quo consistere nequeunt. Unde & oppositionem tum contradictoriam, tum contrariam simul obtinent. Hæc igitur maxime opposita sunt.

Resp. Non sequitur. Quia his non obstantibus, in diversis subjectis simul consistunt. Ut *cacitas* in *Homero*, & *visus* in *Hesiodo*. Item in eodem per vices. Denique extremum negativum aliquid positivi connotat, & multo minus late patet quam in contradictoriis. Unde inter privantia datur medium tum negationis; ut inter *cæcum*, & *videntem*, mediat lapis, qui nec cæus est, nec videns; tum participationis; ut inter *cæcum* & *videntem*, mediat *luscus*, vel *caligans*; inter *diem* & *noctem* mediat *crepusculum*.

DISPU-

DISPUTATIO XVII.

De Vocibus.

Quæst. I. QUid voces significent? Quidam enim, ut *Scotus*, & alii, dicunt voces solas *res* significare, non autem *conceptus*, nisi paucæ quædam quæ solis conceptibus significandis adhibentur, eo modo quo reliquæ significant res; ut *cogitatio. intellectio. apprehensio.* judicium, et reliquæ quæ actuum mentis nomina sunt. Fatentur tamen voces pro conceptibus substitui, quia eorum interpretes sunt. Ideo enim vocibus utimur, quia conceptus nonpossumus aliis, per se et immediate ostendere. Ex altera parte, Boethius, solos conceptus vocibus significari statuit. Alii utrumque, tam res quam conceptus, per voces significari docent: estque communis sententia. Nos sic definimus.

Thes. I. *Voces significant & res, & conceptus simul.* Quod res significent, patet.

1. Quia cum dicimus, ex. g. *ignis urit.* sensus est, *res significata per vocem ignis,* nempe substantia quædam fluida et calida, *urit,* seu actionem ustionis præstat. Vox igitur *ignis* significat rem quæ nomine ignis dicitur.

2. Audita voce significativa, si significationem intelligimus, statim trahimur ad cogitandum de re aliqua. Ut cum audimus hanc enunciationem, *Luna exorta est*, statim cogitamus de Luna, ejusque apparitione supra horizontem.

3. Voces significant ea de quibus loquimur; at de rebus plerumque loquimur, non de solis conceptibus.

4. Cum Adamus in principio, nomina animalibus ad se adductis, imposuit, quid aliud fecit quam signa quædam ad-invenit, et constituit, quibus illa postea dignoscerentur, et à se invicem distinguerentur.

5. Si voces solos conceptus significarent, pleræque propositionum essent falsæ; ut cum dicimus *Lapis est visibilis*, si *Lapis* solum conceptum significet, sequeretur hunc esse sensum, *conceptus qui significatur nomine* Lapis *est visibilis*, quod falsissimum est.

Quod autem conceptus etiam, vocibus aliquo modo significentur, manifestum est.

1. Quia ex vocibus ab alio prolatis, colligimus eum cogitare de rebus: Judicium item facimus de conceptibus, sintne veri, an falsi, clari, an obscuri, ordinati, an confusi, &c.

2. Intendimus etiam aliquando, dum ipsi loquimur, ut audiens non tantum res concipiat, sed etiam sciat nos eas intelligere.

3. Voces & oratio institutæ sunt, ad societatem, & commercium inter homines colendum: Societas autem illa, magna ex parte, in communicatione conceptuum sita est. Cum enim conceptus detegere non possumus aliter quam actionibus, & vocibus, his sæpius utimur ad eos indicandos.

4. Si voces non essent signa conceptuum, nihil quod *dicimus* esset verum aut falsum *Ethice*: sed tantum Logice. Veritas enim Ethica consistit in conformitate sermonis ad judicium mentis, seu quod ei subsit judicium rei de qua loquimur. Falsitas autem, seu mendacium, est cum sermo significat conceptum seu judicium, quod non est in mente loquentis. Unde nec audiens fallaci sermone decipi posset, nisi existimaret eum significare judicium aliquod internum quod in mente non habet.

Objicit. *Boethius*. I. Verba *Aristotelis*, *de Interp. Cap.*

Cap. 1. *Voces prolatas esse signa conceptuum, qui in anima sunt; scripta esse signa vocum.* Ubi nullam mentionem rerum facit.

Resp. Idem tamen cap. ult. dicit, *quia res est, vel non est, orationem esse veram, vel falsam.* Vult igitur orationem utrumque significare, tum res, tum conceptus. Partem igitur tantum veritatis protulit, quæ præsenti instituto sufficiebat.

Objicit. II. Nutus æquipollent vocibus in significando; cum hoc discrimine, quod voces auribus, nutus oculis percipiantur. At nutus solum indicant consensum, & dissensum mentis. Ergo et voces.

Resp. Negatur minor. Nutus enim adhibentur à mutis, non tantum ad cogitationes suas, sed etiam res significandas: ut cum porrectione digitorum, à fronte, *diabolum* indicant &c. Reliqua quæ opponit, nullam fere speciem argumentorum gerunt.

Difficilius Scotus Objicit.

I. Si voces significarent conceptus falsæ essent pleræque propositiones: ex. g. hæc, *homo est animal.* Sensus enim esset, *conceptus hominis est conceptus animalis.*

Resp. Hoc argumentum probat quidem voces, non eodem modo significare res, ac conceptus. Non autem probat nullo modo conceptus significare. Potest enim idem signum plura diversimode significare. Ut *vox natura* sua, significat esse causam aliquam, & motum, in eo à quo profertur; sed ex *voluntate* & consensu hominum, res & conceptus. Qua autem diversitate, voces res & conceptus significent, sequente quæstione dicetur.

Obj. II. Sequeretur omnem vocem esse æquivocam, seu ambiguam, quia plura significat diversa, quatenus sunt diversa. Nempe vox *Homo* rem quæ dicitur Homo, & conceptum de Homine.

Resp. Negatur connexio. Ratio est, quia illæ tantum voces Æquivocæ sunt, & incertæ significationis,

tionis, quæ unum è pluribus indeterminate ſignificant, nec poſſunt ſimul accipi pro omnibus ſignificatis. Ut *Gallus* vel *Hominem* vel *Avem*, indeterminate, non autem utrumque ſimul, in eadem oratione. At voces in eadem oratione, res & conceptus ſimul, & determinate ſignificant. Ut *Homo* denotat rem quæ dicitur Homo, & ſimul loquentem de eo cogitare.

Obj. III. Multæ ſunt voces quibus non reſpondent conceptus. Ut 1. In iis qui voces proferunt quas non intelligunt, ex. g. pueri cum legere docentur linguas ignotas. 2. In avibus, puta pſittacis, picis, &c. quæ voces humanas imitantur, ſine conceptibus. 3. In dormientibus. 4. In iis qui aliud cogitantes voces temere proferunt. 5. Item in phreneticis, qui linguam gubernare nequeunt. 6. In iis qui mentiuntur.

Reſp. I. Hæc objectio non concludit de vocibus loquentium, qui concipiunt ea quæ loquuntur. De quibus precipue inſtituitur quæſtio.

II. Sed & illæ, quibus non reſpondent conceptus in proferente, conceptus ſignificant, hoc eſt mentem audientis trahunt ad cogitandum de conceptibus, qui vocibus iſtis ſubeſſe ſolent: item ut exiſtimet loquentem eos habere, aut ad dubitandum utrum habeat necne. Ad dormientes quod attinet, non conſtat eos nullos habere conceptus rerum de quibus loquuntur. Et certum eſt habere aliquando, ut cum loquuntur de iis quæ per ſomnium mentibus eorum offeruntur. In iis etiam qui aliud cogitantes loquuntur, poſſunt eſſe conceptus (ſaltem confuſi) rerum quas voces ſignificant, idem de phreneticis dicendum.

Theſis II. Cum voces ſignificare dicuntur Res, *per Res intelligenda ſunt omnia quæ ſub conceptum Humanum cadere ſolent*. Adeoque non tantum res veras, & poſitivas, ſed etiam *negationes, privationes, ficta poſſibilia, & impoſſibilia*. Quin & *ipſæ voces*, ſub aliqua ratione communi, aliis vocibus ſignificantur. Ut vox omnes voces;

ces; & *Dictio* omnes voces articulatas, significet, *Nomen* omnia nomina, *Verbum* omnia verba &c. Ex altera vero parte, voces non tantum affectus mentis, sed omnis animi affectus indicant. Ut *volitionem, & nolitionem* voluntatis; *amorem, odium, gaudium, tristitiam, timorem, fiduciam, iram,* & reliquos affectus. Item *imagines* rerum sensibilium, quæ in phantasia formantur. Ut cum præceptor discipulum legere jubet, voces discipulo significant non tantum actum legendi, sed etiam voluntatem & imperium præceptoris, de eo præstando.

Quæst. II. *An voces, eodem modo, res, ac conceptus significent?* Et si diversimode, *quænam sit illa diversitas?* Hic quidam docent, voces *primo*, & *immediate* significare conceptus; Res autem non nisi mediantibus conceptibus. Sic *Burgersdicius,* alios secutus, *Inst. Lib.* 1. *Cap.* 24. Alii contra, dicunt primo, & immediate significare res, & *consequenter* conceptus; quam sententiam Scoto ascribunt *Conimbricenses,* in *Lib.* de *Interpret.* q. 3. *art.* 2. Alii deniq; dicunt immediate significare tum res, tum earum conceptus. Et his assentiuntur *Conimbricenses,* Loco citato. Est & hic alia quæstio, *an voces sint signa suppositiva rerum,* & *manifestativa* duntaxat *conceptuum.* Quidam affirmant, inter quos *Galtruchius, Mith: & Inst. Log. Disp.* 1. *Cap.* 3.

Thesis I, *Voces primario, et præcipue, significant res,* præter *conceptus*; quod ideo addimus, nequis cavilletur, conceptus esse, *res.* Sumuntur enim *res* hic, ut à conceptibus distinguuntur. Patet.

1. Quia majus beneficium est audienti res ipsas intelligere quas voces significant quam conceptus loquentis. Et frequentior prioris usus est, quam posterioris.

2. Unde & qui alium alloquitur, non, ut plurimum, sollicitus est, utrum is conceptus suos eorumque modos animadvertat, modo res ipsas intelligat.

Ut patet in iis qui alios inſtituunt. Et audiens præcipue & ſæpius in res quæ vocibus ſignificantur, cogitationem dirigit. Dico *ſæpius*, quia aliquando præcipue obſervat quid loquens velit aut intendat, et quid ei gratum, aut ingratum ſit. Scilicet cum finis præcipuus ex communicatione eſt animum ejus intelligere.

Theſ. II. *Voces immediate ſignificant res,* et *mediante cognitione rerum, conceptus, & affectus loquentis.* Probatur,

1. Quia, cum audimus voces, prius percipimus quænam res per eas ſignificentur, quam loquentem de rebus illis cogitare. Ex ſermone enim, percipere non poſſumus eum de his rebus, potius quam de aliis cogitare, niſi quia novimus voces ſignificare has, & non alias.

2. Vocibus auditis, ſtatim apprehendimus res ſignificatas, (ſi-modo uſum vocum communem novimus), ſine diſcurſu. At cogitationes loquentis non niſi per diſcurſum percipimus, in hunc modum. *Qui profert voces quæ has res ſignificant, novitque earum ſignificationem, & quantum apparet, attendit ad ea quæ loquitur, is cogitat de his rebus: at qui profert has voces, novit ſignificationem, & conſiderate loqui videtur. Ergo de his rebus cogitat.* Vel brevius, *Signa uſitata vocalia harum rerum edit*; ergo *de his rebus cogitat.* Prius igitur voces exhibent audienti *res*: & deinde conceptus de iiſdem rebus.

Theſ. III. *Voces poſtquam iis impoſita eſt ſignificatio, neceſſario & ſemper ſignificant res*, hoc eſt immediate aptæ ſunt rebus ſignificandis. Siquidem nihil aliud neceſſarium eſt ut ſignificent res, quam ut ad hunc finem & uſum inſtituantur, & applicentur. Sed *conceptus loquentis non neceſſario, nec ſemper ſignificant.* Quia is non ſemper cogitat de rebus quarum ſigna vocalia profert. Hinc etiam *certiora ſunt ſigna rerum,* quam conceptuum; Certi enim ſumus, ex uſu communi, quod has & illas res ſignificent: at non perinde

perinde certi sumus, de conceptu loquentis. Fieri enim potest ut nihil omnino cogitet de rebus, aut ut non cogitet prout loquitur.

Thes. IV. *Sunt etiam voces nomina rerum* quibus res appellantur. Unde & *signa suppositiva* vocantur, quia res repræsentant, & earum vice funguntur, seu pro illis substituuntur. At *non sunt nomina conceptuum,* (nisi quod paucæ quædam hoc munere fungantur sicut & nonnullæ nomina vocum sunt) *sed indicia.* Unde signa *manifestativa* dicuntur. Scilicet quia media quædam sunt quibus conceptus loquentis innotescunt.

Patet ex eo, quod verum est dicere vox *homo* est nomen hominis: at non est verum, esse nomen conceptus de homine. Hinc Scotus negavit voces esse signum conceptuum. Et Conimbricenses signa Doctrinalia rerum vocant: quia in docendo eas pro rebus sufficimus.

Objiciet aliquis. Voces manifestant res: Alioqui ineptæ essent ad usum docendi. Et subrogantur pro conceptibus, seu eorum vice funguntur. Quia enim non possumus conceptus nostros aliis immediate, et per se detegere, in locum eorum voces substituimus.

Resp. Conceditur voces manifestare res, et proinde esse signa earum manifestativa, non minus quam conceptuum. At substitui proprie in locum conceptuum negamus. Non enim illorum nomina sunt. Quod igitur surrogari et constitui pro conceptibus dicantur, nihil aliud intelligendum est, quam quod usus earum medium quoddam est quo conceptus aliis patefacimus. Si autem quæras quid sit *esse nomen rei;* Respondeo nihil aliud quam esse *signum vocale pro re substitutum.*

Quæst. III. *Unde voces significationem habeant, à natura an aliunde?* Hic nulla est controversia. Respondemus igitur.

I. *Voces inarticulatæ, quæ affectus animi, significant, ut gemitus, fletus, risus, sunt signa naturalia.* Sunt enim eædem apud omnes, ut & affectus quos indicant. Et natura duce ab omnibus eduntur. Licet eatenus arbitraria sint, quatenus simulate usurpari possunt, & solent, ab iis in quibus affectus congrui non respondent.

II. *Voces articulatæ, natura sua, aptitudinem habent significandi remotam*; hoc est ut adhibeantur ad res significandas. Et quoad hanc omnes sunt æquales. Secus enim non possent ad res significandas usurpari. Quanquam nonnullæ ad usum illum aptiores sint quam aliæ; illæ scilicet quæ facilius pronunciantur.

III. *Omnes voces Humanæ, natura sua, aliquid significant.* Scilicet facultatem internam loquendi, & aliquem motum in animo, & conceptus indeterminate, hos vel illos. Siquidem sine his, homines voces sponte sua non ederent. Dico *sponte sua*, quia Dæmones aliquando utuntur organis loquelæ energumenorum, ad multas voces formandas, ad quas hi nihil conferunt, sed aguntur ut machinæ quæ per artem quasdam voces humanas imitantur.

IV. *Non* tamen *naturaliter*, seu natura sua, *habent quod has res potius quam alias significent*, sed ex *instituto*, seu *arbitrio*, ac *placito*, divino, vel humano. Et eadem causa est, cur hos conceptus significent, potius quam alios. Ex. g. quod vox *Homo* animal ratione præditum, in lingua Latina, significet, potius quam lapidem; & loquentem de tali animali cogitare dum eam profert, potius quam de equo, aut lapide, ex arbitrio Dei vel hominis est. Probatur.

1. Quia signa naturalia sunt eadem apud omnes gentes; ut *suspiria* ubique significant dolorem, nisi quod aliquando simulata & ficta sint. At voces articulatæ non sunt eædem apud omnes, sed longe diversæ.

versæ. Aliis enim utuntur Angli, aliis Galli, aliis Germani.

2. Sgna naturalia eadem permanent, quamdiu eædem sint res quæ illis significantur. At manentibus iisdem rebus, mutantur voces quibus appellantur: veteres inolescunt, novæ usurpantur. Magnæ enim mutationes in multis linguis contigerunt.

3. Signum naturale determinatur ad unum significandum: ut *fumus* ad ignem, Iris ad pluviam. At voces articulatæ non sic. Nam vox *ignis*, quæ nunc significat ignem, usurpari potuit ad significandam aquam, si Authoribus linguæ Latinæ ita placuisset. Ideo autem significant hunc conceptum, aut affectum animi, & non alium, quia ad hanc rem, & non aliam significandam adhibentur.

Obj. I. Vox est homini naturalis. Ergo est signum naturale.

Resp. I. Ad Antecedens. Vox aliqua est naturalis. Quia naturale est homini loqui. Ubi tamen *naturale* significat id ad quod natura in homine propendet, non autem id quod connascitur, multo minus quod essentiale est. Unde minus proprie sermo homini naturalis dicitur. Et de voce articulata negari potest antecedens. Homo enim sine societate, & consuetudine loquendi, nulla lingua, sed solis nutibus uteretur, ut experientia probatum narrationes historicæ testantur. Esto autem sermonem aliquem esse homini naturalem, minime tamen à natura est quod hac lingua loquatur potius quam alia, sed ex sola consuetudine, institutione, et usu.

II. Mala etiam est consequentia. Quia licet naturale esset homini his vel illis vocibus uti, quod tamen ad has res potius quam alias significandas adhibeat, est arbitrarium, et ex instituto.

Obj. II. Institutio nihil ponit in vocibus: tum quia non operatur physice; tum quia jamdudum præcessit, ac præteriit. Non potest igitur efficere ut voces significativæ sint. Resp.

Resp. Institutio nihil *physicum* ponit in vocibus, esto; nihil *morale*, qualis est significatio, negatur. Quemadmodum enim voluntas Magistratus, valorem et æstimationem pecuniæ conciliat, ita voluntas Dei, aut hominum, vocibus significationem imponit. Ad priorem probationem dicimus, non opus esse actione physica ad effectum moralem: Ad posteriorem, licet voluntas primorum Autorum linguarum præcesserit, et (si de humana voluntate loquamur) præteriit, effectus tamen permanet, succedente consensu, et usu sæculorum sequentium.

Obj. III. Bruta, per naturam, edunt voces sibi necessarias; ut oves *balatum*, equi *hinnitum*, &c. Si igitur homines per naturam non loquerentur, imperfectiores essent in suo ordine, quam bruta in suo

Resp. I. Homines varias voces edunt per naturam, ut *vagitus*, *clamores*, *risus* &c. non minus quam bruta.

II. Quod autem per naturam non loquantur articulatè, præsertim integram linguam aliquam, aut quantum necessarium est ad conceptus et affectus suos aliis notificandos, non arguit imperfectionem. Quia natura eas facultates ipsis concessit, quibus possent voces vel invenire, vel ab aliis inventas facile discere.

Obj. IV. Quædam voces similitudinem habent rerum quas significant, ut *tinnitus*, *boatus*, *clangor*, et multæ aliæ quæ *fictitiæ à sono* vocantur. Saltem igitur illæ sunt signa naturalia.

Resp. Nec illud concedendum est. Quia poterant homines Latini aliis vocibus uti, ad easdem res significandas. Ut et aliæ gentes aliis utuntur, probatio autem non concludit; quia non omnia signa naturalia sunt, quæ similitudinem aliquam rerum gerunt. Ut patet de Signis sacramentalibus, aquæ, panis, et vini, quæ analogiam aliquam et umbram

umbram habent rerum spiritualium quas significant, sunt tamen pure ex instituto divino.

Obj. V. Quicquid est essentiale rei est etiam naturale. At significatio est essentialis voci significativæ; est enim illius forma, sicut sonus est materia.

Resp. Significatio est essentialis voci significativæ, *reduplicativè*, seu quatenus est significativa; sicut *nigredo* est de essentia lanæ per artem denigratæ, quâ nigra est; At non specificativè, seu ut vox, etiam articulata.

Obj. VI. Non est in potestate aut arbitrio hominum, ut voces hoc vel illud significent; Non enim penes eos est, ut, auditores voce hac vel illa prolata, hoc vel illud intelligant. Non igitur ex Voluntate Instituentium est, quod voces significent.

Resp. Negatur Antecedens. In potestate enim hominum est vocibus uti, et applicare ad res has vel illas significandas, eòque significationem iis imponere. Adeoq;(quod ad probationem est)medio uti quo alii ad has vel illas res intelligendas inducantur. Cum enim sentiunt alios hisce vel illis vocibus tanquam signis certarum rerum semper uti, ex usu diuturno facile percipiunt quasnam res per eas indigitare volunt.

Obj. VII. Si voces ex instituto significent, nemo posset significationem earum intelligere, nisi qui institutum illud sciret. At multi significationem vocum intelligunt, qui de instituto aliorum nihil sciunt: Ut pueri et rustici. Ergo,

Resp. Neganda est major. Quia multæ res intelliguntur, quarum causæ et origines nesciuntur. Potest igitur significatio vocum, ex usu frequenti, intelligi ab iis qui nesciunt, causam cur significent. Rusticos quod attinet, multi eorum, si rogentur cur vox *homo* hominem significet, respondebunt, quia commu-

communiter usurpatur ad hominem indicandum.

Quæst. IV. *Quinam fuerunt primi vocum & linguarum Autores.*

Resp. I. *Primus vocum & linguarum Autor* proculdubio *fuit ipse Deus*. Nec enim credibile est homines, saltem ex mero facultatum naturalium usu, eas invenire potuisse. Est enim in omnibus linguis ea, (si ita loqui liceat), regularitas, cum paucis anomaliis, quæ Autorem divinum aperte ostendit. Unde omnis linguæ Idioma seu proprietas, ad certas regulas seu præcepta, reduci potest, & actu sæpe reducitur per artem quæ *Grammatica* dicitur: In qua omnes voces, ad certos ordines, seu partes Orationis revocantur, quæ numerum octonarium, aut novenarium non excedunt: Nomina, numero, genere, & casu; verba, conjugatione, temporibus, & personis variantur; in quibus tamen omnibus una est radix. Unde primis generis humani parentibus, Deus creator, ut reliqua privilegia, ita etiam *loquelam*, hoc est primam linguam, (quæ probabiliter fuit Hebræa) concessit, seu inspiravit. Quî enim aliter statim à creatione, vir mulierem compellasset, & non diu post, uterque apud Deum, se delicti sui excusassent; si modo id sermone externo fecerint, quod omnino verisimile est? Deinde ex sacris literis constat, Deum in pœnam generis humani præsertim ob cæptum illud audax, in turri Babylonica extruenda, linguas divisisse. Et rationi consentaneum est omnes linguas Cardinales, seu Primitivas, tum cæpisse usurpari, præsertim quoad partes præcipuas.

II. Sed & *homines* ipsi, per autem & industricam, *plurimas in linguis mutationes fecerunt*. Et primo ascribi ipsis possunt variæ Dialecti, in una & eadem lingua: Quibus Hebræa, & Græca præcipue, abundat. Sunt enim Chaldaica & Syriaca, & forte aliæ quædam uniûs Hebraicæ Dialectæ diversæ: sicut Ionica, Attica, Dorica, &c. Græcæ. Deinde

vix

vix eſt quod dubitemus, varias voces, variis in ſæculis, ſingulis linguis fuiſſe adjectas, eaſque non ſolum derivatas, & compoſitas, ſed etiam primitivas, & ſimplices. Novæ etiam phraſes & ſyntaxes ſæpius inventæ ſunt. Denique, (ne diutius hac in re immoremur) ex confuſione populorum, ac gentium, & continuo commercio, è plurimis linguis antiquis novæ exortæ ſunt: Partim dum una gens, linguam alterius, ad modum loquendi ſibi prius aſſuetum inflexit; partim dum multi, faſtidio vocum quarundam linguæ propriæ, aut quia minus Emphaticæ videbantur, aut quavis alia de cauſa, ex aliis linguis plurimas mutuati ſunt: ut plæræque gentes Æuropææ, nunc è Latina, & Græca, paucas etiam ex Hebraica. Et licet regula communiter recepta eſt, *ut cum vulgo*, hoc eſt juxta conſuetudinem communem, *loquamur*, cuique tamen Artifici, præſertim Doctoribus Philoſophiæ, permittitur voces fingere; cum neceſſitas ita poſtulat.

Quæſt. V. *Quænam è linguis melior ſit?* Nemo enim ut opinor, dicet omnes utilitate, & aptitudine ad uſum loquendi, eſſe æquales.

Reſp. *Præſtantia* & utilitas linguæ, in his præcipue ſita videtur.

1. Si *Copioſa* ſit; hoc eſt, ſi in ea ſingulis rebus de quibus loquuntur homines in hac vita, ſingulæ voces reſpondeant. Nam rebus diverſis, ut ſunt diverſæ, idem nomen imponere ambiguitatem parit, eòque incommodum eſt. Hac prærogativa gaudet lingua Græca ſupra reliquas, licet vocibus ambiguis non careat.

2. Si *compendioſa* ſit; in qua plura breviori temporis ſpatio, dici poſſunt. Quoad hanc virtutem, ipſa, Græca, & Latina, plurimis aliis cedunt, nominatim noſtræ, quæ Monoſyllabis abundat.

3. Si

3. Si *facilius pronuncietur.* In quo deficit Lingua Hebraica, & Hibernica, (si fas sit eas comparare) propter litteras Gutturales, & Nasiles, & Diphthongos pronunciatu difficiles.

4. Si voces *rebus* quantum fieri potest, *congruant.* Hoc est, si simplices simplicibus, compositæ compositis, positivæ affirmantibus, negativæ & privativæ privantibus, similes similibus, diversæ diversis, affines affinibus, exprimantur.

5. Si voces auribus gratæ sint. Hoc est sonis claris, & lenibus constiterint: ut in Lingua Latina, Italica, Gallica, & Anglicana secundum puriorem illius Dialectum.

Non tamen inter virtutes Linguarum referimus, ut vocibus tropicis vacet, sic enim minus aptæ essent ad affectus movendos, qui unus est è finibus Sermonis externi: Sed ut singularum rerum propriæ voces sint, quæ transferri possunt per tropum, in significationem alienam, prout necessarium fuerit.

Quæst. VI. *An, ut voces significativæ sint, & ut quis proprie loquatur, debeat & proferens eas intelligere, et audiens?*

Quod ad priorem partem quæstionis attinet, in eo casu quo nec loquens, nec audiens intelligit quæ dicuntur, voces, si usitatæ sint, in se sunt significativæ, seu aptæ ad significandum, ut per se patet. Et ex accidenti est quod nihil actu significent. Sin audiens intelligat quæ ab alio proferantur, actu ei significant, sive loquens ea intelligat sive non. Significare enim actu est, cum signum facit aliquem venire in cognitionem rei signatæ. Huic parti immerito reclamat *Arriaga, Disp. Log.* 13. *num.* 27. Licet recte fateatur esse quæstionem de nomine.

Ad alteram partem quod attinet, nempe *an proprie loqui dicendus sit, qui profert voces quas vel ipse, vel audiens non intelligit,* negat *Hurtado,* ut refert *Comptonus, Disp. Log.* 42. *Sect.* 3. Sed etiam hæc pars quæstionis

onis eſt de nomine. In qua affirmativam recte tenet *Comptonus*, loco proxime citato. Ratio eſt, quia *loqui* proprie nihil aliud ſignificat, quam voces articulatas proferre; præſertim illas quæ in hac vel illa lingua uſurpari ſolent; ſeu ſignificativas. Hoc autem addimus, quia quæret forte quis, an *proferre voces non ſignificativas, articulatas tamen*, & quæ ſolo uſu deſtituuntur, *ſit proprie loqui.* Cujus etiam pars affirmativa defendi poteſt. Hinc etiam beſtiæ ipſæ loquutæ dicuntur: ut Aſinus Balaami. Unde nimis ſtricte definitur loquela à *Comptono, actio perſonæ rationalis, verba per ſe, & actu primo ſignificantia proferentis.* Nam (ut omittam dicere omnem perſonam eſſe rationalem, adeoque additamentum *rationalis* eſſe ſuperfluum:) primo beſtiæ aliquando loquutæ ſunt, licet non ex facultate propria. Et homines loqui dicuntur, cum verba articulata, ſignificantibus ſimilia, proferunt.

Obj. Loquela eſt actus rationis, & in hunc finem præſtatur, ut is ad quem dirigitur, vel res, vel conceptus loquentis, vel utraque intelligat. At cum vel loquens, vel audiens, verba prolata non intelligit, loquela non eſt actus rationis in finem illum præſtitus.

Reſp. I. Loquela non ſemper eſt actus rationis, ſed temere nonnunquam, & per coactionem præſtatur; ut in amentibus & beſtiis.

II. Poteſt quis ex aliqua ratione, & propter finem, loqui ea quæ nec ipſe nec audiens intelligit. Scilicet ut oſtendat alteri ſe voces ejuſmodi memoria tenere, aut fingere poſſe. Multo magis poteſt quis voces proferre, coram alio, quas is non intelligit, vel juſſu alterius, vel ex errore, cum ſcilicet exiſtimat verborum ejuſmodi recitatione effectum aliquem bonum ſequi poſſe. Ut Sacerdotes Pontificii, dum alios abſolvunt verbis Latinis quæ hi non intelligunt, eoſque compellant, *abſolvo te* &c.

Simili

Similiter Venefici, & incantatores, bestias alloquuntur, quibus mederi per incantamenta sua moliuntur. Hoc tantum concedendum est, qui loquuntur quæ audiens non intelligit, non uti sermone propter finem principalem, & usitatum.

Non tamen placent Rationes Comptoni: Scilicet quod *Josue* soli locutus sit; Christus ficui cui maledixit, item mari & ventis. Hi enim non rebus illis locuti sunt: sed hominibus qui aderant, & intellexerunt; ut scilicet eos docerent; utque effectus consequentes attentius observarentur.

Quæst. VII. *Possitne quis secum loqui?* Affirmat *Comptonus*. Et certum est multos proferre verba significativa apud seipsos solos. Nec negari potest ejusmodi verborum usum esse locutionem. Sed ratio Comptoni, *frequenter homines seipsos cum aliis alloqui*, ut cum dicunt *eamus festinemus* &c. non concludit. Quia eo in casu alios tantum alloquuntur, & significant tantum se velle, hoc vel illud ipsi facere, utque alii unâ faciant.

Quæst. VIII. *Quid Scripta significent?* Scilicet vocesne, an res, et conceptus. Et si hæc omnia *utrum eodem modo, an diverso?* Et si diverso, *qua diversitate?* Communis fere sententia est, scripta nostra, & similia, immediate significare voces, seu sonos articulatos, & his mediantibus, res. *Comptonus* reclamat, & contendit conceptus, vocem & scripturam æque immediate significare res. *Disp. Log.* 42. *Sect.* 5. Ubi obiter reprehendendi sunt Pontificii Doctores, quod ipsos conceptus signa rerum statuant. Signa enim in cognitionem rei signatæ ducunt, objectivè, & ad modum causæ efficientis. Definiuntur enim communiter, *quæ aliquid exhibent potentiæ cognoscitivæ.* At conceptus non ducunt in cognitionem rerum; quia sunt cognitio ipsa.

Nec obstat quod *imagines* rerum dicantur. Quia (licet propriæ rerum imagines essent, quod falsum est,

est, ut in Psychologia deo volente ostendetur) non omnis imago rei est signum. Omne enim simile est imago aliqua ratione alterius, non tamen signum proprie. Sed ad quæstionem definiendam sic procedimus.

1. *Scriptura instituitur ad res significandas* absentibus, aut posteris. Et idcirco in iis etiam homines mortui loqui, aliosque docere dicuntur: estque hic præcipuus eorum usus.

2. *Quædam scripta immediate significant res.* Ut Characteres *Sinensium*, & *Hieroglyphica* Egyptiorum: eo modo quo imagines pictæ res significant, & Characteres Astronomorum planetas, & Constellationes Zodiaci; ut in Calendariis, sive Almanacis.

3. *Scripta etiam nostra vulgaria, aliquando immediate significant res*, nullo autem modo voces: ut recte asserit *Comptonus*. Qui enim surdi & muti nati sunt, scripta intelligere, & scribere docentur: Adeoque intelligunt scripta significare res, ut *equus* equum, *Homo* Hominem. Quod autem voces prolatas denotent, non intelligunt, quia sonos non percipiunt.

4. *Ordinariè* tamen, & iis qui auditu non destituuntur, *scripta significant voces*, seu sonos ore prolatos: Quod sic ostenditur.

1. Cum scripta legimus, mentibus nostris occurrere solent ideæ seu imagines sonorum vocalium, qui easdem res significant. Ut cum videmus has literas *Homo*, hoc modo & ordine compositas, sonus *homo*, menti communiter obversatur, teste experientia.

2. Si hoc non fuisset institutum eorum qui scripturam primo invenerunt, ut per eam soni articulati vocum significarentur, cur literis & syllabis quæ vocibus prolatis respondent, uti voluerunt, potius quam aliis? An non hæ syllabæ *Ho*, & *mo*,

ſonis accommodantur? & ſi quis per ſcripta latina ſignificare velit, non aliter quam per illas exhibebit.

3. Scripta illa, quæ nullam rem ſignificant, ut *blictri*, *ſcindapſus*, voces tamen prolatas ſignificant, & per eas leguntur.

4. Et ſi ſcripta noſtra ſolas res ſignificarent, tum mutata ſignificatione vocis, mutari etiam deberet tota ſignificatio ſcripti. At contrarium conſtat. Nam cum vox à propria ſignificatione in impropriam transfertur, ſi ſcripta fuerit, eundum ſonum ſignificabit.

5. *Scripta* iis qui ex auditu legere diſcunt, non immediate ſignificant *res, & conceptus, ſed immediate ſonos articulatos*, & *deinde res*. Patet.

Quia his, qui ita legere didicerunt, (ut communiter fit) inter legendum, prius occurrunt ſoni quos ſcripta ſignificant, & deinde ſono agnito, res per ſonos illos ſignificatæ. Si vero ſonus non occurrat, ſeu legere nequeant quæ ſcribuntur, ignari manent rerum quæ illis ſignificantur. Ex altera parte, licet noverint quinam ſoni ſcriptis ſignificentur, ſi tamen ſignificationem eorum neſciant, nullam, per lectionem ſcriptorum, cognitionem rerum acquirent.

Objicit *Comptonus*. 1. Poterant homines ſcripturam inſtituere ad res immediate ſignificandas. Ergo veriſimilius eſt eos ita de facto inſtituiſſe. Fruſtra enim fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora; fruſtra per ambages, quod multo expeditius immediate.

Reſp. Verum eſt antecedens. Sed conſequentia nulla. Probationem diſtinguimus. Fruſtra fit per plura quod æquè facile, aut facilius fieri poteſt per pauciora, verum eſt: Quod longe majori difficultate per pauciora fit, nego. Jam vero manifeſtum eſt, eum qui ſcripta ex auditu legere docetur, multo facilius & citius ſignificationem eorum diſcere ſi prius inte-

intelliga. quosnam sonos significent. Sonorum enim significationem jam tenet. Unde rarissime, & nonnisi magna difficultate, qui surdi sunt ex utero, aut antequam erudiantur, significationem scripturæ docentur.

Objicit II. Qui mutuo literarum officio se salutant, non iis curæ est, ut is ad quem literæ diriguntur, articulatum vocis sonum, sed res sub signis contentas percipiat.

Resp. Concedimus hunc esse finem præcipuum, & ultimum scripturæ, ut legentes res significatas intelligant, quod & scribentes expressius intendunt. Sed intentio operis est, ut prius percipiant sonos, qui characteribus significantur. Est enim scriptura medium ad sonos illos percipiendos. Qui autem medio utitur quod ex se tendit ad certum finem, intendit etiam finem, saltem implicite, & virtualiter; Licet modus quo per medium illud finis acquiritur, non novit, quod sæpius hic contingit.

6. *Vox scripta per partes significat vocem prolatam*, simodo hæc composita sit; Ut *animal* tres sonos, quibus vox *animal constat*. At tota simul significat rem & illius conceptum, sicut & vox prolata. Non enim per partes vel hunc vel illam significat.

Quæst. IX. *An vox rem clarius manifestare possit audienti, quam sit nota loquenti?* Longe lateque à nonnullis tractatur hæc quæstio; nominatim à *Comptono*, qui & pro parte negante *Arriagam* citat, licet hic inter Logomachias referat. *Disp. Log.* 13. *num.* 28. Sed res facilis est, et uno verbo expediri potest.

Nam 1. Fieri potest, ut is qui loquitur plane ignarus sit significationis vocum quas profert.

2. Aut ut imperfecte percipiat ea quæ ex usu communi voces denotant, cùm audiens clare et perfecte ea percipit.

Ratio à priori est, quia voces significant ex usu

communi, qui à cognitione cujusvis eorum qui iis utuntur non pendet. Hoc tantum verum est, voces non posse plus significare audienti, quam notum fuit alicui eorum qui eas usurparunt. Hoc est, non significant plus quam ad quantum significandum instituuntur. Ex instituto enim significant. Hinc oritur

Quæstio X. *An vox posset clarius significare rem, ad quam significandam adhibetur, quam primus autor vocis, aut alius qui post modum eam usurpavit, rem illam intellexit.* Affirmat *Comptonus* supra, *Sect* 7. Nobis tamen pars negativa vera videtur. Ratio est, quia cum voces significent ad placitum institutorum, & aliorum qui in usum earum consenserunt, non possunt plus aut clarius significare, quam illi voluerunt.

Obj. Potest alius quispiam longe perfectius intelligere res significatas per voces, quam primus earum Autor, aut multi etiam alii, qui iis post modum usi sunt. Potest enim alius acumine ingenii illos longe antecellere. Ut Angeli, & Christus, qui cum hominibus loquebantur, longe perfectius intellexerunt res per voces significatas, quam homines.

Resp. Huic rationi nimis fidit *Comptonus*. Licet enim certum sit, Christum & Angelos longe perfectius intellexisse res significatas per voces ab hominibus prolatas, quam homines ipsi, non tamen ex vocibus intelligentiam illam habuerunt, sed aliunde, nempe à perfectione naturali intellectus, vel ab habitu infuso vel acquisito.

Inst. Potest aliquis qui audit vocem, plura attributa rei significatæ percipere, quæ primi Autores, & omnes qui eâ hactenus usi sunt, plane ignorarunt. Ut qui *triangulo* nomen primo imposuerunt, nihil cogitarunt de proprietatibus, quas Geometræ de eo postea demonstrarunt: Ut quod *omnes illius anguli æ-*

qua-

quales sint duobus angulis rectis, &c.

Resp. Concedimus ista: ex quibus non concluditur thesis. Quia nulla vox significat omnia attributa rei cujus signum est. Et ut in exemplo *trianguli* insistamus, hic nihil significat nisi figuram quæ tribus angulis constat, ut & vox ipsa indicat. Similiter & vox *Homo* non significat omnes proprietates essentiales hominis, (plurimæ enim aliæ voces adhibentur ad eas significandas) sed tantum rem quæ tali corpore & anima constat.

Ut finem huic contraversiæ ponamus, cum audiens, voce prolata, plura intelligit de re, quam primus autor intellexit, adhibetque vocem ad ea significanda, manifestum est eum significationem vocis extendere, & novam ex parte significationem ei imponere: Aut, ex occasione vocis, cogitationes suas dilatare, ad varia attributa rei significatæ indicanda, quorum primi Autores ignari fuerunt. Hæc tamen contemplatur, non quasi vox audita ea repræsentaret, sed ex scientia quam aliunde habet.

DISPUTATIO. XVIII.

De Oratione, ejusque partibus, Nomine, & Verbo.

QUæ hic disputantur parvi aut nullius momenti sunt. Quia tamen nonnullis displiceret totalis eorum neglectus, ideo ea breviter perstringemus. Sit ergo.

Quæſt. I. *An recte definitur Interpretatio ſimplex,* quæ dictio eſt, *cujus nulla pars ſignificat ſeparatim?* Probatur communiter hæc definitio. Sed objicitur, voces *Dominus, valebis,* & alias ſimplices, ejuſmodi partibus conſtare, quæ ſeparatim ſignificant, ut *Do* & *minus,* in voce *Dominus, Vale* & *bis* in voce *Valebis.*

Reſpondent partes illas ſeparatim ſignificare, non ut partes harum vocum, ſed ut aliunde ſunt dictiones integræ. Recte quidem iſta.

Interim tamen *ſunt multæ dictiones quarum partes ſeparatim, etiam ut partes earum ſunt, aliquid ſignificant;* Ut omnes voces *compoſita;* ex g. Vocis *Philoſophia* prior pars ſignificat *amorem,* poſterior *ſapientiam,* licet in obliquo. Et in voce *innocens,* prior pars ſignificat *carentiam* ſeu negationem, poſterior eum *qui alteri nocet,* aut nocuit. Sic *Reſpublica, Juriſconſultus,* & multæ iſtiuſmodi. Quin *&* *omnes voces ſimplices ſcripta polyſyllabæ, plures ſonos,* pro numero ſyllabarum, *ſignificant.* Sed Definitio quam examinamus, loquitur de voce prolata, aut ſi ſcriptam etiam comprehendat, intelligenda eſt de primaria ſignificatione, quæ non ſoni eſt, ſed rei. Deinde, advertendum etiam eſt vocem compoſitam æquivalere orationi imperfectæ. Ut *Juriſconſultus,* idem ſignificat ac *is qui legum gnarus eſt.*

Dices forte, multas dictiones ſimplices, in ſignificando, orationi iſtiuſmodi imperfectæ æquipollere; ut *doctus* ſignificat eum *qui doctrina imbutus* eſt.

Reſp. Dictiones ſimplices tales quidem ſunt; verum non per partes ſuas ſeorſim ſpectatas, ut compoſitæ; ſed ſecundum ſe totas; ſeu per omnes partes ſimul.

Obj. Ex non ſignificativis non coaleſcit ſignificativum. Ergo ſi ullæ ſint dictiones, cujus partes nihil ſeparatim ſignificant, neque totum ex illis conflatum, quidquam ſignificabit.

Reſp. *Neg. Anteced.* Sicut enim ex iis fit domus, quæ

quæ ſeparatim non ſunt domus, puta ex lapidibus, lignis, limo, &c. ita etiam ex partibus non ſignificantibus ſeorſim, exurgere poteſt totum ſignificans. Ratio eſt quia voces ſignificant ad placitum. Placuit autem earum autoribus toti voci ſignificationem imponere, non autem partibus ſeorſim.

Quæſtio. An recte definiatur Nomen, ex *Ariſtotele, vox ſignificans ſine tempore, quæ conjuncta cum verbo* [*eſt*] *verum vel falſum effert?* Defenditur à pleriſque iſta definitio. Sed contra objicitur. Hæc nomina *tempus, annus, menſis, hora, &c.* non ſignificare ſine tempore.

Reſpondetur nomina illa nihil ſignificare, præter tempus, vel partes temporis: Non autem adſignificare tempus, ut verbum. Verum hæc reſponſio innuit nomen aliquid ſignificare debere præter tempus, quod non ſemper verum eſt. Deinde ex eadem reſponſione pro *ſine tempore* dici debuit, *non adſignificans tempus.* Sed & contra hoc inſtari poteſt, *cœnam, prandium, jentaculum* adſignificare tempus. Significant enim actionem ſumendi cibum, certo tempore; veſperi, ſcilicet, meridie, & mane.

Reſpondent, non adſignificare tempus pro quo aliquid alteri convenit, aut non convenit, ut verbum. Ergo (inquam) illud in definitione dici debuit. Deinde per explicationem illam innuitur per ſe evidens eſſe, aut per definitionem aliquam priorem explicatum fuiſſe, qua ratione verbum tempus adſignificet: Cum tamen neutrum verum ſit. Non enim perſe evidens eſt quomodo verbum tempus adſignificet. Prius autem ab Ariſtotele definitur, & ab omnibus definiri ſolet, nomen, quam verbum. Et recte quidem; quia ex ordine naturæ, primum locum obtinet in oratione enunciativa.

Ex his liquet definitionem illam non eſſe exactam. Et rectius definiri poſſe nomen ſine mentione temporis, *Vocem quæ ſolum ſubjectum Enunciationis, vel ſolum*

lum attributum significatur. Unde patet differentia Nominum ab omnibus aliis partibus Orationis. Nam *casus Nominis*, *Adverbia*, *Præpositiones*, & *Conjunctiones*, sunt tantum modificationes nominum, & verborum: Verbum autem semper significat identitatem significati sui principalis, cum subjecto: Subjectum vero qua tale nunquam significat. Quin forte rectissime definiretur nomen, *Vox per quam significatur id cui aliquid tribuitur:* Adeo ut sit signum solius subjecti attributionis. Et si quando, vox quæ ex se apta est subjectum significare, pars attributi fuerit (ut cum dicimus *Socrates est homo, equus est animal*) in eo casu non esse nomen Logicum. Sed parvi refert utrum eligas.

Quæst. III. *An Nomen Infinitum recte dicitur significare quidvis, sive Ens, sive Non ens, præter suum finitum?*

Respond. *Ex se aptum est ita significare.* Negatio enim cuivis termino tribui potest, præter illum quem tollit, sive cujus est negatio. Ut *non-homo* quidvis significare potest præter hominem.

Obj. I. *Non-homo* non est *non-equus:* Quia, negatio equi non est negatio hominis: Negationes enim distinguunntur per terminos quos negant.

Resp. *Non-homo* non est omne non-equus, seu *non-equus* in tota extensione sua. Sic enim *non-equus* continet sub se hominem. At est aliquod *non-equus*, & quidem omne præter hominem.

Obj. II. *Non-perceptibile*, seu *non-imaginabile*, de nullo, neque Ente, nec Non-ente, dicitur. Omne enim Ens, & omne Non-ens, est aliquo modo perceptibile. At hæc sunt nomina Infinita.

Resp. Excipiendi sunt ab Assertione illa de nomine Infinito, termini latissimæ significationis; quales sunt illi qui in objectione memorantur. De illis enim nihil dici aut cogitari potest; seu non sunt objectum intellectus; adeoq; nec nomina Logica.

Obj.

Obj. III. Nomen cum negatione præfixa, nihil significat præter puram carentiam rei quam negat. Ut *non-homo* solum significat carentiam seu non-esse hominis.

Respondetur communiter, Nomen cum negatione præfixa, aliquando *neganter* accipi, aliquando *infinitanter*. Sic enim barbare loquuntur, & voces novas cudunt. Priori modo inquiunt puram carentiam denotat: posteriori multa positiva; ut *non-homo*, lapidem, arborem, chimæram, & alia infinita. Unde & nomen infinitum dicitur. Sed termini isti obscuri sunt, adeoque inepti ad Sophisma istud solvendum. Negandum igitur potius est Antecedens. Nisi nomen cum negatione accipiatur pro parte tantum suæ extensionis, ut *non-homo* pro aliquo quod non est homo.

2. Frequentius tamen nomen Infinitum significat id quod est à suo finito diversum, & sub genere aliquo communi, una cum eo, continetur. Ut *non-dives*, nec pauperem, nec divitem, sed mediocris seu tenuis fortunæ: *Non-cæcus*, eum qui nec acute videt, nec penitus visu privatur, sed luscum seu caligantem.

Quæst. IV. *Cur Aristoteles nomina infinita, & casus nominum, è censu nominum Logicorum rejecerit.*

De nomine infinito respondent *Conimbricenses* (è *Thoma Aquinate*) in *cap.* 4. de *Interp.* q. 2. *Art.* 3. Quia nominis proprium est, aliquid determinatum potentiæ (id est menti) objicere, Infinita autem removent potius omnia, quam aliquid ei proponunt. Sed juxta hanc solutionem, *aliquis homo* non esset nomen. Nihil enim quod determinatum est menti objicit. Ratio igitur potius est, quia nomen Infinitum, seu negatum, non solet esse subjectum in disciplinis: partim quia non significat, ex se, aliquid positivum, sed negationem, seu non-esse. Partim quia, licet per consequentiam quandam, (ut dixit *Niphus* apud *Conimb.* loco proxime citato) positiva significet,

illa

illa tamen tot ſunt, ut nullius diſſertationis ſubjectum, ſeu argumentum, ſimul eſſe poſſint. Sigillatim vero ſub aliis nominibus veniunt.

Quod ad *caſus* nominis attinet, propter eandem rationem inter nomina non numerantur. Per ſe enim, & ſine nomine caſus recti, ſubjecta propoſitionum non efficiunt, ſed ſignificationem nominum & verborum reſtringunt.

Obj. In hac enunciatione, *Patris eſt gignere filium*, Caſus obliquus locum ſubjecti obtinet. Idem enim eſt ſenſus ac ſi diceres *Pater generat Filium*.

Reſp. Negatur antecedens. Quia *Patris* hic, non eſt ſubjectum, ſed *gignere filium*. Propoſitio enim habet hunc ſenſum, *gignere Filium eſt opus Patris*: qui quidem quoad rem conceptam, et ſignificatam, idem eſt ac *Pater gignit Filium*: ſed modo concipiendi, et ſignificandi diverſus eſt. In hac enim *gignere Filium*, concipitur ut quid adjacens homini, qui dicitur Pater: in illa vero, opus Patris concipitur ut adjacens actioni gignendi.

Quomodo igitur *differt nomen à caſibus ſuis?*

Reſp. Caſus ſemper ſignificant nomina, ut ſunt termini correlati alicujus ſubjecti. Nomen vero ipſum, ſeu in recto, ſignificat rem, vel abſolute, ac ſine relatione; vel, ſi ut relatam, ſemper tamen ut ſubjectum relationis, non autem ut terminum. Ut cum dicimus *Filius Sophroniſci*, *Filius* quidem ſignificat relatum quid, ſed ſubjectum relationis, nempe filiationis; *Sophroniſcus* vero oblique concipitur ut terminus illius.

Quæſt. V. *Qua ratione differunt Nomen Subſtantivum & Adjectivum.*

Reſp. Nomen Subſtantivum ſemper ſignificat rem per ſe conſiſtentem. Ut *Lapidem, Cathedram*: vel quæ concipitur ad modum re per ſe conſiſtentis; ut modos rerum abſtracte conſideratos; ex. g. *Scientiam*, *albedinem*. Adjectivum vero ſignificat affe-

ctionem alterius, seu esse aliquo modo affectum per aliud. Ut *Sciens* significat *habens scientiam*, *albus* significat *habens albedinem*. Nomen substantivum significat *rem* aliquam, vel id quod concipitur ad modum *rei*. Adjectivum vero *qualitatem* denotat, vel id quod apprehenditur ad modum qualitatis. Hinc nomen adjectivum, licet apud Grammaticos inter nomina censeatur, eo quod per genera & casus variatur, non tamen est nomen Logicum; quia ineptum est esse signum subjecti Attributionis, sed, ex institutione sua, adhibetur ad affectionem alterius, seu attributum duntaxat indicandum.

Obj. Adjectivum *albus* significat id quod albedine affectum est; adeoque in recto subjectum, sicut in obliquo formam. Et similiter substantivum *Cathedra* significat materiam tali figura affectam. Proinde significat subjectum in recto, & formam in obliquo. Differentia igitur quam assignavimus nulla est.

Resp. Adjectivum, non adjective sumptum, seu ut adjectivum, significat subjectum; sed tantum Substantivatum, ut loquuntur Grammatici, ex. g. *album* in neutro genere, quod idem valet ac *res alba*, subjectum in recto denotat. At non sic *albus*, aut *alba*; sic enim cum dicis *res alba*, sensus esset *res res alba*, quod nugatorium est. Solum igitur significat formâ aliquâ affectum esse. Hoc autem nullum subjectum denotat, sed solam qualitatem.

Quæst. VI. An recte definiatur verbum, *vox adsignificans tempus, & quæ semper signum est eorum quæ de altero dicuntur.* Definitio illa Aristotelis est, & communiter usurpatur à Logicis. Unde verbum tria significare dicunt.

1. Formam aliquam, aut quod ei analogum est, sæpius vero actionem, vel passionem, ut *verbero, verberor, sedeo, candeo.*

2. Formam illam subjecto alicui convenire. Nisi quod ubi nota negandi adjicitur, hæc indicat non convenire.

3. tem-

3. Tempus aliquod, præſens, præteritum, vel futurum. Hoc autem adſignificare dicitur, quia eſt ſignificatum minus principale.

Theſis I. *Verbum plerumque adſignificat tempus*, nempe vel *omne* tempus, ut in hac propoſitione, *Deus Pater generat Filium*, vel *partem aliquam* temporis, præſertim præteritam, aut futuram. Unde & variari dicitur per tempora, ſeu varias habet formas, quæ non aliter diſtinguuntur, quam quod diverſas partes temporis ſignificent.

Obj. Verbum *Duro* nihil aliud ſignificat quam tempus.

Reſpond. Significat etiam exiſtentiam continuatam, quæ eſt quidem in tempore, ſed non eſt ipſum tempus.

Theſ. II. Licet *Verbum ſemper aptum* ſit *adſignificare tempus pro quo attributum ſubjecto convenit*, (ad hoc enim adhiberi poteſt omne verbum in propoſitionibus) *non tamen ſemper munere illo fungitur*, nec quod tempus connotet ſemper attenditur, ſive à loquente, ſive ab audiente.

Patet. Quia cum aliquid affirmamus, vel negamus, non ſemper cogitamus ipſi (ſicut nec cogitant audientes) de tempore pro quo verum, vel falſum eſt quod efferimus: ſed tantum concipimus aliquid eſſe vel non eſſe. Eſt enim aliqua differentia inter has ſententias, *ego ſcribo*, & *ego nunc ſcribo*. Nam Senſus enim prioris eſſe poteſt, ego *aliquando* ſcribo, vel *ſcribere ſoleo*, in quo tempus præſens non intelligitur; licet verbum ſit formæ præſentis. Sed poſterior neceſſario intelligenda eſt de tempore præſenti, ut adverbium *nunc* poſtulat. Ratio eſt quia non neceſſarium eſt, in propoſitionibus efferendis, aut intelligendis, cogitare de tempore. (Facile enim mens ab eo præſcindit.) Sed ſufficit ſi percipiamus attributum convenire ſubjecto, vel non convenire.

Patet

Patet id maxime in propositionibus perpetuæ (alii dicunt *æternæ*) veritatis. Ut, *Homo est animal, Sol est lucidus, rotundus, currens,* &c.

Respondent plerique, ejusmodi propositiones significare connexionem necessariam attributi cum subjecto, non pro una aliqua temporis differentia, sed pro omni. Verum non advertunt, voces quæ in istis & similibus propositionibus adhibentur, nec significare connexionem necessariam terminorum, nec contingentem. Alioqui idem significaret *homo est animal*, ac *necesse est hominem esse animal*. At falsum illud, quia secus *necesse est* non significaret plus quam *est*. Unde nec necesse est ut quis intelligat propositiones illas esse veras *omni* tempore, nisi postquam perspexit connexionem terminorum esse necessariam: nec tunc quidem necesse est ut intelligat; licet facile sit per discursum illud inferre.

Thes. III. *Verbum, ut verbum, semper est nota illius quod de alio dicitur.* Sicut nomen illius de quo aliquid dicitur. Et hæc verbi differentia est essentialis, prima, & præcipua. Semper enim significat attributum aliquod.

Obj. I. In hac propositione, *Rex est qui metuit nihil*, verbum *metuit* non est attributum, sed pars subjecti.

Respond. Non est attributum propositionis principalis, est tamen incidentis, quæ in subjecto continetur.

Inst. In hac, *si lapis sentit, etiam vivit*, verbum *sentit* nullius propositionis, ne incidentis attributum est. Conditio enim nihil affirmat vel negat.

Resp. I. Neg. Anteced. Ad probationem dicimus, conditionem supponere aliquid affirmari, licet nihil absolute affirmet. Habet enim hunc sensum, *supponatur tanquam verum* lapidem vivere.

II. Ver-

II. Verbum aliquando non fungitur munere suo, sed nomen seu subjectum modificat: sicut & nomen sæpe est pars verbi, seu attributi; quin attributum ipsum, prout distinguitur ab unione sua cum subjecto. Ut in hac propositione, *homo est animal, animal* est pars verbi. Denotat enim quasi formam quæ convenit subjecto Homini. *Est* autem Unionem utriusque significat. Unde idem valet ac hæc propositio, *Homo vivit, & sentit*; nisi quod *vivere, & sentire*, sæpius actus vitales, & sensationis indicent; qui non omnes sunt de essentia animalis.

Obj. II. In hac enunciatione, *Lego est verbum*; *Lego* non est nota attributi, sed integri nominis, seu subjecti vice defungitur.

Resp. In hac, & similibus, verbum materialiter accipitur, pro voce, seu sono; non autem pro re significata. Nisi quod hæc etiam in obliquo innuatur.

Quæst. VII. *An verbum, extra orationem, tempus adsignificet?*

Resp. Affirmative. I. Quia cum audio vocem *currit*, vel *curritur*, cogito de cursu in præsenti: & discrimen inter *currit* & *cucurrit*, aut *curret*, quoad significationem, percipio, quod penes tempus adsignificatum solummodo intelligo.

Exceptio: Mens audientis, in illo casu, suspensa est.

Resp. Suspensa quidem est, quatenus vi solius verbi non percipit cuinam significatum illius conveniat. At non est simpliciter suspensa.

II. Si verbum extra orationem non significaret tempus, neque in oratione illud præstaret. Siquidem vi compositionis cum nomine, tantum significat aliquid alicui convenire.

Quæst. VIII. *An verbum in oratione semper significet aliquid alicui convenire, ad modum actionis?* Affirmant *Conimbricenses de Interpret, quæst.* 2. *art.* 4. & complures alii. Sed mirum est quidnam eos in talem sen-

tentiam pertraxerit. Quædam enim verba significant passionem, ut *verberor, impellor*; quædam formam permanentem, ut *sedeo, luceo, frigeo,* quædam carentiam actionis, ut *desino, sisto, quiesco.* Unde apud Grammaticos dividuntur verba, in *Activa, Passiva,* & *Neutra.*

Quæst. IX. *An ullum sit Verbum Infinitum?*

Resp. Plerique affirmant. Et per Verbum Infinitum illud intelligunt, in quo non copula, sed formale (hoc est primarium) significatum negatur. Ut si hanc orationem, *Socrates non currit,* sic resolvas, *Socrates est non-currens,* hoc est, *Socrates est aliquid non-currens.* Sic autem differre volunt à verbo negato. Et certum est, verbum cum nota negandi præfixa, aliquando significare posse puram carentiam rei: aliquando adhiberi posse ad aliquid positivum denotandum, aut quod ad modum positivi concipitur, (perinde enim est utrum hoc an illud sit). Et cum hac diversitate adhiberi solet, sicut & Nomen. Sed an idcirco nunc negatum, nunc infinitum vocandum sit, est Logomachia. In qua minus recte loquuntur, qui verbum in oratione Infinitum vocant. Consentaneum enim est ut Verbum infinitum infinita significet. At in oratione non significat infinita, licet extra eam istud præstet. Ex. g. cum dicimus *Socrates est non-currens,* non intelligimus esse *quidlibet* præter currens. Aliter de nomine statuendum est. Hoc enim sæpe etiam in oratione significat quidvis aliud præter id quod negat: ut cum dicimus, *quod non est deus non est adorandum*; *quod non est spiritus est perceptionis expers.* Hinc verbi infiniti nullum usum in oratione reperio. Nec enim usurpatur sub forma verbi adjectivi, sed nominis, cum verbo substantivo *Est.*

Objiciunt *Conimbricenses,* supra. I. Verbum Infinitum dicitur de omnibus quæ sunt vel non sunt, præter suum finitum, ut ait Aristoteles. Non potest

test autem de aliquo dici, nisi in oratione; Ergo, in ea manet infinitum.

Resp. Si adhibeatur in omnibus enunciationibus in quibus adhiberi potest, verum est dici posse de omnibus præter suum finitum. Non tamen ita se habet in singulis orationibus seorsim, in quibus adhibetur. Sic enim restringitur, ad aliquam partem sui significati, per subjectum cui tribuitur.

Object. II. Extra Orationem reperitur verbum infinitum. Ergo & in oratione. Subjectum enim ipsi additum, naturam & conceptum ejus non evertit, aut mutat.

Resp. Mirum Argumentum, à tantis viris profectum! Ac si quis diceret, *currit extra orationem significat quicquid currit* (saltem enim aliquando sic significat) Ergo *etiam in oratione.* An non enim attributum quod ex se universaliter significat, in parte accipi solet, juxta extensionem subjecti cui in oratione adjicitur?

Quæst. X. *An Verbum Substantivum sit verum Verbum?*

Resp. Cum solum reperitur adjunctum nomini, (quo casu vocari solet *est* secundi adjecti) est verum verbum: & idem significat ac *existit*. Quando vero nomen sequitur, & dicitur *est* tertii adjecti, non est verbum integrum, sed tantum pars Verbi: Duobus enim tantum ex officiis ejus fungitur: Scilicet est nota unionis, seu Identitatis inter subjectum, & Attributum, & adsignificat tempus quo illa cohærent. Ut in hac sententia, *Fuit Ilium & ingens gloria Teucrorum*, sensus est *Ilium & gloria Teucrorum quondam extiterunt*; At in hac *fuimus Troes*, sensus non est *fuimus existentes Troes*. Alioqui etiam in hac *Chimæra est non-ens*, sensus esset *Chimæra est existens non-ens*, (ubi altera pars attributi alterum evertit) sed *esse Troes* vel *honor Trojanorum aliquando nobis conveniebat*; Sicut et in altera, *non ens convenit Chimæra.*

Quæst.

Quæst. II. An recte definiatur Oratio ex *Aristotele de Interp. cap.* 4. *Vox significans ex instituto, cujus aliqua pars significat separatim*; scilicet ut dictio, sed non ut affirmatio, aut negatio.

Resp. Defenditur communiter illa definitio: sed vix defendi potest. Nam Oratio, ut à dictione differt, non est vox, sed voces, seu complexum ex pluribus vocibus.

Resp. Conimbricenses in cap. 4. de Interp. quæst. 3. art. 1. *Etsi oratio ratione vocum, & significationum, sit multiplex, adhuc censeri unam ratione ordinis, qui est propria illius forma, ut artefactum est. Ordinem autem illum esse nexum Grammaticalem, quo partes uniuntur, inter se: Voces enim nullo nexu copulatæ, ut cælum, terra, aer, licet singulæ separatim significent, defectu tamen ordinis orationem non conficiunt.* Verum licet oratio unitatem quandam habeat, non tamen idcirco recte dicitur *vox*. Nec probabile est ab Aristotele appellari *vocem* in numero singulari, propter nexum partium. Partim quia etiam Nomen *vox* appellatur, cap. 2. in quo tamen nullus est nexus partium, ut in oratione; quandoque etiam nullis partibus, constat, nempe cum Monosyllabum esse contingit. Partim quia potest esse nexus aliquis vocum. Ut si dicas, *Cælum & Terra & Aer*, ubi non constat esse Orationem, magis quam si nullus esset. Existimandum igitur potius est, Orationem ideo *vocem* dici, quia *vox* apud Græcos non tantum unicam dictionem, sed & sermonem significat: & facilius fuit unica dictione illud exprimere, quam pluribus.

An igitur *quandocunque plures voces continuo efferuntur, Oratio dicenda sit?*

Resp. Quæstio est de voce *Orationis*. In qua dicimus, multitudinem vocum, etiam cum nexu aliquo afficiuntur, non sufficere ad orationem constituendam; ut cum nomina aut verba conjunctionibus

copulativis connexa efferuntur: ex. g. *caput & pes*, *scribit & legit*, nullo nomine subaudito. Ratio est quia omnis oratio, ut à dictionibus distinguitur, significat aliquid de aliquo, expresse vel implicite. Hoc autem dupliciter fit. Primo cum aliquid affirmatur, aut negatur de aliquo, ut in Enunciatione, seu oratione perfecta. Deinde cum, licet nihil expresse affirmetur, aut negetur, significatum tamen unius vocis, ut per eam exprimitur, afficit quodammodo significatum alterius: ut cum *homo* & *doctus* conjunguntur, quæ oratio imperfecta est, *Doctus* enim significat aliquid ut afficiens hominem.

Rectius igitur defineretur Oratio, *Complexio vocum plura significantium, ex quibus unum aliud quodammodo afficit.* Sed Sophismata contra definitionem Aristotelicam breviter videamus.

Obj. I. Complexa nequeunt unica definitione definiri: Oratio est quid complexum.

Resp. Complexa nequeunt definiri unica definitione, quæ omnes partes sigillatim explicet, verum est; ut sunt tota quædam, unica forma constantia, nego. Est autem quævis oratio totum quid, pro materia habens plures voces significativas, pro forma vero debitam earum conjunctionem ut jam explicavimus.

Obj. II. *Aliquis homo* est oratio, altera tamen ejus pars, nempe *aliquis*, nihil significat separatim.

Resp. Vox *Aliquis*, ut & reliqua Syncategoremata, *omnis*, *nullus*, &c. nihil significat determinatum; sicut nec adjectiva, adverbia, & præpositiones; aliquid tamen indeterminatum denotat. Cum enim audimus vocem *aliquis*, intelligimus nonnihil confusè, & indeterminatè nempe hoc, vel illud, vel aliud.

Inst. Voces istiusmodi solum consignificant, cum aliis.

Resp.

Resp. Solum consignificant determinatè: Hoc est tunc tantum aliquid exhibent in quo conceptus audientis quodammodo acquiescat, cum aliæ adjiciuntur: Non tamen simpliciter solum consignificant. Quod enim per se plane nihil significat, nequit cum alio quidquam significare, nisi quod ex utroque unum signum confici possit, quod hic non contingit. Nam voces illæ, significationem nominum quibus adjiciuntur, immutant.

Obj. III. Oratio est unica dictio, nec partes habet separatim significantes.

Resp. Verum est de Oratione materialiter, pro voce; non formaliter pro significato; hoc enim semper complectitur plures voces.

Obj. IV. Quædam partes Orationis nihil significant, ut *non-ens*, *nihil*, *nullus*.

Resp. Nihil significant positivi: negativum tamen aliquid denotant, quod sufficit.

Obj. V. Hæ *voces*, *nullus*, *nemo*, partibus constant quæ nihil significant separatim. Sunt tamen orationes, licet imperfectæ, *nemo* enim idem est ac *nullus homo*, &c.

Resp. Sunt orationes *virtualiter*; quatenus pluribus vocibus significativis, ordinem aliquem in significando ad se invicem habentibus æquipollent: At non formaliter, & expresse.

Obj. VI. *Pluit curritur*, & similes, sunt orationes: quarum tamen partes separatim nil significant.

Resp. Non sunt orationes nisi aliquæ aliæ voces una subintelligantur. Nam *pluit* idem valet ac *pluvia cadit*; & in voce *curritur*, subaudiendum est *à me*, vel *te*, vel aliquid aliud ejusmodi, &c.

Obj. VII. Judicium internum mentis est unus simplex actus, nec partes habet quæ seorsim terminantur ad objecta. Ergo nec oratio, quæ ejus signum est, partes habet seorsim significantes.

X 2 Resp.

Resp. Negatur Antecedens. Judicium enim complectitur ideas ſubjecti, attributi, & connexionis, quæ plures diverſæ ſunt, ut infra demonſtrabitur. Et qui dicunt judicium eſſe unum actum phyſice ſimplicem, agnoſcunt tamen plura objecta repræſentare, quibus in oratione reſpondent plures voces.

Obj. VIII. Oratio non adhibetur ad ſignificandum, ſed tantum dictiones. Non igitur recte dicitur ſignificare.

Resp. Oratio non adhibetur ad ſignificandum diverſum quid ab iis quæ dictiones ſignificant, eſto. Ut *Homo eſt mortalis*, nihil ſignificat præter ea quæ voces *Homo eſt*, & *mortalis* ſignificant. Satis tamen eſt ad ſignificationem illius ſalvandam, quod partes omnes ſignificent.

DISPUTATIO. XIX.

De Homonymis, Synonymis, Analogis, & Paronymis, ſeu Denominativis.

HOmonyma, ex Ariſtotele, lib. de Categoriis, cap. 1. *ſunt quorum nomen eſt commune, ratio vero Eſſentiæ ſecundum illud nomen, diverſa.* Hoc eſt communi voce appellantur, quæ nihil ſignificat reale ipſis commune. Sic *Homo Francus*, & *Gallus avis*. Homonyma ſunt in voce *Gallus*. *Synonyma* vero, *quorum & nomen commune eſt, & ratio eſſentiæ ſecundum illud nomen eadem*; hoc eſt plane *ſimilis* eſt: ſeu quæ exacte

exacte conveniunt in natura communi nomine significata. Ut *Homo* & *Bestia* communi nomine *animalis* appellantur, & conveniunt in natura sensitiva, quæ illo significatur. Homonyma Latini *Æquivoca*. Synonyma *Univoca* appellant. *Paronyma* denique sunt, *quæcunque ab aliquo, ita ut casu differant appellationem nominis habent.* *Casu* autem *differre* est differre terminatione. Latine *denominativa* vocantur: ut *justus* & *juste* Paronyma sunt, quia derivantur à *justitia*, & ab ea denominantur. Et si vocem primitivam & derivatas simul spectemus, ut *justitia*, *justus*, *juste agere*, Conjugata dicuntur. Notandum tamen est, vocem primitivam apud Logicos dici, quæ formam simplicem, ut *justitia*, *albedo*; Derivatam vero, quæ concretum ex subjecto & forma, significat; ut *justus*, *albus*; contra ac apud Grammaticos obtinet. Analoga non definivit hic Aristoteles; quia in Univocis, vel Æquivocis includuntur. De his igitur.

Quæst. I. Est, *Quidnam definiatur in his definitionibus.*

Resp. *Non voces*, nisi indirecte. (Hæ enim non habent nomen commune), sed *Res*: nec tamen res absolute, & in se, sed prout certis vocibus appellantur. Sic animal latrans, & signum illud cæleste quod *Canis* dicitur, prout voce *Canis* significantur, sunt Homonyma. At *homo* & *bestia* prout nomine *animalis* exprimuntur, sunt Synonyma. In his enim ratio essentiæ, seu natura, voce animalis significata, est eadem: hoc est communis, seu similis. In illis vero nulla est ratio essentiæ, seu naturæ nomine *canis* significata, quæ communis aut similis utrique sit.

Indirecte tamen *definiuntur voces*. Innuitur enim vocem Homonymam esse, quæ significat plura ut diversa; seu quæ non conveniunt in natura aliqua quæ per eam significetur. Synonymam vero, quæ

plura significat ut convenientia in natura aliqua nomine communi significata. Interim tamen voces illæ inepte dicuntur Homonymæ, ac Synonymæ. Hæc enim rerum duntaxat nomina sunt. Pro voce igitur Homonyma rectius dices *ambiguam*, seu ancipitis significationis: pro Synonyma vero *communem*, significationis certæ, & determinatæ. Vox enim synonyma proprie est, quæ cum aliqua alia ejusdem plane significationis est, ut *ensis* & *gladius*, *aio* & *inquam*.

In Definitione Paronymorum, altera pars solis vocibus applicari potest: nempe illa, in qua Paronyma *casu differre* dicuntur. Nec enim res significatæ casibus differunt, sed tantum voces. *Altera rebus congruit*, illa scilicet in qua Paronyma ab aliquo appellationem habere dicitur; solæ enim res appellationem habent. Quo nomine definitio illa reprehendenda est. Rectius igitur res Paronymæ dicentur, *quæ vocibus affinibus, casu differentibus significantur.* Voces vero paronymæ, (satis enim recte possunt sic appellari) *quæ affines sunt in significando, casu tamen differunt*, Ut *Bonus, bonitas, bene.*

Sed contra definitionem Homonymorum sic objicitur.

I. Homonyma prius distinguenda sunt quam definienda.

Resp. Homonyma particularia, ut *canis*, *gallus*, *jus*, &c. (quia ante distinctionem factam incertæ significationis sunt) prius distinguere convenit, quam definire. At non sic Homonyma in communi: sub illa enim ratione satis determinate significant.

Obj II. Homonyma non habent unam essentiam, sed plures dissimiles. Non igitur possunt aut debent, unica definitione definiri.

Resp. Verum est Antecedens de Homonymis *materialiter* sumptis, & in *actu exercito*; ut de *gallo*, &

cane,

cane, secundum naturas & essentias suas, ut sunt talia animalia: At non *in actu signato*, seu *reduplicative*, & præcise ut homonyma: Sic enim omnia conveniunt in communi ratione Homonymorum.

Inst. At sic Homonyma erunt Synonyma: habent enim nomen commune, & rationem aliquam similem per nomen significatam.

Resp. Præcise ut conveniunt in ratione communi Homonymorum, sunt quædam Synonyma particularia. At nec in actu exercito Synonyma sunt, (Hoc est particularia quæ illis substernuntur non sunt synonyma), nec sunt synonyma in communi.

Contra Definitionem Synonymorum, objicitur.

I. *Homo* & *bestia* sunt synonyma. At non habent eandem seu communem essentiam, sed unumquodque propriam.

Resp. Non habent eandem essentiam, prout nominibus *Hominis* & *Bestiæ* propriis significantur, verum est: prout aliis communibus significantur, qualia sunt *animal*, *vivens*, *substantia*, &c. nego.

Inst. At *animal*, *vivens* & *substantia*, non sunt nomina *hominis*, aut *bestiæ*. Res enim diversas ab his significant.

Resp. Non sunt nomina propria, quæ proprias eorum differentias significant; sunt tamen nomina communia, quæ attributa essentialia utrique communia designant. Unde significant res solum inadæquate diversas.

Obj. II. *Ratione præditum* v. g. non dicitur de *homine* secundum nomen, & definitionem, ut ad synonymum requiritur.

Probatur Anteced. Quia, cum Differentia sit, non potest definiri per Genus, & Differentiam. Sic enim definiri posset res in infinitum.

Resp. Negatur Antecedens cum proxima probatione. *Ratione* enim *præditum* definiri potest id quod

habet virtutem intelligendi ſeu ratiocinandi. Nec tamen in definiendo ſine fine procedere licet, aut opus eſt; quia ſunt termini per ſe evidentes, vel omnibus, vel iis quos inſtruimus.

Obj. III. Homonyma habent multa nomina communia, & rationem eſſentiæ, ſecundum nomina illa, eandem, ſeu ſimilem: ut *Canis domeſticus*, & *marinus*, habent nomina *animalis, viventis, ſubſtantiæ* &c. communia, quibus ſubſunt rationes eſſentiarum ſimiles.

Reſp. De Homonymis, quatenus nominibus communibus determinatæ ſignificationis exprimuntur, verum eſt; (ſic autem ſunt Synonyma): At non ut vocibus ambiguis; qua ſola ratione Homonyma vocantur.

Quæſt. II. *Unde ortum duxerit Communitas vocum, ſeu quod plures res, etiam diſſimiles, eadem voce ſignificentur.*

Reſp. I. *Hujus rei quandoque nulla cauſa eſt*, (niſi per accidens), *præter occultam Dei providentiam.* Ut cum mero caſu res diverſæ eodem nomine appellantur, quæ idcirco Homonyma à caſu dicuntur. Ex. g. quod *judicium* in foro & *ſuccus carnis* in aqua decoctus, nomine *juris* nuncupentur.

II. Cauſa tamen aliqua ſæpe accidit, quam ſic explicat Burgerſdicius, (Inſtit. lib. 1. cap. 26.) è *Keckermanno*, & aliis. *Ratio* inquit *Homonymiæ vel eſt in rebus, vel in nobis. In rebus ratio eſt tropus, vel inæqualis attributio*; ſcilicet *cum vox naturam communem ſignificat, quæ ſubjectis ſpeciebus inæqualiter convenit:* ut *Ens* reſpectu *ſubſtantiæ* & *accidentis*, *ſanum* reſpectu *animalis, medicinæ, & urinæ. In nobis, cum liberis noſtris imponimus nomen propinquæ nobiſve charæ perſonæ, ad memoriam ejus conſervandam, aut perſonæ illuſtris, ob ſpem ſimilitudinis, vel ad exemplum*; hoc eſt ut eos ſic ad imitationem incitemus, adde etiam ut honorem per-

personis istiusmodi deferamus, aut gratitudinem erga eas testemur. Sic in memoriam & honorem Majorum, multi è regibus Galliæ, filiis suis præsertim natu maximis, nomen *Lodovici*, quidam etiam *Caroli*, indiderunt. Addit etiam *causam homonymiæ in Genere esse penuriam vocum*. Hæ enim multo pauciores sunt quam res. Sed hic varia reprehendenda sunt.

I. Non loquitur adæquate ad materiam subjectam, cum de communitate vocum tractans, homonymiæ tantum rationem assignat: Causa enim omnis communitatis assignanda fuit.

II. Nec præcepta reciproca tradit, dum causam homonymiæ reddens, rationes generales communitatis vocum assignat; qualis est penuria vocum, & habitudo verum ad se invicem.

III. Non accurate dicitur, causa Homonymiæ à consilio profectæ, & prout à casuali differt, esse aliquando in nobis tantum, non autem in rebus. Ut cum in honorem personæ alicujus eximiæ nomen liberis communicamus. Tunc enim ratio est virtus, vel dignitas illius personæ, adeoque in re extra nos.

IV. Non tantum liberis, sed aliis etiam rebus nomina personarum imponimus. Ut equo nomen Domini prioris.

V. Causa in rebus, cur vox aliqua sit ambigua, non potest esse Tropus, quia Tropus non est in rebus, sed in sermone.

VI. Vix assignari potest exemplum inæqualis Attributionis, extra omnem Tropum. Et in exemplo *sani* respectu *animalis, medicamenti & urinæ*, manifesta est Metonymia: Sanum enim de medicamento dicitur, per Metonymiam Efficientis pro effectu; de urina vero, per metonymiam effectus, & signi. De *Ente* autem respectu substantiæ & accidentis inhærentis,

supra

ſupra oſtendimus, non eſſe Homonymum, ſed Analogum. *Diſp.* 4. *Quæſt.* 3.

De cauſis igitur, cur tot Voces communes ſint, generatim inquirendum eſt. Sunt autem plures.

1. Multæ voces communes ſunt propter exactam ſimilitudinem, ſive in eſſentiis, ut omnes ſpecies ejuſdem generis; ſive in accidentibus, ut omnia ſubjecta quæ ſimiliter affecta ſunt. Et ubi, propter hanc rationem, plures eadem voce exprimuntur, *Synonymæ*, ſeu *Univocæ* vocantur.

2. Aliæ communes ſunt propter exilem & levem ſimilitudinem rerum; quæ ſimilitudo *Analogia* vocatur; ſicut & res dicuntur Analogæ. Sic *acutum* dicitur de *corpore* cujus cuſpis tenuis eſt, de *ſono* altiori, de *ingenio* bono &c. propter ſimilitudinem aliquam effectuum. Sicut enim corpus cuſpide acutum, facilius per alia corpora penetrat, ita ſonus altior, & vehementior, facilius aurem ferit: & ingenium vividum, res, facilius, & diſtinctius contemplatur.

3. Aliæ ſunt communes pluribus rebus propter alias habitudines ad ſe invicem. Et ſic nomina cauſæ, & cauſati, ſigni & ſignati, ſubjecti & adjuncti, permutantur, per Metonymiam; nomina Totius, et partis, Generis et Speciei, per Synechdochen; nomina contrariorum, per Ironiam: ut cum *bonus vir* (qua phraſi proprie, et communiter deſignatur is qui virtute præditus eſt) ſenſu contrario, hominem nequam indigitat. Atque ex his liquet paucitatem vocabulorum, non ſemper, quin nec ſæpius, eſſe cauſam cur tot ſint communia: Nec homines neceſſitate plerumque, ſed ſponte, plures res uno et eodem nomine appellare. Nam.

Omnino expedit ut omnia quæ conveniunt, quatenus conveniunt, iiſdem nominibus appellentur. Sic enim voces rebus congruunt, eſſetq; non perfectio, ſed defectus linguæ, ſi rebus ſimilibus, quatenus

ſunt

sunt similes, dissimilia nomina imponerentur.

2. Convenit etiam, in re facili, ad auditores magis delectandos, et affectus vehementius ciendos, nomina rerum quæ quocunq; modo ad se referuntur, sæpius mutare: sic in variis, et alienis imaginibus objectis, mens audientis magis afficitur, quam si singula propriis nominibus exprimerentur.

Quæst. 3. *Quænam sint Analoga, & in quo consistat Analogia rerum.* Hac de re sententia fere communis est, *Analogiam* quæ Latine proportio dicitur, proprie esse *habitudinem unius quantitatis ad aliam.* Ut cum dicimus proportionem quatuor ad duo esse duplam, duorum ad quatuor esse dimidium; seu duo et quatuor habere se ad invicem ut duplum et dimidium. Sed extenditur vox *Analogia* ad quamvis fere similitudinem, seu convenientiam significandam. Unde et ipsa univoca *Analoga* sunt. Nam *Homo* & *bestia* eodem modo se habent ad *animal*. Et ut *animal* est ad hominem et bestiam, ita *color* ad albedinem et nigredinem

Communiter tamen Analoga definiuntur. *Quorum nomen est commune, ratio vero per nomen significata nec omnino eadem est, nec omnino diversa.* Adeoque *Media* statuuntur inter pure Æquivoca, et Univoca. Dividuntur vero in *Analoga proportionis*, in quibus aiunt *rationem communi nomine significatam, uni proprie convenire, alteri improprie,* seu *per similitudinem* aliquam; ut *risus* ad *risum humanum,* & *amænitatem prati,* propter quam quasi *ridere* dicitur: Et *Analoga attributionis,* in quibus dicunt *rationem communem uni principaliter,* & *per se, alteri aut reliquis per ordinem ad illud conveniri.* Qua ratione *sanum* quod primario, & per se, convenit animali, *medicamento* trbiuitur, quia sanitatem restituit; & *urina* quæ eam significat. Sed *Comptonus Log. Disp.* 39. *Sect.* 3. Analoga dividit in *propria* & *impropria.* Illa appellat *in quibus ratio communis propria est*; ut *ratio Entis* ad substantiam, & accidens.

cidens. Hæc, *cum ratio communis in uno tantum propria est, in reliquis impropria.*

Hinc illa sola pro Homonymis seu æquivocis habent, quæ talia sunt à casu. Alii contra omnia vocant Homonyma, quæ non sunt absolute Synonyma, ut *Burgersdicius*, *Instit. lib.* 1. *cap.* 26. Et Divisionem Analogorum in Analoga *Attributionis* & *Proportionis* incusat.

1. Quia non continet *Synecdochen*, *Metonymiam*, & *Ironiam*, quæ sedes Homonymiæ sunt, non minus quam *Metaphora.*

2. Quia Nomen *Analogiæ* admodum inepte usurpat: cum in iis quæ inæqualiter tribuuntur nulla sit, proportio.

In his, corrigenda videntur quæ sequuntur.

I. In communi definitione Analogorum, pro eo quod dicitur rationem communi nomine significatam, nec esse omnino eandem, nec omnino diversam, rectius diceretur, rationem illam nec esse exacte similem, ut in Univocis, nec omnis similitudinis expertem, ut in Æquivocis; Identitas enim hic non nisi improprie usurpatur.

II. Licet Analogata, ut vocantur, in pluribus semper sint dissimilia, ut & Univoca, dubito tamen an dissimilitudo illa communi nomine significetur: Existimoq; eo significari id tantum in quo conveniunt. Ut risum cum de homine & campo dicitur, seu ut utrique communis est, solum significare vel bonam utriusque conditionem, vel quod utrumque videntes delectet: Diversitas enim aliis vocibus significari solet. Nec constat unam & eandem vocem diversitatem significare, nisi pure æquivoca sit. Unde rectius forte *Analoga* in Genere definirentur, *ubi nomen commune aliam relationem plurium significat, præter exactam convenientiam.*

3. Pa-

III. Parum recte distribuuntur Analoga, in Analoga *Proportionis*, & *Attributionis*. Siquidem omnia Analogata proportionem aliquam habent ad se invicem. Unde non probo illud *Burgersdicii, inter ea quæ inæqualiter tribuuntur, nullam esse proportionem*. Nam *sanum* inæqualiter tribuitur animali, & medicamento, ut omnes agnoscent. Est tamen proportio aliqua inter sanitatem animalis, & medicamenti: quæ in hoc consistit, quod sicut animal est subjectum sanitatis, ita medicamentum est ejusdem causa quædam; hoc est utrumque sanitatem respicit: Secus enim cur *sanum* diceretur Analogice convenire medicamento?

IV. Quin & omnia Analoga, etiam illa quæ proportionis vocantur, inæqualiter tribuuntur suis inferioribus. Ut enim *Sanum* non ex æquo convenit animali, & medicamento, ita nec *risus* risui hominis, & prati. Unde *omne Analogum, per se*, & sine adjecto *prolatum, stat pro principali analogato*. Ut *sanum* per se, pro animali sano, & *risus* per se, pro risu humano.

V. Male dicitur, Analoga proportionis uni proprie convenire, alteri improprie. Hoc enim tenet in omnibus Analogis. Nulla igitur sunt Analoga propria, & nullum eorum exemplum adducitur, præter illud *Entis* ad Substantiam & Accidens, quod supra ostendimus esse Univocum.

VI. Fallitur Burgersdicius, cum dicit Analoga per Synechdochen, Metonymiam, & Ironiam, communi divisione Analogorum non contineri. Omnia enim illa contineri possunt sub Analogis inæqualis attributionis. Nam *Caput* inæqualiter dicitur de parte suprema corporis humani, & homine ipso ubi est synecdoche partis pro toto. Et *bonus vir* inæqualiter dicitur de eo qui vere talis est, aut

aut putatur, & de homine nequam, per Ironiam. Exempla autem inæqualis attributionis quæ communiter proferuntur, ut *sanum* ad animal, aerem, medicamentum, urinam, Metonymiam apertam continent efficientis, et signi, pro effectu, et signato.

Satius igitur fuisset divisisse Analoga, in ea quæ talia sunt propter similitudinem aliquam remotam, & obscuram; & ea quæ talia sunt propter aliquam habitudinem, partis scilicet, Totius, Causæ, Causati, Signi, Signati, ut supra innuimus. Vel sine ambagibus, dividenda essent pro divisione Troporum, ex quibus (prout omnia Univoca excludunt) semper oriuntur, in Metaphorica, Synecdochica, & Metonymica. Ironica enim nulla sunt: quia in Ironia est contrarietas non Analogia.

Quæst. III. *An, in veris synonymis, ratio communi nomine significata, semper essentialis sit?* Plerique affirmant. Et idcirco subjecta quæ à forma accidentali communi denominantur, ut Duo parietes ab albedine, Synonyma seu Univoca esse negant. Quæstio est de voce: utrum scilicet vocabulum *Synonymorum*, ad subjecta accidente communi affecta, extendendum sit. In qua qui negant pro arbitrio ipsum restringunt ad ea quæ in attributo essentiali conveniunt. Nam,

1. Eorum quæ in solo accidente communi conveniunt, ut *duo parietes* in eo quod uterque *albus* sit, nomen est commune, & ratio per ipsum significata, est omnino similis.

2. Quæ conveniunt in ejusmodi Attributis, nec sunt pure Homonyma, nec pure Analoga, nec etiam paronyma, ut ex singulorum definitionibus manifestum est. Sunt igitur Synonyma. Hinc dividi possunt Synonyma in *Essentialia*, quibus ratio communi nomine significata est Essentialis, & *Accidentalia*, quibus Accidentalis est.

Obj. Concreta accidentalia prædicantur de suis sub-

subjectis, paronymôs, hoc est secundum nomen, sed non secundum definitionem. *Albor enim* (inquit *Burgersdicius, Instit. lib.* 1. *cap.* 4.) *cum sit in corpore, nomine quidem tenus corpore tribuitur*, (*nam aliquod corpus dicitur album* :) *sed definitio alboris corpori tribui non potest*. Synonyma vero tribuuntur inferioribus suis, secundum nomen simul & definitionem. Concreta igitur accidentalia non sunt Synonyma, sed Paronyma.

Resp. I. Falsa est major propositio. An non enim natura albi convenit chartæ, et parieti; adeoque et definitio, quæ nihil aliud est nisi *habens albedinem*, seu eâ esse affectum? Si autem solum nomen illis conveniret, non essent Paronyma sed pure Homonyma.

II. Probatio non concludit: partim quia licet definitio *alboris* corpori non tribuatur in enunciatione, tribuitur tamen definitio *albi*. Quæstio autem non est de accidentibus abstractis, sed de concretis ex subjecto & accidente. Partim quia neque animalitas, de homine & bestia, vere prædicatur: Sunt tamen Synonyma ad animal.

III. Verba illa, *concreta accidentalia prædicantur paronymôs*, nullum commodum sensum efficiunt; cur enim dicuntur prædicari *paronymôs*? An quia, in propositione in qua prædicantur, attributum est paronymum ad subjectum? At hoc sæpe falsum. *Doctus* enim est concretum accidentale, et dicitur de homine paronymôs, ut aiunt; non tamen est paronymum ad hominem, ut facile concedent. Nec enim in sono, nec in significatione, eam affinitatatem ad hominem gerit, quæ ad paronymum communiter requiritur. An quia sunt paronyma ad alias res, ut *doctus* ad *doctrinam, docte*, &c. At sic etiam synonyma; ut *animal* ad *animalem*, *animalitatem*, *animaliter*, (patiantur nunc hujus vocis fictionem) *animam*, &c.

Quæst.

Quæſt. IV. *An ad univoca, neceſſarium ſit, ut omnia ſimul natura, & ſine dependentia unius, ex alio rationem communi nomine ſignificatam participent?* Plerique affirmant; et dicunt illa omnia quæ participant rationem communem, per prius, et poſterius, hoc eſt, ita ut in participatione illa, unum dependeat ab altero, eſſe tantum Analoga ex. g. *Subſtantiam* & *Accidens*, in paricipatione *Entis*. Verum diſparitas illa univocationem non tollit: quia exercetur in ſolis differentiis, non in ratione communi præciſe ſpectata. V. g. quod *ſubſtantia* prius conveniat exiſtentia, vel non-repugnantia exiſtendi, quam *accidenti*, ad differentiam propriam ſubſtantiæ ſpectat, non vero ad rationem Entis ut ſic, quæ tota eſt communis.

Quæſt. V. *Quid & quotuplex ſit Denominatio, & quænam pro denominativis habenda ſunt.*

Ad primam partem quæſtionis, dicimus, *Denominationem formaliter*, ſeu paſſive acceptam, active enim ſumpta actionem denotat, qua nomen rei imponitur) *eſſe per quam una res accipit nomen, à nomine alterius*, propter relationem aliquam alterius ad alteram. Ex his autem una eſt *denominans*, altera *denominata*. Ambæ vero, quia nomina habent affinia in ſonis, licet terminatione differentia, *Paronyma* vocantur. Et res Denominans ſemper eſt ſimplicior, plerumque vero forma abſtracta, aut aliquid ſimile. Ut à *juſtitia* homo dicitur *juſtus*, à *doctrina doctus*, propter relationem juſtitiæ & doctrinæ, ad hominem, qui illis affectus eſt. Ubi *Juſtitia* & *Doctrina* ſunt formæ ſimplices, abſtractæ, denominantes; *homo* vero ſubjectum quod per eas denominatur.

Ad ſecundum partem quæſtionis quod attinet, *Duplex* vulgo ſtatuitur *Denominatio*. Alia *extrinſeca*, quæ à forma extrinſeca provenit. Sic *paries* dicitur, *viſus*, & *cognitus*, à viſione, & cognitione, quæ

quæ circa eam exercentur. Alia *intrinſeca*. quæ à forma intrinſeca provenit: ut cum *aqua* dicitur calida, aut frigida, à *calore*, vel *frigore*. Verum exacte loquendo, *omnis denominatio eſt extrinſeca*; quia *denominari* nihil aliud eſt, quam nomen vel appellationem habere, à nomine alterius. Omne autem nomen rei extrinſecum eſt. Sola igitur *ratio* Denominationis, interdum extrinſeca eſt rei denominatæ, interdum intrinſeca.

Ad tertiam, diſtinguunt communiter Logici Paronyma in *Grammatica*, & *Logica*. (Quanquam quæ Grammatica ſunt, ſæpius contingit eſſe etiam Logica). Hæc appellant, *cum à ſignificato unius vocis, ad ſignificatum alterius, valet conſequentia*: ut à *juſtitia* ad *juſtum*, ſequitur enim *eſt juſtitia*, ergo etiam *aliquis juſtus*, & viciſſim. Illa vero, ubi non valet; ut à *potu* ad *potatorem*, à *loquutione* ad *loquacem*, à *ſomno* ad *ſomnolentum*. Quin & illa, quæ eandem affinitatem in ſignificando habent, ac ea quæ vocibus ſono affinibus appellantur, licet voce nullo modo conſentiant, paronyma vocant; ut *virtus*, & *probus*. Non enim patitur lingua Latina, ut à virtute *virtuoſum* dicamus: cujus unica ratio eſt, quia *virtuoſus* non eſt in uſu. Verum hæc nulla ratione dicuntur Paronyma, ſed *Paraſema* vocari debent: affinitate enim non vocis, ſed tantum ſignificationis conſtant.

DISPUTATIO XX.

De Apprehensione & Idea simplici.

Quæst. I. AN *per apprehensionem, simplicem, aliquid semper rei apprehensæ tribuamus?*

Respondemus sequentibus pronunciatis.

I. *Apprehensio quæ absolute simplex est, nihil tribuit objecto apprehenso.* Hæc enim rationem aliquam simplicissimam repræsentat: in qua idcirco non concipiuntur plura, ex quibus alterum alteri conveniat. Ut cum apprehendimus, *aliquid*, vel *nihil, esse*, & *non-esse*, in communi. Ejusmodi enim termini abstracti omnino simplices sunt.

Obj. Si nullum attributum objecti percipimus, nec ipsum ullo modo percipimus. Omne enim objectum mentis percipitur per sua attributa.

Resp. Si objectum attributa aliqua habeat distincta, verum est. At aliquando nulla sunt illius attributa: nempe cum objectum ipsum est attributum simplicissimum, ut in exemplis datis.

II. *In reliquis actibus apprehendendi*, licet *objectum* unica voce simplici exprimatur, *semper concipimus aliquid illius attributum*, seu aliquid quod ei convenit, essentiale scilicet, vel accidentale, intrinsecum, vel extrinsecum. Ut cum apprehendimus *lineam*, concipimus id quod longitudinem aliquam habet; Cum apprehendimus hominem, concipimus vel aliquid corporeum intelligentia præditum, ut à scientioribus

entioribus fit, vel aliquid tales partes & talem figuram habens, quales scilicet corpori humano conveniunt, ut solent pueri.

III. *Quin & necesse est, ut attributum illud, per quod rem apprehendimus, tanquam illius attributum,* hoc est ei convenire *percipiamus.* Ut longitudinem convenire lineæ; talem figuram convenire mensæ, &c. Alioqui attributum non repræsentabit unam rem magis quam aliam: ut nisi percipiamus longitudinem inesse lineæ, non potest per eam repræsentari linea.

Obj. Si vera illa sint, confunditur apprehensio cum judicio: Judicium enim fit de objecto, cum aliquid ei tribuitur.

Resp. I. Apprehensio sæpe includit judicium virtuale, cum ex ea, judicium, per consequentiam, ferri potest de objecto. Patet id in apprehensione quæ complexa nuncupatur: ut cum apprehenditur *homo doctus*, implicite innuitur aliquem hominem esse doctum, præsertim cum aliquid de eo, aut ipse de aliquo effertur, quod, in communi sermone, indicare solet eum vel existere actu, aut esse posse, ac solere. Nullum tamen fertur judicium formale, magis quam cum apprehenditur (ex. g. res) composita qua talis, ubi plures partes apprehenduntur ut unitæ. Audiens enim, prolatis istiusmodi terminis, suspensus manet, & expectat aliquid aliud addendum, ut judicium loquentis percipiat, vel ut ipse de iis judicium ferat.

II. Apprehensio non semper judicium, ne quidem virtuale, includit, etiam ubi objectum complexum est. Ut, si quis Orthodoxus apprehendat homines ordinaria generatione ab Adamo lapso oriundos qui perfecte puri & sancti sint, non judicat ullos tales esse, sed pure apprehendit aliquos, ac si tales essent. Nec dicas apprehendentem in eo casu virtualiter judicare nullos esse tales: quia fieri

poteſt ut incertus ſit de re quam apprehendit, ſitne aliquid exiſtens, an non, poſſibile, an impoſſibile: Ut cum quis apprehendit, creaturam perfectiſſimam, tractum materiæ infinite extenſum, aut ſimile quid, de quo ambigit ſitne poſſibile, an non.

3. In apprehenſione complexa ad ſummum ſupponitur aliquid eſſe tale, non autem judicatur. Ut cum dixit Ariſtoteles, *eum qui vita ſolitaria delectatur, vel eſſe feram, vel Deum*, ſubjectum propoſitionis eſt terminus complexus, & objectum apprehenſionis; & ſolum ſupponit aliquem eſſe talem: Habet enim hunc ſenſum; *Si quis vita ſolitaria ſemper gaudeat, fera eſt, vel Deus:* Ubi nullum judicium fertur ex parte Antecedentis, ſed tantum in conceptu componitur vita ſolitaria cum homine.

4. *Apprehenſio ſemper aliquo modo complexa eſt, niſi objectum ſit ratio ſimpliciſſima*; Licet terminus illius unica voce, eaque ſimplici, exprimatur. Ut cum apprehenditur *bos*, concipitur aliquid figura ejuſmodi præditum, quæ corpori bovis propria eſt. Nec enim conceptus omnino ſimplex repræſentare poteſt niſi rationem ſimplicem. Sic ubi apprehenditur motus, apprehenditur mutatio loci, in aliqua re. Nec poſſibile eſt aliter eum apprehendere. Hic tamen conceptus repræſentat aliquid confuſe, & indeterminate, quod locum mutat, locum in quo fit mutatio & mutationem quæ in loco fit: Licet hanc directe, illa indirecte.

Quæſt. II. *An, & quomodo, per ſimplicem apprehenſionem, percipiatur integra propoſitio, aut diſcurſus, ſine judicio.*

Reſp. I. Per ſimplicem apprehenſionem, ſine judicio, integras propoſitiones, & diſcurſus percipi, manifeſtum eſt exemplis. Poteſt enim quis apprehendere totam hanc propoſitionem, *omnia aſtra ſunt*

paria,

paria, & rotunda, cum tamen dubitat sitne vera, an falsa; potest & integrum hunc discursum, *Angelus mira opera præstat; non igitur est inextensus* quoad substantiam, *instar puncti Mathematici*; dubitando tamen de consequentia: in quo casu non judicat consequens recte inferri ex antecedente.

II. Modus quo mens connexiones terminorum apprehendit, sine judicio, à nemine, quod sciam hactenus explicatur; nec quidem facile explicabilis est. De quo hoc nobis verisimilius est, *mentem formare* quidem *ideam quæ repræsentat connexionem, aut disjunctionem terminorum*, in propositione dubia, adeoque eam apprehendere; *non* tamen *formare ideam quæ eam repræsentat ut veram, vel falsam*; seu non habere ideas veritatis, aut falsitatis. Et in consequentia plane dubia, mens format ideam consequentiæ; sed non format ideam quæ eam repræsentat ut firmam, aut plane vitiosam.

Dices, neque mentem, dum assentitur propositioni, aut ei dissentit, concipere connexionem terminorum esse veram: vel non, sed tantum attributum convenire subjecto, vel non convenire. Nec cum unam propositionem ex alia infert, cogitare de bonitate consequentiæ, sed tantum percipere unam propositionem in alia contineri. Ergo differentia inter apprehensionem & judicium, circa connexiones terminorum, in propositionibus, & consequentiam propositionum, in discursu, nulla est.

Resp. Non sequitur; quia, licet mens dum judicat attributum convenire subjecto, non judicet expresse identitatem eorum esse veram, virtualiter tamen & implicite illud facit; quatenus amplectitur identitatem illam per assensum. Idem dices de consequentia in discursu.

Inst. Quid aliud eſt judicare, quam percipere connexiones terminorum, vel propoſitionum? Ergo ſi per ſimplicem apprehenſionem, connexio illa percipitur, (percipitur autem cum mens ideam illius habet), ſequetur ſimplicem apprehenſionem eſſe judicium.

Reſp. Judicium aliquid amplius continet quam perceptionem connexionis: Poſſum enim percipere connexionem fictam ab alio, hoc eſt ideam illius formare ſine judicio affirmante Secus enim qua ratione intelligerem alium errare in judicando, niſi objectum judicii falſi ab eo lati, apprehenderem? Judicium igitur, præter perceptionem connexionis, *complacentiam* quandam in ea, ut vera continet, quam non continet ſimplex apprehenſio.

Inst. II. Cum mens judicium cohibet de propoſitione, nullam connexionem terminorum videt. Nullam igitur apprehendit.

Reſp. Nullam connexionem videt quam veram agnoſcit, eſto: ab alio fictam, aut quæ fingi poſſet, nego.

Quæſt. III. *An idea rei in mente ſit ipſe conceptus mentis*, *an* vero *res ipſa ut ab ea concipitur?*

Diſtinguunt Doctores, præſertim *Pontificii*, inter conceptum *formalem*, qui eſt actus mentis, & *objectivum* qui actus illius objectum eſt. Et ſimiliter forte diſtinguerent *Ideam*, ſi pro voce *conceptus* vocem *Ideæ* uſurparent.

Reſp. I. *Nullus proprie eſt conceptus objectivus*; ut per ſe patet. Per conceptum enim *objectivum* intelligunt, non conceptum de objecto, (ſeu qui ad ipſum terminatur) ſed objectum ipſum, aut aliquid in objecto. In eo autem nullus eſt conceptus, niſi cum contingit mentem actus ſuos, aut alienos intueri.

II. *Nec ulla*, niſi ſimili improprietate, *eſt Idea objectiva.*

1. Quia

1. Quia omnis Idea est Idea objecti, seu rei conceptæ. At objectum non est Idea suiipsius. Idea autem objectiva nihil aliud esse potest nisi objectum ipsum. Idea enim est veluti effigies, seu simulacrum rei: Res autem non est effigies, vel simulacrum sui.

Dices forte, rem ut tali modo cognitam repræsentare seipsam, prout est extra mentem.

Resp. Si per *ut cognitam*, intelligis cognitionem, verum dicis. At non, si rem ut actu objicitur cognitioni. Non enim quia ei objicitur vere repræsentat: quia fieri potest ut male objiciatur.

2. Idea est bona & vera, quando ita se habet in repræsentando, ut objectum in essendo. Ergo est aliquid diversum ab objecto.

3. Ideæ possunt varie mutari: existunt enim cum cogitamus, non existunt cum non cogitamus. Solent etiam homines diversas ideas earundem rerum formare, hoc est quas ad easdem res applicant. At objectum sæpius idem est, ac immutatum. Ex altera parte objectum mutatur, cum idea illius eadem manet.

4. Ideæ sunt in mente: At objecta rarius in mente sunt: Eo scilicet casu duntaxat, quo mens aliquid in seipsa, aut in alia mente contemplatur.

III. Dicendum igitur est, *Ideam rei* in mente nihil aliud *esse* præter *actum mentis*, per quem objectum percipitur. Adeoque nec esse objectum ipsum, absolute spectatum, quod omnes, ut opinor, concedent: Nec objectum ut conceptum, seu ut conceptui mentis subest. Objectum enim ut conceptum, est objectum ut actu objicitur, seu ut actu terminus est conceptus, & ab eo denominatur. At esse ideam rei conceptæ, non est terminare conceptum, aut ab eo denominari. Sic enim *esse ideam* & *actu objici* essent idem.

Obj. I. Idea rei est attributum aliquod illius essen-

tiale proprium, aut ſaltem complexio quædam attributorum eſſentialium, quæ omnia ſimul cum ea reciprocantur, & Criterium illius conſtituunt, quo ab omnibus aliis diſtinguatur. Ex. gr. Idea *ſpiritûs* eſt *ſubſtantia percipiens*. At attributa rei ſunt res ipſa, tali modo cognita, non autem conceptus.

Reſp. Nego Antecedens. Ad exemplum Spiritus, & reliqua ſimilia, dico locutiones illas eſſe improprias: quibus nihil aliud intenditur, quam Ideam repræſentare rem cujus eſt Idea, per talia attributa. Ut Ideam ſpiritus, ſpiritum exhibere ut ſubſtantiam percipientem, & ſic de cæteris. Si enim ſubſtantia percipiens, (exempli cauſa) eſſet idea ſpiritus, ſequeretur Ideam ſpiritus ſemper exiſtere, etiam cum nemo de ſpiritu cogitat. Siquidem ſpiritus ſemper eſt ſubſtantia perceptiva. Nec dicas tunc tantum eſſe ideam cum cognoſcitur, quia ſic idea eſſet compoſitum quid ex objecto & cognitione, aut cognitio eſſet conditio quædam neceſſaria, ut attributa rei eſſentialia propria ideam illius conſtituerent. Utrumque rationi diſſonum eſt. Concludimus igitur, ideam ſimplicem rei, & apprehenſionem ſimplicem eſſe unum & idem: Dicitur enim Idea ab *eidô* video. Unde quaſi viſionem objecti mentalem denotat.

Obj. II. Si ſimplex apprehenſio rei eſſet illius idea ſimplex, judicium abſolutum & illativum eſſent Ideæ compoſitæ. At Idea eſt unius rei, non autem propoſitionis, aut ſyllogiſmi.

Reſpond. I. Neg. Maj. Quia ſi placuit philoſophis, ſolum conceptum apprehenſivum, non autem judicativum, vel diſcurſivum, nomine Ideæ appellare, nec neceſſarium ſit novos terminos excudere, cum vulgo loquendum, ut in proverbio eſt.

II. Ad minorem; licet Idea communiter ad ſolam

lam apprehensionem restringatur, quia est veluti visio mentis, (visio autem est simplex actus) nihil tamen vetat quin ad judicium & Discursum extendatur. In illo enim est Idea Identitatis, aut diversitatis, connexionis, aut disjunctionis, unius termini ad alium. In hoc vero est idea connexionis plurium propositionum, cum assensu, vel dissensu.

Quæst. IV. *Quænam sit Idea clara, & obscura.*

Respondet *Claubergius, Log. part.* 1. *quæst.* 18, *Eam esse claram perceptionem, quæ menti attendenti præsens & aperta est.* Obscura igitur erit, quæ absens, remota, tecta, seu occulta est. Sed hæc descriptio est tantum Analogica, nempe per Metaphoram, à similitudine claræ visionis desumptæ, cujus objectum plerumque prope est, & liberum ab iis quæ visionem impediant.

Nobis vero *claritas Ideæ in eo consistit, quod illud in re exhibeat quod ei essentiale proprium est.* Clara enim perceptio eadem est ac distincta. Distincta autem est quæ rem ab omnibus aliis distinguit: hoc autem per essentialia propria maxime præstatur. Propria enim accidentia rem quidem ut distinctam repræsentant, verum non ut *per se* distincta est, sed per aliud superadditum.

Idea igitur *obscura est, cujus vi non possumus distinguere rem ab omnibus aliis:* qualis est quæ exhibet accidentia, aut similitudines aliquas rei, aut attributa tantum communia, licet essentialia: Multo magis *obscura est, quæ proponit attributa rei incerta.* Quæ autem aperte falsa proponit, non obscura est, sed erronea. Reliqua ad naturam Idearum spectantia, in Psychologia, Deo volente, exponemus.

Quæstio V. *An in apprehensione sit veritas, & falsitas?* Multi præsertim ex Antiquioribus, negant: Nos sic statuimus.

Thes.

Thes. I. *In apprehensione omnino simplici, est aliqua veritas, nulla autem falsitas.* Ut in apprehensione objectorum simplicium. Prior pars sic probatur. Veritas conceptus consistit in conformitate ad objectum. At apprehensio rei simplicis, puta *lineæ, anguli*, est conformis suo objecto. Secus enim non esset idea illius. Posterior pars hinc ostenditur, quod apprehensio incomplexa, objecto suo nunquam sit difformis: illud enim est ejus objectum quod repræsentat. Huic autem nequit esse difformis, quia sic non repræsentaret illud, sed aliquid aliud.

Obj. I. Cum quis operam dans substantiæ spirituali apprehendendæ, apprehendit materiam aliquam puriorem, non attingit objectum quod erat apprehendendum: Ergo falsò apprehendit; ad simile argumentum respondet *Comptonus*, non attingit in quod voluit apprehendere, esto; quod erat attingendum per hanc apprehensionem, negatur. Non enim ideo falsus est actus quia voluntati difformis sit, sed quia objectum aliter represent at ac est. Et decipitur qui sic apprehendit, non quia habet actum falsum, sed quia intento frustratur. Verum, ni fallor, hæc responsio concludit nullum actum mentis esse falsum; quia omnis actus attingit id quod per *ipsum* attingendum est. Ut actus qui repræsentat Antichristum futurum, attingit id quod per eum attingendum fuit: Nihil enim aliud per eum attingi potuit, quam quod de facto attingitur, scilicet futuritio Antichristi.

Vera igitur responsio est, cum quis volens apprehendere naturam spritus, apprehendit materiam aliquam subtilem, tenuem, & agilem, falso quidem concipere, non tamen per simplicem apprehensionem, sed per judicium: Attribuit enim, in illo casu, materiam tenuem significato vocis *spiritus*; & sic falso judicat.

Obi. II. Veritas & falsitas sunt circa idem subjectum:

jectum: Ergo si veritas sit in simplici apprehensione, est in ea etiam falsitas.

Resp. Veritas & falsitas sunt in actibus ejusdem potentiæ, puta intellectus: nec ulterius extendi debet id quod in Antecedente dicitur. Non enim necesse est, ut in eisdem specie actibus, in quibus est veritas, sit etiam falsitas.

Thes. II. *Veritas quæ in Apprehensione incomplexa reperitur, non est Logica, sed Metaphysica,* seu *Entitativa.* Veritas enim Logica, prout ab Entitativa distinguitur, (ut distingui communiter solet), semper est *complexa*; & consistit in eo, quod attributum vere conveniat subjecto, prout judicatur, aut dicitur. Nunquam autem illa, qua res nomini & apparentiæ suæ conformis est: hæc enim veritas est tantum Entitativa. Talis autem est veritas apprehensionis incomplexæ. Per eam enim apprehensio solum habet id quod nomini suo respondet, nempe naturam apprehensionis incomplexæ: sicut conformitas imaginis, ad rem cujus imago est, non est veritas Logica, sed Entitativa. Est enim apprehensio imago quædam objecti.

Thes. III. *In Apprehensione complexa, est & veritas, & falsitas Logica,* sed *virtualis, non formalis, & aperta.* Esse veritatem patet; ut cum quis apprehendit *animal rationale,* veram ideam hominis format. Est & in apprehensione illa, veritas Logica virtualis: implicite enim includit hoc judicium, *quoddam animal est rationale.* Esse autem falsitatem Logicam virtualem, patet de Apprehensione complexa; in qua apprehenduntur plura ut conjuncta, quæ in re non conjunguntur, aut etiam sibi-met invicem repugnant. Ut cum Enthusiastæ, vulgo *Tremuli,* apprehendunt *hominem in hac vita perfecte sanctum*: aut cum Pontificii apprehendunt *Antichristum futurum, corpus Christi in uno puncto loci, & in pluribus locis longe distantibus, eodem tempore,* quod ut dici solet, repugnantia

nantia eſt in adjecto. Apprehenſiones enim iſtæ innuunt Antichriſtum etiamnum eſſe futurum, corpus Chriſti eſſe in pluribus locis ſimul, &c. Nec objecta illa pro figmentis ab Enthuſiaſtis, & Pontificiis habentur: nec in illis mere ſupponitur una pars alteri convenire. Falſo igitur apprehenditur Antichriſtus, & corpus Chriſti, tanquam aliquid eis conveniret quod non convenit.

Quæſt. VI. *An Apprehenſio dirigi poſſit, actuve dirigatur præceptis Logicis?* Plurimi negant. Nos in partem affirmantem cedimus.

1. Quia multo facilius apprehendit attributa rerum quæ apprehendenda ſunt, qui præcepta Logicæ de locis communibus attributorum didicit, puta eſſentiæ, Accidentis, Generis, Differentiæ, Cauſæ, &c. quam qui eorum imperitus eſt. Facilitant igitur præcepta illa apprehenſionem. Mentem enim determinant ad inquirendum, quidnam communibus illis ideis conforme in objecto propoſito inveniri poſſit; faciuntque ut incidat in attributa rei quæ ſine eorum cognitione non detegeret. Confirmatur. Logica dirigit actus definiendi, & dividendi, ut omnes fatentur. At ut actus illi recte eliciantur, maxima pars difficultatis eſt, recte apprehendere genus & differentiam, partes & ſpecies immediatas: His enim apprehenſis, facilius eſt conferre cum re definienda aut dividenda, quod judicii munus eſt: Logica igitur apprehenſionem illorum attributorum facilitat, juvatque ut mens in ea incidat, per præcepta quæ de genere, differentia, partibus, & ſpeciebus in communi tradit.

2. Logica vetat ne terminos impertinentes, aut repugnantes conjungamus in apprehenſione complexa. Ut *Sacrificium incruentum, opera ſupererogationis, corpus bilocatum,* &c. Apprehenſionem etiam malam ac indebitam reprehendit, juberque, ut ſi quando talem eliciamus, ea rejecta, aliam quæramus.

Obj.

Obj. I. Logica solos modos sciendi dirigit, quales sunt *judicium*, & *discursus*

Resp. I. Apprehensio etiam modus sciendi est, saltem imperfectus, & inchoatus.

II. Licet nullo respectu esset modus sciendi, utile tamen est ad modos sciendi, ut dirigatur, si modo dirigi possit.

Obj. II. Necessitate naturali apprehendimus ea quæ menti nostræ occurrunt, sive per sensum externum, sive per phantasiam, aut species mentibus impressas, sive ex contemplatione, & conatu circa res detegendas.

Resp. Non semper per necessitatem naturalem objecta apprehendimus; sed sæpius ex imperio voluntatis, cui subjicitur apprehensio quoad exercitium, & quodammodo etiam quoad specificationem. Siquidem applicare solemus mentes nostras ad apprehendendum, & cogitationes in ejusmodi objecta libere dirigimus, quæ varia alia nobis objiciunt, in quæ, secus non incideremus. Ut si propositum sit investigare Genus proximum Logicæ, conjicimus cogitationes in ordinem modorum mentem afficientium, qui Habitus dicuntur, eumq; dividimus (juxta præcepta Genetica *Log. Specialis, part.* 1. *cap.* 3. *sect.* 8, 9.) per varias differentias, dum ad ejusmodi Habitum deveniamus, qui solam Logicam, & aliquam aliam speciem coordinatam complectitur. Ad hoc autem dirigimur, & juvamur, per ideas Generis remoti, & proximi, differentiæ propriæ, speciei ejusdem & diversi generis, subalternæ & infimæ, quas tradit Logica.

Obj. III. In Apprehensione non est falsitas, nec error non igitur dirigitur per præcepta ad veritatem.

Resp. I. In Apprehensione complexa est falsitas Logica virtualis, ut quæstione præcedenti ostendimus.

II. In

II. In illis actibus apprehensionis, qui à falsitate & errore immunes sunt, alii defectus contingunt: ut cum mens unum apprehendere volens, aliud apprehendit: in quo casu, licet non eliciat actum falsum, proposito tamen frustratur. Beneficio autem præceptorum Logicorum, mens ad defectum illum detegendum, & corrigendum dirigitur.

III. Licet mens nihil unquam male apprehenderet, difficultate tamen apprehendendi, seu iucidendi in objecta, ad rem de qua inquirit, pertinentia, laborat. Quæ difficultas per præcepta Logicæ saltem minuitur.

DISPUTATIO. XXI.

De Propositione generatim; & de Affirmante ac negante in Specie.

Quæst. I. QVid sit propositio, seu *Enunciatio*: sive *quomodo definienda sit? Aristotelis, Analyt. prior Lib.* I. *cap.* I. definit *Orationem affirmantem vel negantem aliquid de aliquo.* Verum definitio illa duplici nomine peccat.

1. Quod mentionem faciat eorum quæ in extensione rei definiendæ continentur, puta affirmationis, & negationis, quæ differentiæ divisivæ sunt ipsius propositionis, adeoque extra illius essentiam. Ac si quis definiret animal, *vivens rationale vel irrationale.*

2. Quod non tradat primam differentiam: prius enim propositio aliquid effert, vel statuit de aliquo, quam

quam concipi potest affirmare, vel negare. *Derodon Log. restituta part.* 4. *p.* 510. definit, *duas res de quibus simplex judicium fertur.* Vult enim propositionem, & enunciationem, de qua in Logica agitur, non esse actum mentis, aut Orationem, sed hujus signatum, illius vero objectum, quæ propositio *objectiva* dicitur. Verum res connexæ, vel disjunctæ, non sunt enunciatio, aut propositio, quia nihil enunciant; aut proponunt, sed enunciantur, & proponuntur. Propositio enim sic dicitur, quia per eam aliquid proponimus judicandum, sive nobismetipsis, sive aliis. Enunciatio vero, quia per eam aliquid efferimus.

Obj. Objecta judicii propositiones vocantur: ut cum dicimus contra Judæos *Messiam esse futurum est propositio falsa.*

Resp. Sensus hic est, ut & in omnibus similibus, in quibus objecta significari videntur, *Cum Messias putatur, aut dicitur futurus, falsa est propositio, in mente, vel ore.* Adeo ut judicium, vel sermo notetur, non autem objectum, nisi indirecte. Nec enim objecta sunt vera vel falsa *Logice,* sed tantum Entitative.

Inst. I. Cum dicimus, *Hominem esse animal, est propositio necessaria, parietem esse album, est propositio contingens,* solum objectum intelligendum est. Nec enim judicium mentis, nec oratio, de his connexionibus, necessaria est, sed contingens. Contingenter enim de iis judicamus, & loquimur.

Resp. Major hic species rationis est. Propositiones tamen illa *necessariæ* & *contingentes* dici possunt, ratione objectorum, per Metonymiam; sicut & conceptus, & oratio *universalis* dicitur, quia omnia alicujus ordinis simul attingit, vel significat, licet proprie, & in se, semper singularis sit.

Inst. II. Ergo similiter, propositio & enunciatio denotare possunt res propositas, & enunciatas.

Resp.

Resp. Possunt quidem: sed non constat ita communiter fieri. Contrarium potius patet ex usu vulgari nominum verbalium; quibus actio aliqua sæpius significatur, aut illius effectus. Ut *compositio* significat actum componendi, aut unionem quæ per illum producitur. Quidni etiam *propositio* actum proponendi, Enunciatio actum efferendi?

Quæst. II. *An omnis propositio, subjecto, attributo & copula constet?* Negat *Derodon* supra *pag.* 511. Et primo dicit *in propositione negante, non reperiri attributum, seu prædicatum; quia in ea, alterum extremum de altero non affirmatur, sed negatur.*

Resp. Neg. Anteced. quia in propositione negante, negatio alterius extremi, attribuitur subjecto. Vel dicendum est, negationem alicujus termini esse totum attributum. *Ut in hac homo non est lapis*, negatio lapidis attributum est quod prædicatur de homine.

Inst. At sic confunditur propositio negans, cum infinita. Sensus enim propositionis proximæ memoratæ esset, *homo est non-lapis.*

Resp. Confunditur quidem quoad formam verborum (sicut & in his, *Socrates non est dives*, & *Socrates est non-dives*; Alterutra enim significare potest vel Socratem carere divitiis absolute, vel esse mediocris fortunæ) sed non quoad sensum; Hic autem ex circumstantiis loquentis eruendus est. Nam etiam propositiones de attributo infinito, quoad formam, admittunt quandoque sensum negativum: sicut in lingua nostra, propositiones negantes sæpe formæ istius sunt: scilicet quoties nota negandi post copulam ponitur. Hoc ipsum in lingua etiam latina patet, nempe cum attributum est terminus negativus: ut in hac, *atomus est invisibilis*, idem est sensus, ac si dictum fuisset, *atomus est non-visibilis.* Præpositio enim *in* idem valet in compositione cum nominibus adjectivis, ac *non.* Est tamen propositio negans,

&

& eundem habet sensum ac *atomus non est visibilis.*

Deinde dicit, *in propositione negante non reperiri copulam: quia in ea, alterum extremum cum altero non copulatur, sed ab ea dividitur, seu disjungitur: Estque in ea negatio copulæ.*

Resp. Alterum de extremis quæ apta sunt efficere propositionem affirmantem, disjungitur ab altero; ut *lapis* ab *homine* in superiore exemplo. At non disjungitur totum quod attributum constituit, sed copulatur; puta *negatio lapidis* cum *homine.* Unde, licet non copuletur lapis cum homine, copulatur tamen cum eo *non-lapis*, sive negatio lapidis.

Objicit porro, *Copulam esse inter ea quæ realiter distinguuntur. Nihil enim copulatur cum seipso. Sed in propositione affirmante, extrema sunt realiter idem. Verbum enim est identitatem denotat.*

Resp. Copula physica est inter ea quæ realiter distinguuntur. Sed ut duo Logice copulentur, sufficit si ratione distinguantur. Deinde neque semper in propositione vera affirmante, attributum est realiter & adæquate idem cum subjecto; sed sæpe tantum inadæquate; idque non in Propositione Essentiali tantum, sed etiam in accidentali; ut vocat autor; quanquam nulla fere propositio essentialis sit, nisi sibiipsi; omnes enim sunt accidentia mentis & linguæ. Ut in hac, *Homo est intelligens*, attributum solam virtutem mentis, subjectum compositum quid ex mente & corpore denotat. Et in hac *quidam homo est doctus*, attributum denotat aliquid realiter diversum ab homine, licet in obliquo, nempe *doctrinam.* In propositione igitur affirmante vera, attributum sæpe plus quam ratione distinguitur à subjecto.

Quæst. III. *Quomodo subjectum & attributum, in propositione discernenda sint?* Respondent quidam, ex eo, quod subjectum antecedat copulam attributum sequatur. Contra insurgunt alii, & exemplis ostendunt Attributum interdum antecedere copulam:

Ut in hac, *nobilitas est sola, atque unica virtus.* Verum utrique distinguere debuerunt; In mente subjectum semper antecedere; in sermone interdum antecedere interdum sequi. Posterior pars frequentibus patet exemplis. Prior ratione sic ostenditur: Cum aliquid de aliquo statuimus per judicium mentis, sicut necesse est utrumque prius apprehendere, quam alterum alteri convenire aut non convenire statuamus (quia de ignotis non est judicium) ita etiam necesse est ut in apprehensione habeamus aliquid de quo statuamus, sive cui alterum tribuamus, priusquam aliquid de eo statuere, aut aliquid ipsi tribuere possimus. Sicut ut Artifex formam producat, necesse est ut materiam præexistentem habeat cui eam adjungat.

Quæst. IV. *An subjectum & Attributum sint Entia Rationis?* Multi affirmant: Licet per Entia Rationis, non intelligant objecta ficta, sed quæ sola mentis ope distinguuntur, & referuntur; & idcirco Entia Rationis *Logica*, & *Relata Rationis* appellant. Nos sic statuimus

In Propositionibus veris de Entibus rationis, termini quidem sunt Entia Rationis: ut in hac, *Antichristus hodie omnino futurus est figmentum.* Sed *in iis quæ fiunt de Entibus realibus, sunt Entia Realia*, licet non semper realiter distincta. Nam,

1. In propositionibus veris negantibus, termini sæpius distinguuntur realiter: ut in hac, *bestiæ non sunt ratione prædita.* Dico *sæpius*, quia nonnunquam sola ratione distinguuntur; ut cum dicimus *misericordiam dei non esse formaliter ipsius justitiam.*

2. In propositione affirmante, Attributum sæpe distinguitur realiter inadæquate à subjecto: hoc est aliquid reale includit quod non includitur in subjecto, aut aliquo reali destituitur quod subjectum continet. Idque non tantum cum attributum est accidens subjecti; ut in hac, *homo est doctus*, (ubi attributum

tum includit *doctrinam*, quæ realiter diversa est ab homine) sed etiam quando est de illius Essentia; ut in hac *quoddam corporeum est animatum*, attributum includit animam, quam subjectum non includit. Et in hac *homo est animal. Homo* includit aliquid reale, quod animal non includit, nempe *rationem*.

3. Ubi termini sola ratione distinguuntur, si modo res de quibus fiunt reales sint, non tamen sunt Entia Rationis sola mente distincta. Distinguuntur enim per Rationes reales, quæ nemine cogitante rebus conveniunt, ut supra ostendimus, ubi de distinctione Rationis.

4. Subjecta & Attributa in actu primo, sunt res quatenus aptæ sunt ut subjiciantur, vel attribuantur. Hoc autem habent ex se, non autem à mente. Secus enim non possent vere subjici, & attribui sibi invicem. In actu secundo, id est, prout hic & nunc subjiciuntur, & attribuuntur, sunt res ipsæ, ut à mente concipiuntur, & sermone significantur, adeoque solam denominationem extrinsecam rebus superaddunt. At non idcirco dicenda sunt Entia Rationis. Sic enim omnia quæ cognoscimus, & sermone efferimus, quatenus cognita, & enunciata sunt, Entia Rationis dicenda forent, quod Adversarii merito negabunt.

Obj. I. A parte rei *Homo* (exempli causa) non est magis subjectum quam *animal*, aut *ratione præditum*: neque hæc magis sunt attributa, quam *Homo*. Sunt enim realiter idem. Cum igitur omnis Identitas mutua sit, si hæc tribui possunt homini, iisdem etiam tribui potest Homo. Sola igitur mente sunt subjecta, & attributa.

Resp. Homo non est magis subjectum *actu* ad hæc attributa, quam vicissim, conceditur, (nisi ex accidenti, cum hæc de illo affirmantur) *Potestate*, seu aptitudine, nego. Cum enim *animal* & *ratione præditum* sint quasi partes essentiales hominis, *Homo*

 autem

autem Totum quid, ex ſe aptiora ſunt attribui homini, quam ipſis homo. Quia totum non afficit partem, ſed contra pars Totum: Nec ſigillatim ſunt realiter adæquate idem cum homine. Homo enim plus dicit quam alterutrum ex iis ſeorſim.

Obj. II. Subjectum & Attributum ſunt Relata. At non ſunt Relata Realia: Ergo Rationis.

Reſp. I. Ad Majorem. Subjectum & Attributum in actu ſignato, ſunt Relata: At non ſemper in actu exercito: ut cum idem tribuitur ſibiipſi. Ex. g. in hac propoſitione, *Homo eſt Homo, Homo* non refertur ad ſeipſum, nec concipitur ut Relatus ad ſeipſum, ſed ut idem cum ſeipſo. Identitas autem non eſt Relatio; nec idem ad ſeipſum refertur. Jam vero ſubjectum & Attributum in actu ſignato, in nulla diſciplina ſunt termini propoſitionum, præterquam in Logica. Similiter, cum ſubjectum & Attributum ſola ratione diſtinguuntur, non niſi in actu ſignato, Relata ſunt. Quis enim diceret *Ens* & *ſubſtantiam* eſſe Relata Angeli? Siquidem non ſunt *Ens* & *ſubſtantia* Angeli, magis quam lapidis: Suntque termini abſoluti. In actu vero ſignato, quatenus ſunt ſubjectum & Attributa, dici etiam poſſunt Relata realia. Ut enim unum alteri tribuitur, relationem ad ſeinvicem habent; Cujus fundamentum remotum eſt realis eorum identitas, propter quam Ens & ſubſtantia tribui poſſunt Angelo; proximum vero eſt actus mentis, aut ſermo externus, per quem ei tribuuntur. Utrum autem, propterea quod Relatio illa à cognitione noſtra oriatur, Relata Rationis, an Realia vocanda ſint, eſt quæſtio de voce, & nullius momenti.

II. Ad Minorem, Subjectum & Attributum, quoties Relata ſunt, Realia ſunt Relata. Ut primo, quando realiter adæquate diſtinguuntur à ſe invicem; prout in propoſitione vera negante ſæpius

pius contingit: Referuntur enim, in illo casu, ut diversa à se: licet non in actu exercito, sed signato. Nam *lapis* negatur de homine: non tamen ut lapis, refertur ad hominem, sed sub ratione *diversi*. Secundo cum realiter distinguuntur, sed inadæquate tantum: In quo casu attributum est concretum, cujus forma est modus, aut pars subjecti. Ex. gr. in his, *Homo est albus, doctus*, &c. *albus* & *doctus*, secundum formas suas sunt modi, prior quidem corporis, posterior mentis. Unde modi illi realiter referuntur ad hominem; & idcirco ipsa Attributa ratione formarum suarum, ad eum referuntur, nemine cogitante: Omnis enim modus refertur realiter ad suum subjectum: Similiter & in his, *Homo est corporeus, animatus, rationalis, intelligens*, &c. Attributa sunt concreta; et secundum id in illis quod rationem formæ sortitur, nempe *corpus, animam, rationem intelligentiam*, inadæquate distinguuntur ab homine: Cum autem omnia ad hominem realiter pertineant, eumque constituant, quidni sunt Relata ejus realia? Omnis enim pars refertur ad suum Totum, relatione reali.

Quæst. V. *Sintne termini propositionum Res, an voces an conceptus?*

Resp. Esse communiter Res, et rerum affectiones. Has enim illis, in propositionibus, tribuimus. Voces autem earum sunt signa. Dico *communiter*, quia aliquando termini sunt voces et conceptus, eorumq; attributa, nempe cum de vocibus et conceptibus agitur.

Quæst. VI. Utrum res ex se habeant esse terminos, an per intellectum.

Resp. Ex se aptæ sunt esse termini. Nec enim per vim ad statum illum trahuntur. Sed quod actu termini sint, ab intellectu, vel sermone est, vel utroque. Ex intellectu enim et sermone est, quod actu in propositionibus ordinentur.

Quæſt. VII. *An Mutatio copulæ, quoad ſitum, ſenſum propoſitionis immutet?*

Reſp. I. Cum termini propoſitionis ſunt res per ſe ſtantes, aut quæ ut tales ſpectentur; item cum neceſſario nexu cohærent, perinde eſt ad ſenſum, ubinam locetur copula, ſi modo ſubjectum ponatur ante attributum: Eundem enim ſenſum habent, *albedo color eſt, eſt albedo color,* ac *albedo eſt color.* Eundem etiam habent, *homo rationalis eſt, eſt homo rationalis,* ac *homo eſt rationalis.* Ratio eſt, quia è duabus rebus per ſe ſtantibus, aut quæ ut tales ſpectantur, una non afficit aliam, ut ipſi adjacens: adeoque periculum non eſt ne audiens utrumque pro uno termino complexo, & copulam pro verbo adjectivo accipiat: ut in his *albedo color eſt, Homo rationalis eſt,* quia cum omnis albedo ſit color, & omnis homo ſit rationalis, audiens non facile putabit *hominem* & *rationalem,* aut *albedinem* & *colorem* eſſe unum terminum complexum, aut unum aliquem hominem aut albedinem denotare, ab aliis diſtinctam. Si tamen ſubjectum non ponatur ante atributum, poteſt propoſitio ſenſum falſum ingerere audienti. Ut ſi dicas, *color albedo eſt,* vel *eſt color albedo:* hæ enim ſignificare poſſunt albedinem affirmari de colore, quod non intenditur.

II. Si termini contingenter cohæreant, pro ſitu copulæ varius eſſe poteſt ſenſus. Hæc enim *Homo mortuus eſt,* aliter ſignificare apta eſt, ac *Homo eſt mortuus* ſcilicet Hominem mortuum exiſtere, quod falſum eſt.

Quæſt. VIII Quid ſentiendum de doctrina Derodonis, qui Enunciationem dividit, primo in *Identificantem,* in quâ (inquit) *unum eſt aliud,* et *diſtinguentem,* in qua *unum non eſt aliud.* Unde oriri dicit diviſionem Enunciationis, in *affirmabilem,* in qua unum affirmari poteſt de alio, & *negabilem,* in quâ unum poteſt de alio negari. Res enim à parte rei ſunt affirmabiles, et negabiles. Deinde hinc

oriri

oriri ait divisionem Enunciationis in *Affirmantem*, & *Negantem*, quæ sunt conceptus mentis, (adde vel sermones oris) judicantes, vel enunciantes unum esse aliud, vel non esse. Denique, ex hac rursus oriri dicit divisionem Enunciationis, in *affirmatam*, et *negatam*, quæ est divisio Enunciationis *objectivæ*, per denominationem extrinsecam sic dictæ, à judicio mentis affirmante, et negante.

Resp. Quædam in Divisionibus istis reprehendenda sunt.

1. Divisio Enunciationis in *Identificantem*, et *Distinguentem*, non potest esse Divisio Enunciationis objectivæ, sed tantum mentalis, vocalis, vel scriptæ. Hæ enim sunt, non autem illa, quæ identificant, et distinguunt terminos. Quin nec illæ proprie identificant, (licet distinguant), sed tantum res ut easdem repræsentant.

2. Nec ulla propositio proprie affirmabilis, aut negabilis est. (Nisi quod una propositio de alia negari potest, quod Autor non intendit.) Sed tantum termini seu res, earumque affectiones, affirmabiles et negabiles sunt. Dicere autem propositionem affirmabilem esse, vel negabilem, eo quod attributum ejus affirmabile, vel negabile sit, est dura locutio.

3. Unde nec propositio ulla proprie affirmata est aut negata: sola enim attributa affirmantur, et negantur.

4. Pro Enunciatione igitur Identificante, et distinguente rectius per periphrasin dixisset *Enunciationem in qua unum repræsentatur ut idem cum alio, aut ut ab eo diversum.* Et dicendum, cum Logica communi, omnem propositionem esse affirmantem, vel negantem; nullam vero esse affirmatam, vel negatam, affirmabilem, vel negabilem. Propositio enim proprie vel est Judicium mentis, vel sermo oris.

Quæst. IX. *An sint propositiones Infinitæ, à negantibus distinctæ?*

Resp. I. Sunt quædam propositiones quæ negantes videntur, non tamen tales sunt. Ut *Adamus potuit non peccare. Æneas potuit non vincere Turnum.* Et apertius illæ in quibus attibutum negatum est Terminus negativus. Ut, *non omnis homo est cæcus, non omnis oratio caret venustate.*

II. Sed ille & istiusmodi non sunt infinitæ. Et duo priora exempla, per incogitantiam pro exemplis infinitæ, à *Burgersdicio* ponuntur, *Instit. lib.* 1 *cap.* 30. Est enim propositio infinita, quæ constat subjecto, aut attributo, seu nomine, aut verbo, vel utroque infinito, ut omnes concedunt. At hæ *Adamus potuit non peccare, Æneas potuit non vincere Turnum*, non constant toto attributo infinito. Totum enim attributum hic est *potens peccare*, & *potens vincere.* quibus idcirco, ut infinitæ fierent, nota negandi erat præfigenda.

III. Propositiones de attributo negato, sæpius coincidunt cum illis in quibus & copula negatur. Ut in exemplis proxime memoratis, & in modalibus, in quibus modus negatur, ex. g. *hominem currere est non necesse.*

IV. Nonnunquam tamen attributum negatum sumitur pro aliquo positivo. Ut *quidam non adeo divites sunt minime sordidi.* id est, *sunt culti,* aut *liberales.* Sed propositiones istiusmodi minus recte vocantur infinitæ: quia attributum negatum in iis non est infinitæ significationis.

V. Propositio infinita, si aliqua sit quæ sic vocari debet, non potest esse distincta ab affirmante & negante. Nulla enim est propositio quæ nec negat, nec affirmat. Utique vel statuit attributum esse idem aliquo modo cum subjecto, estque affirmans; vel esse ab eo diversum, & est negans.

DIS-

DISPUTATIO XXII.

De Veritate & Falsitate Propositionum.

Quæst. I. AN *omnis propositio sit vera, vel falsa.* Resp. Affirmative. Omnis enim propositio vel pronunciat ut res est,& sic est vera;vel aliter ac res est,& est falsa. Sed Sophismata quædam in partem oppositam sunt diluenda.

Obj. I. Qui dicit Antipodas esse, sed non credit, nec dicit verum nec falsum. Non verum, quia mentitur, nec falsum, quia dicit ut res est.

Resp. Dicit verum Logice, sed falsum Ethice. vide *Institut, part. com, cap.* 8. *sect.* 1.

Obj. II. Si quis dixerit *hæc propositio est vera,* nulla propositione indicata præter eam quam profert, nec verum dicit, nec falsum: Ergo quædam propositio nec est vera nec falsa.

Resp. Non sequitur, quia in eo casu, nulla est propositio, propter defectum subjecti. Voces enim quæ locum subjecti occupant, nempe *hæc propositio,* nihil significant.

Obj. III. Si quis nihil cogitans, dicat *ego nunc mentior,* propositio nec erit vera, quia loquens non mentitur; nec falsa, quia vere mentitur, dicendo se mentiri cum non mentitur.

Resp. Propositionem illam esse falsam; quia si loquens nihil cogitet, ut supponitur, non potest mentiri, seu contra mentem ire. Probatio in oppositam partem non concludit. Propositio enim illa non potest supra se reflectere. Et si reflecteret, in hunc sensum, ego mentior, dicendo me mentiri, si

loquens

loquens nihil cogitet ut ſupponitur, adhuc falſa eſt, quia non mentitur, ſed tantum falſum dicit. Idem exiſtimandum eſt de hac. *ego nunc dico falſum*, ex hypotheſi quod nihil aliud dicat. Tunc enim propoſitio nihil ſignificat, ob defectum objecti.

Obj. IV. Si Antonio demandata ſit cuſtodia pontis, ea lege, ut ſi quis ei falſum dixerit, in fluvium dejiciatur; & occurrat Socrates dicens, tu me dejicies in fluvium; ſupponamus etiam Antonium legem obſervaturum; propoſitio illa Socratis non erit vera, niſi Antonius eum dejiciat, quod ex lege facere non poteſt. Nec falſa, quia ſupponitur dejiciendum falſum dicere.

Reſp. Moleſtum eſt iſtud ſophiſma.

Reſp. Si Antonius Socratem iſtud dicentem non dejiciat, falſa eſt propoſitio; ſed tum ſuppoſitio eſt impoſſibilis, nempe dejiciendum eſſe qui falſo dixit ſe dejiciendum. Si dejiciat, propoſitio eſt vera, ſed lex non obſervatur. Breviter, una pars Hypotheſis, ſeu caſus dati, alteram evertit. Poſito autem impoſſibili, ſequitur impoſſibile.

Obj. V. Si propoſitio omnis vera ſit, vel falſa, vel talis eſt in principio, vel in medio, vel in fine.

Non in principio aut medio, quia in his nondum eſt propoſitio completa; Nec in fine, quia ſic non amplius eſt. Evanuit enim.

Reſp. Omnes voces, quibus propoſitio vocalis exprimitur, (de hac enim loquitur objectio; ſiquidem in judicio mentis non eſt principium, medium, & finis, quia totum in inſtanti peragitur), ſimul ſumptas, veritatem vel falſitatem ſignificare: ſed officium illud non præſtant in unico inſtanti. Quia enim eſt ſignum fluens per partes, non poteſt, in unico inſtanti, munus ſuum implere.

Quæſt. II. *An ſola enunciatio, ſeu Oratio enunciativa, verum vel falſum Logice, ſignificet?*

Reſp. Affirmative, ſi de expreſſa ſignificatione loqua-

loquamur. Sola enim talis oratio expresse statuit aliquid alicui convenire, vel non convenire.

Obj. I. Hæc Oratio *Utinam Petrus adesset*, vera est si loquens cupiat Petrum adesse, falsa autem si non cupiat. Non tamen est enunciativa, sed optativa.

Resp. Implicitæ, & virtualiter, est enunciativa, quatenus resolvi potest in hanc, *ego cupio Petrum adesse.*

Obj. II. Hæc, *si Petrus legeret, evaderet Doctus*, non est enunciativa, quia non est indicativi modi, vera tamen est vel falsa.

Resp. Virtualiter est indicativi modi. Æquivalet enim huic, *si Petrus leget erit doctus*, vel *probabile est eum fore doctum.*

Quæst. III. *An una & eadem propositio possit esse & vera, & falsa, eodem tempore.*

Resp. Negative. Ratio est, quia non potest eadem propositio, eodem tempote, esse & conformis objecto suo, & difformis.

Replicat *Comptonus*, respectu ejusdem objecti conceditur, respectu diversorum falsum est. Hæc enim propositio, *Petrus currit, Paulus loquitur*, Petro currente est vera, Paulo non loquente est falsa.

Resp. Contra; hic non est una propositio, sed plures. Non igitur mirum est si altera vera sit, altera falsa. At quæstio est de una sola. Quod si duæ illæ in unam compositam coalescant in hunc modum, & Petrus currit & Paulus loquitur, in eo casu licet Petrus currat, Paulo tamen non loquente, est tantum falsa. Ad veritatem enim propositionis copulativæ requiritur veritas omnium partium.

Obj. I. *Quidam homines sunt justi*; est vera, quia sic res est: & falsa quia quidam non sunt justi.

Resp. Negatur esse falsa, quia non loquitur nisi de justis, seu de quibusdam justis. Quidam enim qui non sunt justi, alii sunt, nec hic significantur.

Obj.

loquens nihil cogitet ut supponitur, adhuc falsa est, quia non mentitur, sed tantum falsum dicit. Idem existimandum est de hac. *ego nunc dico falsum,* ex hypothesi quod nihil aliud dicat. Tunc enim propositio nihil significat, ob defectum objecti.

Obj. IV. Si Antonio demandata sit custodia pontis, ea lege, ut si quis ei falsum dixerit, in fluvium dejiciatur; & occurrat Socrates dicens, tu me dejicies in fluvium; supponamus etiam Antonium legem observaturum; propositio illa Socratis non erit vera, nisi Antonius eum dejiciat, quod ex lege facere non potest. Nec falsa, quia supponitur dejiciendum falsum dicere.

Resp. Molestum est istud sophisma.

Resp. Si Antonius Socratem istud dicentem non dejiciat, falsa est propositio; sed tum suppositio est impossibilis, nempe dejiciendum esse qui falso dixit se dejiciendum. Si dejiciat, propositio est vera, sed lex non observatur. Breviter, una pars Hypothesis, seu casus dati, alteram evertit. Posito autem impossibili, sequitur impossibile.

Obj. V. Si propositio omnis vera sit, vel falsa, vel talis est in principio, vel in medio, vel in fine.

Non in principio aut medio, quia in his nondum est propositio completa; Nec in fine, quia sic non amplius est. Evanuit enim.

Resp. Omnes voces, quibus propositio vocalis exprimitur, (de hac enim loquitur objectio; siquidem in judicio mentis non est principium, medium, & finis, quia totum in instanti peragitur), simul sumptas, veritatem vel falsitatem significare: sed officium illud non præstant in unico instanti. Quia enim est signum fluens per partes, non potest, in unico instanti, munus suum implere.

Quæst. II. *An sola enunciatio, seu Oratio enunciativa, verum vel falsum Logice, significet?*

Resp. Affirmative, si de expressa significatione loqua-

loquamur. Sola enim talis oratio expresse statuit aliquid alicui convenire, vel non convenire.

Obj. I. Hæc Oratio *Utinam Petrus adesset*, vera est si loquens cupiat Petrum adesse, falsa autem si non cupiat. Non tamen est enunciativa, sed optativa.

Resp. Implicitæ, & virtualiter, est enunciativa, quatenus resolvi potest in hanc, *ego cupio Petrum adesse.*

Obj. II. Hæc, *si Petrus legeret, evaderet Doctus*, non est enunciativa, quia non est indicativi modi, vera tamen est vel falsa.

Resp. Virtualiter est indicativi modi. Æquivalet enim huic, *si Petrus leget erit doctus*, vel *probabile est eum fore doctum.*

Quæst. III. *An una & eadem propositio possit esse & vera, & falsa, eodem tempore.*

Resp. Negative. Ratio est, quia non potest eadem propositio, eodem tempote, esse & conformis objecto suo, & difformis.

Replicat *Comptonus*, respectu ejusdem objecti conceditur, respectu diversorum falsum est. Hæc enim propositio, *Petrus currit, Paulus loquitur*, Petro currente est vera, Paulo non loquente est falsa.

Resp. Contra; hic non est una propositio, sed plures. Non igitur mirum est si altera vera sit, altera falsa. At quæstio est de una sola. Quod si duæ illæ in unam compositam coalescant in hunc modum, & Petrus currit & Paulus loquitur, in eo casu licet Petrus currat, Paulo tamen non loquente, est tantum falsa. Ad veritatem enim propositionis copulativæ requiritur veritas omnium partium.

Obj. I. *Quidam homines sunt justi*; est vera, quia sic res est: & falsa quia quidam non sunt justi.

Resp. Negatur esse falsa, quia non loquitur nisi de justis, seu de quibusdam justis. Quidam enim qui non sunt justi, alii sunt, nec hic significantur.

Obj.

Obj. II. Hæc, *Omnes Cretenses sunt mendaces*, si veram esse supponamus, & proferri à Cretensi aliquo, erit simul vera, & falsa. Vera quia supponimus omnes Cretenses esse mendaces. Falsa vero, quia Cretensis eam proferendo verum dicit.

Resp. Hic etiam suppositio facta impossibilis est, & altera pars alteram evertit. Si enim omnes Cretenses essent mendaces, propositio illa non potest proferri ab ullo Cretensi, & si proferri posset à Cretensi, non omnes essent mendaces.

Quæst. IV. *Sitne veritas & falsitas propositioni intrinseca, & Essentialis?* Utrumque affirmat *Hurtado*. Nos breviter sic statuimus.

Thes. I. *Veritas & falsitas partim intrinseca est propositioni, partim extrinseca. Intrinseca,* quatenus dicit actum mentis hoc vel illo modo concipere seu repræsentare objectum: *Extrinseca,* quatenus objectum ita est, vel non est, ut repræsentatur. Prius actui essentiale est. Omnis enim actus judicii, de natura sua, repræsentat aliquid hoc vel illo modo esse. Posterius autem, nempe quod objectum ita sit vel non sit, est ei accidentarium.

Probatur. Omnis Relatio est partim intrinseca subjecto, quatenus importat ejus entitatem; partim extrinseca, quatenus connotat terminum. At veritas & falsitas sunt Relationes. Veritas enim est conformitas actus ad objectum. Falsitas est difformitas actus ab objecto. Hæ autem sunt relationes, ut per se patet. *Confirmatur.* Quomodocunque se habeat actus, nisi objectum sit prout ipse dicit, non erit verus. Et quomodocunque se habeat objectum, nisi actus tali modo ipsum repræsentet, non erit verus. Ex. g. Cartesius judicat *mundum esse indefinite extensum.* Hic actus repræsentat mundum indefinite extensum; jam, si mundus sit indefinite extensus, actus ille est verus. Dico igitur concurrunt ad veritatem actus istius, nempe quod repræsentet mundum ut indefinite

definite extensum, & quod mundus ita se habeat ut actus eum repræsentat. Et si alterutrum desit, actus ille non posset esse verus. Similiter de falsitate dicendum est.

Objicitur I. Si veritas aut falsitas sit partim intrinseca propositioni, sequetur objectum esse partem veritatis. At absurdum istud: Partim, quia objectum sæpe non existit, imo nec potest existere. De rebus enim non existentibus, & impossibilibus fiunt propositiones, tum veræ, tum falsæ. Partim quia sic, cum quis format propositionem falsam de Deo, dicendum esset Deum esse partem falsitatis. Propter hanc rationem monet *Comptonus* ut dicamus actum verum connotare objectum, non autem per ipsum constitui, ut per partem. Sed parum refert utrum dicamus objectum partem esse veritatis, & falsitatis, an non: Certum enim est objectum ad eam concurrere, ut terminus concurrit ad Relationem; an vero idcirco pars dicenda sit, est quæstio de voce *partis*. Sed rationes in oppositam, non urgent. Nam cum objectum propositionis non existit, est tamen illius negatio, quæ propositionem terminare potest, non minus quam res positiva. Et cum quis falso de Deo judicat, Deus non est pars falsitatis, sed id quod falso ei affingitur. Ut cum Sociniani negant Deum esse Trinum personis, pars falsitatis est negatio Trinitatis Deo afficta, non autem, Deus ipse.

Obj. II. Propositio quæ modo vera est, & eadem manet secundum entitatem, evadere potest falsa, ex sola mutatione objecti, et vicissim. Ergo veritas est unice ex objecto.

Resp. Misso nunc Antecedente (de quo quæstione sequenti) nego consequentiam. Quemadmodum non sequitur, manente circulo A, secundum totam entitatem, mutato autem alio circulo B, cui fuit

fuit æqualis, et ſimilis, circulus A evadit diſſimilis et inæqualis circulo B: Ergo ſimilitudo et æqualitas circuli A, ad circulum B, ante mutationem, oriebatur à ſolo circulo B. Ratio eſt quia veritas propoſitionis dicit et Entitatem actus, et concomitantiam objecti.

Obj. III. Propoſitio per ſuam Entitatem, nec eſt vera, nec falſa determinate. Quod igitur determinate vera ſit, vel falſa, à ſolo objecto eſt.

Reſp. Hic etiam ſequela nulla eſt. Quia licet ad veritatem vel falſitatem non ſufficiat entitas actus, ad eam tamen neceſſario requiritur, non minus quam ut objectum ſit prout actus ſtatuit.

Obj. IV. Propoſitio per ſe, vel repræſentat objectum ut eſt, vel aliter ac eſt. Ergo per ſe vel eſt vera, vel falſa, quomodocunque ſe habeat objectum. Ergo veritas eſt adæquate intrinſeca et eſſentialis propoſitioni.

Reſp. Diſtinguo primum conſequens, ergo propoſitio per ſe vel eſt vera, vel falſa, indeterminate, conceditur. Sicut omnis numerus per ſe vel eſt æqualis cuivis alteri, vel inæqualis. At non ſequitur eſſe determinate veram, aut falſam. Siquidem ad hoc neceſſarium eſt ut objectum ſit prout propoſitio dicit. Unde altera concluſio non ſequitur: Licet enim propoſitioni quæ dicit *Petrum currere*, eſſentiale ſit eſſe vel veram vel falſam indeterminate, ſive Petrus currat ſive non, quod tamen ſit vera potius quam falſa, ex eo partim ſaltem eſt, quod Petrus currat: et quod falſa ſit, inde ex parte eſt, quod non currat. Eademque propoſitio fieri potuit ſive cucurriſſet Petrus, ſive non. Et propoſitio per ſuam entitatem, ſeu Eſſentiam repræſentat quidem aliquod objectum, quod indeterminate vel eſt ut repræſentatur, vel non eſt: at quod objectum ſit vel non ſit, ut ipſa repræſentat, eſt ei plane accidentarium.

Obj. V. Veritas eſt perfectio judicii, & ſermo-
nis

nis Enunciativi, falsitas vero est imperfectio. Utraque igitur est judicio & sermoni intrinseca.

Resp. Non sequitur: quia non omne illud quod perfectionis & imperfectionis nomine venit, est intrinsecum rei cui convenit. Ut *prudens uxor* dicitur *corona viro*, à sapiente: viro tamen extrinseca est. Deinde veritas est perfectio actus, non absolute, sed prout occasio est alicujus boni inde secuturi. Nec est perfectio physica magis quam falsitas, sed tantum relativa, quatenus per eam actus conformatur objecto.

Obj. VI. Saltem propositio necessaria, vera sit, necessario vera est, & impossibilis necessario falsa est, necessitate absoluta; adeoque propositio necessaria est essentialiter vera, & impossibilis essentialiter falsa.

Resp. Sunt quidem propositiones necessariæ de essentiis suis veræ, & impossibiles essentialiter falsæ. Veritas tamen et falsitas non sunt iis adæquate intrinsecæ, sed partim oriuntur ex objectis. Si enim objecta aliter se haberent, possent propositiones quæ de iis modo veræ sunt, non esse veræ, et quæ modo falsæ, sunt, non esse falsæ.

Inst. At omnis essentia rei est intrinseca.

Resp. Essentia rei absoluta, est intrinseca: at Essentia Relationis, qualis est veritas, et falsitas, partim intrinseca est subjecto, partim extrinseca.

Interim tamen veritas et falsitas, licet differentiæ essentiales ptopositionum forent, non essent primæ differentiæ, sed secundæ tantum, seu consequentes. Prima enim differentia est, repræsentare aliquid alicui convenire, vel non convenire. Ex qua sequitur veritas, et falsitas, prout objectum est, vel non est.

Quæstio V. *An propositio mutari possit de vera, in falsam, aut vicissim?*

Respondemus his Thesibus.

Thes.

Thes. I. *Propositio vocalis non potest mutari de vera in falsam, aut vicissim.* Ratio est, quia, cum natura sua transiens sit, durare nequit, dum objectum mutetur, ut ex mutatione illa fiat falsa. Quod si in eodem instanti, quo absolvitur propositio, objectum mutetur, (ut si in eodem instanti quo quis dicit Petrum sedere, Petrus surgat), propositio quæ alias vera esset, est falsa: sed non mutatur in falsam. Et similiter quæ falsa esset, est vera, si contra eveniat.

Thes. II. *Nulla propositio de materia necessaria, aut impossibili, mutari potest de vera in falsam, aut vicissim.*

Patet quia sic mutari nequit propositio, nisi mutetur objectum. At objectum propositionis necessariæ, et impossibilis, mutari nequit. Unde propositiones illæ dicuntur *æternæ veritatis,* et *falsitatis.*

Sed de propositione scripta, et mentali, seu actu judicii, in materia contingenti, sive mutabili, quæstio est. In qua varie sentiunt scriptores. Et supponere omnes videntur, eundem numero actum mentis durare posse, et sæpius durare pro tempore aliquo divisibili, nec in instanti transire. Si enim pro unico instanti tantum esset in mente, (ut in unico perfici videtur), facilis esset quæstionis resolutio: scilicet actum non durare, dum, mutato objecto, mutetur de vero in falsum, aut vicissim. Et suppositio satis videtur probabilis. Certum enim est per experientiam communem, mentem sæpius in ejusdem veritatis contemplatione, pro tempore divisibili immorari. Nec constat eam, illo in casu, singulis instantibus, eundem actum repetere: Nec multiplicandi sunt actus sine necessitate.

Quidam igitur negant actum verum judicii, in ulla materia, mutari posse de vero in falsum, aut de falso in verum. Et affirmant omnem actum judicativum, qui semel verus est, semper esse verum, et omnem qui falsus est, semper esse falsum. Sic

Arriaga & *Comptonus*. Idem tenentur asserere de propositione scripta.

Alii distinguunt. Et ex his quidam dicunt quosdam actus mentis significare instans, vel tempus in quo objectum est vel non est; ex. g. hunc, *Petrus nunc dormit*; & fatentur actus ejusmodi non posse transire de veris in falsos, aut vicissim. Alios esse qui tempus non significant, in quo res est, vel non est, sed tantum attributum aliquod convenire subjecto, vel non convenire. Et hos dicunt esse mutabiles, quoad veritatem & falsitatem. Alii vero, ut refert *Comptonus*, dicunt actum obscurum posse mutare objectum. Ex. g. hunc, aut similem, *Petrus peccat*. Dicunt enim eum in primo instanti, in quo formatur, repræsentare instans A, in secundo instans B, & sic deinceps. Si igitur Petrus in primo instanti peccat. & desinat peccare in secundo, in primo instanti est verus, et in secundo falsus. His igitur prænotatis, sit

Thes. III. *Idem numero actus judicii, licet de re contingenti, nequit mutari de vero in falsum, aut vicissim.* Patet.

I. Quia judicium quo quis dicit *Petrus loquitur*, significat Petrum in eo instanti loqui, in quo judicium illud fertur. Hoc autem semper postea verum est. Nec in sequenti instanti, si duret, Petro tacente, est falsum. Quia in sequenti instanti non dicit Petrum loqui pro sequenti instanti. Sic enim non esset idem judicium singulare, quod fuit in primo instanti, sed aliud. Siquidem aliud haberet objectum, nempe loquelam Petri in instanti secundo. At objectum mutare non potest. Sic enim mutaret essentiam. Siquidem de essentia sua est repræsentatio hujus objecti.

Dices rationem illam concludere, de actu judicii, circa res successivas, qualis est *loquela*. *cursus*, &c. Actus enim istiusmodi in secundo instanti, novum

haberent objectum, nempe novam partem loquelæ quæ in secundo instanti peragitur. Sed si actus sit de re permanente, (ut si quis dicat *Petrus sedet*, & actum continuet per tria instantia,) objectum erit plane idem. Unde si existat in primo instanti actus in eo instanti erit verus; & si in secundo non existat, in eo actus erit falsus.

Resp. Fatemur majorem longe fore mutationem objecti in judicio de re successiva, quam de re permanente. Quia in priori mutaretur tum objectum principale, tum tempus adsignificatum, cum in posteriori solum posterius mutaretur. Sufficit tamen hæc mutatio, ut actus in secundo instanti, alius sit quam fuit in primo. In primo enim repræsentabat tantum Petrum sedere in primo instanti. Aliud autem est Petrum sedere in primo instanti, aliud eum sedere in secundo. Hoc est aliud est sessionem coexistere uni instanti, aliud eam coexistere alteri, licet sessio ipsa ex se, in utroque eadem sit.

Nec dicas cum iis qui partem oppositam tenent, quasdam propositiones nullum tempus adsignificare, sed tantum connexionem terminorum. Quia omnis propositio aliquo modo significat tempus: nempe vel omne tempus, si propositio necessaria, vel impossibilis sit, vel aliquam partem temporis, si contingens; eamque vel determinatam, vel indeterminatam, præsentem, præteritam, vel futuram. Et audientes semper intelligunt aliquod tempus, præsertim in propositione contingenti: ut cum audiunt hanc propositionem *Petrus sedet*, intelligunt eum nunc in præsenti sedere, cum audiunt hanc *Petrus sedebit*, intelligunt eum sessurum esse pro aliquo tempore futuro. Perinde autem est quam partem temporis propositio adsignificet; quia si pro quovis tempore verum sit aliquid esse, semper verum est illud pro eo esse.

II. Si

II. Si propositio posset mutari de vera in falsam, ob mutationem in objecto, sequeretur magnam partem Scripturæ sacræ nunc esse falsam. Tota scilicet illa quæ prædictiones jam impletas exhibet. Ex. g. illa quæ temporibus Apostolorum significabat Antichristum esse futurum. Objectum enim jam mutatum est: hoc est Antichristus qui tempore Pauli erat futurus, nunc non est futurus.

Patet consequentia. Quia par omnino ratio est inter has propositiones, *Petrus sequenti instanti loquetur*, & *Antichristus est futurus*, quoad mutabilitatem, sesecundum veritatem, aut falsitatem: Sicut enim dicunt Adversarii hanc propositionem *Petrus in instanti sequenti loquetur*, si perseveret in mente formantis ad tertium instans, & Petrus tunc loqui desinat, falsam esse in tertio instanti; eodem plane modo dicere debent hanc propositionem, *Homo peccati revelabitur*, quæ fuit vera ætate Pauli, nunc esse falsam.

Dices forte, Quomodo constat hanc propositionem nunc esse veram, quandoquidem homo peccati jam revelatur, non autem est revelandus?

Resp. Quia propositio illa non dixit Antichristum revelandum esse post nostram ætatem, sed post ætatem Pauli. Hoc autem semper verum est.

Ex his obiter percipere licet, quid sit propositionem esse de præsenti, præterito, & futuro. Scilicet propositio de præsenti dicitur, cum res est, vel non est, prout in propositione dicitur, eo ipso tempore quo propositio formatur: de præterito, cum res tempore antecessit: de futuro, cum res sequetur.

Inferes autem, propositionem quæ durat pro tribus instantibus in quibus etiam objectum manet immutatum, veram vel falsam esse, tantum respectu primi instantis, quo dicit objectum hoc vel illo modo esse, non autem ratione secundi, aut tertii. Ut hæc, *Petrus sedet*, posito quod sessionem continuet per

tria instantia, vera est ratione primi duntaxat instantis. Pro eo enim solo propositio dicit eum sedere, nunquam autem postea dicit eum sedere pro alio. Sic enim non esset eadem propositio, contra hypothesin.

Obj. I. Mutato objecto propositionis, veritas & falsitas ejusdem mutatur. Nam veritas & falsitas oritur ex objecto, ut præcedenti quæstione ostendimus: At si quis continuet hanc propositionem in mente sua, *Petrus sedet per quadrantem horæ.* & Petrus, licet in initio illius quadrantis sedeat, postea tamen surgat, priusquam quadrans transeat, propositio illa in initio quadrantis erit vera, postea vero, cum Petrus surrexit, est falsa: difformis enim est objecto, & dicit Petrum sedere, quando non sedet: Mutatur igitur de vera in falsam.

Resp. Disting. Maj. Mutato objecto propositionis quoad repræsentationem, hoc est si propositio aliud objectum, aut idem aliter repræsentet, mutatur veritas vel falsitas, esto. At non mutatur ex eo quod objectum mutetur secundum esse reale. Sicut non mutatur imago, vel statua Cæsaris juvenis aut viventis, ex eo quod Cæsar postea senio confectus, aut mortuus sit. Semper enim repræsentat Cæsarem qualis fuit dum juvenis esset, & dum viveret. Nec consilium pictoris aut statuarii fuit aliud repræsentare. Ad confirmationem dicimus, veritatem & falsitatem non alio modo oriri ex objecto, quam quod propositio vera sit, vel falsa, ex eo quod objectum sit, vel non sit, prout propositio dicit Non enim oritur falsitas in eadem propositione quæ fuit vera, aut veritas in eadem quæ fuit falsa, ex mutatione objecti secundum esse reale. Unde ad minorem dicimus, in casu facto, cum Petrus surgit, propositionem quæ in initio dixit Petrum sedere, non dicere eum sedere cum surgit, sed tantum pro instanti in quo sedebat. Nec proinde difformis est suo objecto, quia sessio

Petri

Petri ficta, ac si sederet cum stat, non est ejus objectum, sed vera sessio, quam habuit in initio: Nec objectum illud unquam mutat.

Sed urgebis, propositio illa in secundo instanti suæ durationis, vel repræsentat Petrum sedere in illo instanti, vel in primo, vel in nullo. Si in secundo, tum, posito quod in illo Petrus surrexit, mutatur in falsam. Si in primo, tum repræsentabit sessionem præteritam; cum in initio repræsentabat præsentem. In secundo enim instanti quo durat propositio, non est verum Petrum sedere, sed sedisse. Propositio igitur ut vera sit in secundo instanti suæ durationis, mutare debet objectum, quod est contra nos.

Resp. Propositio illa, in secundo instanti, solum repræsentat Petrum sedere in primo instanti quo ipsa formatur. Nec tamen mutat objectum. Non enim repræsentat sessionem Petri ut præteritam reduplicative, sed tantum sessionem quæ est præterita specificative, qualis fuit dum erat præsens, ut supra de imagine Cæsaris diximus. Quod autem sessio illa sit præterita, per accidens est ad repræsentationem quam propositio facit.

Obj. II. Communiter agnoscitur inter homines, id quod hodie verum est, cras esse falsum, & vicissim.

Resp. Dictum illud non significat eandem numero propositionem esse veram hodie, & falsam cras: sed vel id quod hodie est, cras non esse; & quod hodie non est, cras futurum esse: vel id quod per unam propositionem, hodie vere dicitur, per aliam omnino similem, de simili plane objecto, cras falso dici. Reliqua facilius solvuntur, & videas, si vis, soluta ab *Arriaga* & *Comptono*.

Quæst. VI. *An eadem numero propositio possit esse simul vera, & falsa?*

Resp. Negative. Quia eadem propositio vel est

conformis objecto, & sic est tantum vera; vel non est conformis, & sic est tantum falsa.

Respondet *Comptonus*, (is enim de hac veritate ab omnibus agnita dubitare se drofitetur) *Log. disp.* 45. *Sect.* 5. *Conformis est, & difformis, respectu diversorum objectorum, licet non respectu ejusdem. Ut cum quis dicit, Petrus currit, Paulus loquitur, nec per actum copulative, sed disparate fertur in duo illa objecta, in eo casu, Petro currente, Paulo autem non loquente, actus est simul verus, & falsus, seu partim verus, partim falsus.*

Resp. In casu dato, sunt duæ propositiones, quarum altera vera est, altera falsa. Et concedit Comptonus propositionem illam esse virtualiter duplicem. Una autem esse nequit, quia partes ejus nulla unionis nota cohærent.

Quæst VII. *An Una Propositio sit verior, aut falsior altera?* Negant plerique, Nos vero non videmus cur negetur. Potest enim una propositio esse magis conformis objecto: illa scilicet quæ totam veritatem, quam quæ partem tantum enunciat. Ut si viginti homines currant, verius loquitur, qui dicit novemdecem currere, quam qui duos vel tres. Et verius loquitur qui dicit omnes homines esse mortales, quam qui quosdam tantum.

Dices propositio quæ, viginti currentibus, duos currere affirmat, tam conformis est suo objecto, quam quæ novemdecem, suo.

Resp. Verum quidem est tam vere priorem repræsentare duos currere, quam posterior repræsentat novemdecem currere. Hinc tamen non sequitur utramque æque veram esse. Quia veritas non æstimanda est ex sola conformitate propositionis ad rem, in quantum repræsentatur, sed etiam in quantum est in se. Unde verior est propositio quæ magis dicit ut res est, seu quæ ei magis adæquatur.

Obj. I. *Comptonus, Log. disp.* 45. *sect.* 6. primo *repræsentare rem sicuti est, consistit in indivisibili. Si enim actus*

actus vel minimum addat, vel demat, non repræsentat rem sicuti est. Item, *si duæ lineæ sint omnino rectæ, non potest una rectior esse alia; sed veritas est linea intentionalis omnino recta.*

Resp. Neg. Anteced. una cum confirmatione. Representare enim rem uti est, latitudinem admittit, poteſtque quis in repræsentando addere vel demere, non quidem negando aliquid quod ei convenit, sed plus vel minus reptæsentando, ut in exemplis supra datis. Instantia rectitudinis in lineis non quadrat. Licet enim vera propositio nihil habeat falsitatis, & eatenus rectæ lineæ congruit, quæ omnem curvitatem excludit, habet tamen nunc plus nunc minus veritatis, prout plus vel minus repræsentat de eo quod rei convenit.

Obj. II. *Veritas est adæquatio actus ad objectum. At non potest unus actus magis adæquari objecto, quam alius.* Ultra enim *adæquationem* nihil est.

Resp. Veritas consistit in conformitate ad objectum, quantacunque, sine difformitate: non autem in adæquatione, nisi per eam conformitas simplex intelligatur. Multi enim vere loquuntur de re quam tractant, qui tamen in eo peccant quod non loquantur *adæquate*.

Inst. Omnis propositio vera repræsentat totum quod est illius objectum. Et licet una sit plenior declaratio alicujus rei, quam alia, non tamen est verior. Ut tam vera est propositio quæ dicit *Deum esse omnipotentem*, quam quæ dicit *esse spiritum immensum, æternum, immutabilem, omnipotentem, & sapientissimum.*

Resp. I. Omnem propositionem repræsentare totum id quod ejus objectum est, nihil aliud dicit quam repræsentare totum quod repræsentat.

II. Plenior declaratio rei est etiam verior *extensive,* quia plures veritates de re exhibet, licet *intensive*, seu quoad præcisam Essentiam veritatis, non

ſit verior. Ex quo tamen non ſequitur non eſſe veriorem abſolute. Alioqui poſſet quis arguere, diluculum non continere plus lucis, quam meridiem, quia minima pars lucis eſt lux.

De Propoſitione falſa res evidentior eſt. Una enim magis difformis eſt ſuo objecto, quam alia ſuo; idque ſumendo objecta utriuſque in quantum duntaxat repræſentantur. Ut magis diſſentit à ſuo objecto, quæ dicit *mille hominum ſimul currere*, duobus tantum currentibus, quam quæ *tres*. Plures enim falſitates effert, & plura objecta fingit. Quid autem aliud eſt propoſitio falſa, quam imaginari aut pronunciare id quod non eſt?

Objicit *Comptonus*, ſupra I. *Hæc Propoſitio* omnes homines currunt, *uno tantum non currente, tam falſa eſt ac uno tantum currente.* Ratio eſt, *quia omnes homines hic conſiderantur, prout in unum copulantur in curſu. Unde, uno non currente, tollitur copulatio, & veritas.* Addi poteſt, tot falſitates dicere qui dicit omnes currere, uno ſolo currente, quam qui idem dicit, omnibus currentibus præter unum. Poſterior enim tot falſitates dicit, quot ſunt homines. Dicit enim unum qui non currit conjunctum eſſe, in curſu, cum unoquoque reliquorum qui currunt. Prior autem plures falſitates non continet.

Reſp. Uno tantum non currente, propoſitio tam falſa eſt, quoad abſolutam eſſentiam falſitatis, quam nullo præter unum currente. Non tamen quoad gradum, de quo procedit quæſtio. Et licet in priori caſu, tot ſint falſitates, quot ſint homines, quia unus noncurrens conjungitur, in negatione curſus,cum reliquis omnibus currentibus; multæ tamen veritates dicuntur,nempe omnes currere præter unum. In poſteriori autem omnes falſitates reperiuntur quæ ſunt in priori, & nihil veritatis, præterquam de uno.

Inſt. At ſic, eadem propoſitio erit ſimul vera,& falſa, reſpectu diverſarum partium objecti, quod ſupra negavimus.

Resp. Solum negavimus propositionem quæ dispa- rate fertur in plura objecta, esse unam. Hic autem sermo est de propositione quæ copulativæ æquipollet; qualis est omnis universalis. Addimus etiam propositionem ejusmodi, licet objectum partim sit ut ipsa dicit, partim non, absolute esse falsam; non autem veram. Quia veritas est perfectio propositionis; & requirit totalem conformitatem ad suum objectum. Falsitas vero est malitia quædam, quæ ex quavis difformitate oriri potest.

Quæst. VIII. *An Propositiones de futuro contingenti, sint determinate veræ, vel falsæ.* Hoc est, an è duabus contradictoriis de futuro contingenti, ex. g. *Socrates cras disputabit, Socrates non cras disputabit*, altera determinate vera sit, altera falsa. Negat *Aristoteles*, de *Interp. cap.* 9. Solum enim vult alteram ex his indeterminate, esse veram, alteram vero falsam: eo modo quo verum est *alterum oculorum esse necessarium ad videndum*; scilicet alterum indeterminate. Neuter enim determinate, hoc est nec dexter, nec sinister, necessarius est. De veritate et falsitate harum propositionum quoad nos, non quæritur. (Omnes enim concedunt, nos non certo scire posse, utra ex ejusmodi propositionibus determinate, sit vera, vel falsa;) sed tantum ut sunt in se. Omnes Philosophi Christiani hic Aristotelem deserunt, etiam illi qui, in aliis, maxime sunt Aristotelici, quorum adeo est.

Thesis. *Propositiones de futuro, quantumvis contingenti, sunt determinate veræ, vel falsæ.* Ex. g. Altera determinate, ex his, *Socrates disputabit cras, Socrates non disputabit cras*, est vera, altera falsa. Ratio est.

1. Quia altera ex his determinate, ita pronunciat ut res erit, altera non; scilicet, vel illa quæ dicit Socratem cras disputaturum, vel illa quæ negat. Alterum enim ex objectis determinate, futurum est.

2. Deus, per suam præscientiam, videt alterum ex his objectis determinate, esse futurum. Adeoq; novit alteram ex propositionibus quæ de iis fiunt, esse veram, alteram esse falsam; & quænam illa sit. 3. E

3. E duabus contradicentibus, de præſenti, altera determinate vera eſt, altera falſa; Ergo idem dicendum de iis quæ ſunt de futuro. Patet conſequentia; quia quod nunc præſens eſt, fuit ante futurum; et quod nunc futurum eſt, aliquando erit præſens. Et quod nunc non præſens eſt, non fuit nunc eventurum; ſicut & quod nunquam erit præſens, non eſt omnino futurum. Ergo, ſi hodie determinate verum ſit, *Socrates diſputat*, heri determinate verum fuit, *Socrates cras diſputabit*. Et ſi hodie de verum determinate ſit, *Socrates non diſputat*, heri etiam verum fuit *Socrates cras non diſputabit*. Nec opus eſt pluribus argumentis.

Obj. I. Si altera ex his propoſitionibus ſit determinate vera, altera falſa, ſequetur alteram eſſe neceſſariam, alteram impoſſibilem. Illi enim quæ vera eſt, non poteſt eſſe falſa: & illa quæ falſa eſt, non poteſt eſſe vera. Item ſequeretur res contingentes neceſſario evenire, vel non evenire. Et tolleretur omnis contingentia. Scilicet ſi hoc unum determinate verum eſt, hodie *Socrates cras diſputabit*; vel ſi oppoſitum determinate falſum ſit, actus diſputandi neceſſario eveniret, aut negatio illius neceſſario obtineret.

Reſp. Neutrum ſequi. Quia propoſitiones illæ neceſſario veræ vel falſæ ſunt, neceſſitate non abſoluta, ſed hypothetica tantum. Si enim Socrates cras diſputaturus eſt, neceſſario diſputaturus eſt, non propter connexionem eſſentialem, aut naturalem, inter Socratem & actum diſputandi, ſed præciſe quia determinabit ſe libere, & contingenter, ad diſputandum, cum poſſet ſi vellet (poſſetque etiam velle) ad actum illum ſe non determinare. Et ſimiliter dicendum eſt de altera parte. Nec ex eo quod futurum ſit eum diſputare, major oritur neceſſitas diſputandi, quam ex eo quod actu diſputet de præſenti. Unde propoſitiones illæ ſunt omnino con-

tingentes,

tingentes, nec contingentia eventuum tollitur. Necessitas enim illa cum contingentia amice consentit. Sicut & necessitas illa per quam res contingens est contingens.

Obj. II. Sequetur alteram ex istis propositionibus veram fuisse ab æterno, adeoque esse æternæ veritatis, & omnino necessariam.

Resp. Veram fuisse ab æterno nihil est absurdi: & eatenus quidem dici potest esse æternæ veritatis. Interim tamen talis non dicitur. Quia illa sola propositio æternæ veritatis vocatur, in qua attrbutum immutabiliter, ex intrinseca natura sua, postulat inesse subjecto: sive cujus termini essentiali nexu cohærent: quod de propositione contingenti, licet ab æterno vera fuerit, dici non potest.

Obj. III. Futurum contingens est indifferens ad esse, & non esse. Ergo etiam propositio de eo, indifferens est ad veritatem, vel falsitatem. Nec proinde determinate vera est, vel falsa.

Resp. Futurum contingens est indifferens ad esse, & non esse, quoad modum procedendi à causa sua; scilicet quatenus contingenter aut libere ab ea oritur: Sicut & res contingentes. cum actu existunt, indifferentes sunt ad existendnm, vel non, ratione modi quo à causis profluunt. At ex hypothesi quod futurum sit, hoc est quod causa ejus se determinaturus sit, ad illud producendum, eatenus non est indifferens ad esse, vel non esse, sed determinatum ad esse futurum.

Obj. IV. Per hanc quæstionis resolutionem, tollitur libertas voluntatis humanæ. Si enim Socrates determinate disputaturus sit cras, non est in arbitrio ejus disputare, vel non.

Resp. Non sequitur. Quia licet determinate futurum sit Socratem disputaturum cras, verum tamen est eum libere disputaturum; seu ita se applicaturum ad actionem disputandi, ut posset se non

applicare. Nec futuritio antecedens cogit aut determinat voluntatem ipsius ad unam partem, magis quam ad aliam. Quin quia libere determinaturus est se ad disputandum, ideo futurum est ut cras disputet.

Obj. V Frustraneæ essent admonitiones, Consilia, deliberationes, conatus, &c. Si enim determinate verum sit Socratem cras disputaturum esse, frustra est eum hortari ad disputandum, frustra deliberabit de disputando, frustra studiis incumbit, argumenta excogitat, &c.

Resp. Neg. Conseq. Quia ex hypothesi quod disputaturus sit, necessarium est ut omnia media ad disputandum necessaria ponantur. Adeoque ut, si aversus sit, per hortationem excitetur, si non sit paratus, ut se præparet, &c.

Obj. VI. Solum verum est Socratem cras disputaturum, vel non. At hoc est alterum indeterminate tantum esse verum, non autem alterum determinate.

Resp. Negando minorem. Quia licet inter hæc duo nihil sit medii, & necesse sit alterum esse, alterum tamen determinate erit verum: Sicut, licet verum nunc sit, *vel dies est, vel nox est,* alterum tamen determinate est. Non autem alterutrum indeterminate.

Inst. Alterum determinate esse, est vel hoc vel illud determinate esse; at hoc vel illud determinate esse, est alterum indeterminate esse: Ergo alterum determinate esse, est alterum indeterminate esse, quod implicat.

Resp. Ad minorem hoc vel illud determinate esse, est alterum indeterminate, quoad nos, seu in nostro conceptu, esse; non autem à parte rei. Adeo ut altera ex propositionibus prædictis determinate, in se semper vera sit, licet non determinate nobis constet, utranam illa sit.

Eodem modo de propositionibus de futuro contingenti conditionalis statuendum est: ex. g. de his *Si Petrus cras tentabitur peccabit; Etiamsi cras tentabitur*

Petrus,

Petrus non peccabit. Nec enim conditio ullum discrimen facit, inter illas, & propositiones absolutas, quoad veritatem, & falsitatem.

Obj. II. Hæ propositiones, *Si Canis latraverit, aquila volabit, si Papa legerit, Turca ridebit.* & similes, nec sunt determinatæ veræ, nec falsæ. Latratus enim canis nec infert volatum aquilæ, nec eum impedit, & sic de cæteris.

Resp. Si propositiones illæ accipiantur in sensu causali, seu illativo, quomodo communiter accipi solent, sunt determinate semper falsæ. At si solum denotent concomitantiam rerum ratione temporis, sunt determinatè veræ, vel falsæ, prout res; ex accidenti, simul tempore contingunt, vel non. Ut si cum Papa legit, Turca ridet, propositio erit determinate vera; si non ridet, erit determinate falsa. Alterum autem determinate necessario futurum est, nempe vel Turcam risurum cum Papa legit, vel non risurum cum Papa legit, licet necessitate hypothetica.

DISPUTATIO XXIII.

De Reliquis Affectionibus Propositionis.

Quæst.I. AN recte divisa sit propositio, in *Universalem, particularem, singularem, & indefinitam.*

Respondetur communiter affirmative. Demonstratur sic. Subjectum principale propositionis vel est singulare, vel universale: nec enim invenitur tertium. Si prius, propositio est singularis; ut *Aristoteles fuit vir ingeniosissimus.* Si posterius, vel accipitur

pro

pro omnibus quæ in extensione sua continentur; estque propositio Universalis; ut *omnis homo est rationalis, nulla bestia est rationalis:* vel pro parte tantum, una, vel pluribus; ut *aliquis homo fuit expers peccati, quidam homines sunt liberales*; Et omnes ejusmodi propositiones Particulares vocantur. Vel denique accipitur secundum naturam tantum, nulla habita ratione extensionis: ut *Homo est creatura fragilis. Justitia est virtus pulcherrima.*

Obj. Sunt propositiones quæ ad nullam ex his revocari possunt: illæ scilicet in quibus subjectum universale in majori parte accipitur, ex. g. *plerique homines sunt mali.* Nec enim istæ Universales sunt, ut per se patet. Nec sunt proprie particulares: hæ enim in sermone stricto, semper loquuntur de uno singulari, vel de pluribus determinatis; & notis, *aliquis*, vel *aliqui, quidam, nonnullus, nonnulli*, indicantur.

Resp. Ad hanc & alias eodem tendentes Objectiones, perinde est sive dicas, præter quatuor illas species, esse nonnullas alias; illas scilicet quæ loquuntur de *multis*, & *paucis*, de *plerisque*, & *pene omnibus*. Sive distinguas propositiones particulares, in illas quæ de uno, aut pluribus, indeterminate loquuntur, & in illas quæ de pluribus, infra omnes, cum aliqua determinatione; ut de multis, paucis, plerisque, & pene omnibus. Quanquam hæ minus recte particulares vocantur.

Quæst. II. *An Propositio Indefinita, in Materia Necessaria, sit Universalis, in Contingenti vero particularis?* Communiter affirmant Logici. Nos sic respondemus.

I. Licet *Propositiones indefinitæ*, in Materia Necessaria, Notam Universalitatis plerumque admittant, *non* tamen *eodem* plane, *sensu sunt cum Universalibus.* Ut non idem sonat, *Spiritus percipit*, & *omnis Spiritus percipit.* Posterior enim repræsentat omnes spe-

cies

cies, & omnia individua Spiritus, prior non item.

II. *Propositio Indefinita, in materia contingenti, quandoque in Universalem transformari potest:* ut *Homo post lapsum factus est peccator, & morti obnoxius. Qui vere credit in Jesum Christum salvabitur.*

III. Sed *neque, ubi solam notam particularitatis capiunt, eodem sensu sunt cum particularibus.* Ut non idem sonat *Homo est Grammaticus,* & *aliquis homo est Grammaticus.* In priori enim solum significatur, Grammaticam convenire naturæ Humanæ; & idcirco vi illius non potest audiens certo intelligere, utrum omnis Homo sit Grammaticus, an aliquis tantum. In posteriori vero indicatur, Grammaticam convenire uni homini indeterminato.

IV. *Quædam Propositiones indefinitæ in Materia contingenti, exponendæ sunt per illas, quæ sunt de majori, vel maxima parte;* nec sunt particulares: ut *Hispani sunt Zelotypi, & suspicaces, Germani proceri, Galli agiles, & Gesticulosi.* Nemo enim ferret eas exponi per particulares; scilicet, *quidam Hispani sunt Zelotypi,* & *suspicaces, quidam Germani sunt proceri.*

V. *Neque omnis propositio indefinita in Materia Necessaria admittit Universalitatem.* Ut nominatim illæ in quibus aliquid effertur de rebus ut sunt communes pluribus. ex g. cum dicimus *hominem esse speciem. animal esse genus. Homo* enim necessario aptus est multiplicari, & esse communis pluribus singularibus. Non tamen verum istud est de omnibus hominibus, sive distributive, sive collective sumptis.

Quæst. III. *An Attributum quod ex se Universale est, Universalitatem retineat in propositione?* Quæstionem hanc, ait *Comptonus*, præcipue esse circa prædicationem Attributi Universalis de Individuo; ut cum *homo* affirmatur de Petro. In qua quidam dicunt attributum evadere singulare: alii dicunt manere Universale. Nos sic statuimus.

Thes.

pro omnibus quæ in extensione sua continentur; estque propositio Universalis; ut *omnis homo est rationalis, nulla bestia est rationalis*: vel pro parte tantum, una, vel pluribus; ut *aliquis homo fuit expers peccati, quidam homines sunt liberales*; Et omnes ejusmodi propositiones Particulares vocantur. Vel denique accipitur secundum naturam tantum, nulla habita ratione extensionis: ut *Homo est creatura fragilis, Justitia est virtus pulcherrima.*

Obj. Sunt propositiones quæ ad nullam ex his revocari possunt: illæ scilicet in quibus subjectum universale in majori parte accipitur, ex. g. *plerique homines sunt mali.* Nec enim istæ Universales sunt, ut per se patet. Nec sunt proprie particulares: hæ enim in sermone stricto, semper loquuntur de uno singulari, vel de pluribus determinatis; & notis, *aliquis*, vel *aliqui, quidam, nonnullus, nonnulli*, indicantur.

Resp. Ad hanc & alias eodem tendentes Objectiones, perinde est sive dicas, præter quatuor illas species, esse nonnullas alias; illas scilicet quæ loquuntur de *multis*, & *paucis*, de *plerisque*, & *pene omnibus*. Sive distinguas propositiones particulares, in illas quæ de uno, aut pluribus, indeterminate loquuntur, & in illas quæ de pluribus, infra omnes, cum aliqua determinatione; ut de multis, paucis, plerisque, & pene omnibus. Quanquam hæ minus recte particulares vocantur.

Quæst. II. *An Propositio Indefinita, in Materia Necessaria, sit Universalis, in Contingenti vero particularis?* Communiter affirmant Logici. Nos sic respondemus.

I. Licet *Propositiones indefinitæ*, in Materia Necessaria, Notam Universalitatis plerumque admittant, *non* tamen *eædem* plane, *sensu sunt cum Universalibus*. Ut non idem sonat, *Spiritus percipit*, & *omnis Spiritus percipit*. Posterior enim repræsentat omnes species;

cies, & omnia individua Spiritus, prior non item.

II. *Propositio Indefinita, in materia contingenti, quandoque in Universalem transformari potest:* ut *Homo post lapsum factus est peccator, & morti obnoxius. Qui vere credit in Jesum Christum salvabitur.*

III. Sed *neque, ubi solam notam particularitatis capiunt, eadem sensu sunt cum partocularibus.* Ut non idem sonat *Homo est Grammaticus,* & *aliquis homo est Grammaticus.* In priori enim solum significatur, Grammaticam convenire naturæ Humanæ; & idcirco vi illius non potest audiens certo intelligere, utrum omnis Homo sit Grammaticus, an aliquis tantum. In posteriori vero indicatur, Grammaticam convenire uni homini indeterminato.

IV. *Quædam Propositiones indefinitæ in Materia contingenti, exponendæ sunt per illas, quæ sunt de majori, vel maxima parte;* nec sunt particulares: ut *Hispani sunt Zelotypi, & suspicaces, Germani proceri, Galli agiles, & Gesticulosi.* Nemo enim ferret eas exponi per particulares; scilicet, *quidam Hispani sunt Zelotypi,* & *suspicaces, quidam Germani sunt proceri.*

V. *Neque omnis propositio indefinita in Materia Necessaria admittit Universalitatem.* Ut nominatim illæ in quibus aliquid effertur de rebus ut sunt communes pluribus. ex g. cum dicimus *hominem esse speciem. animal esse genus. Homo* enim necessario aptus est multiplicari, & esse communis pluribus singularibus. Non tamen verum istud est de omnibus hominibus, sive distributive, sive collective sumptis.

Quæst. III. *An Attributum quod ex se Universale est, Universalitatem retineat in propositione?* Quæstionem hanc, ait *Comptonus*, præcipue esse circa prædicationem Attributi Universalis de Individuo; ut cum *homo* affirmatur de Petro. In qua quidam dicunt attributum evadere singulare: alii dicunt manere Universale. Nos sic statuimus.

Thes.

f Thes. I. *Attributum in Propositione, quandoque manet dormaliter Universale, & ut tale spectatur*; scilicet quan- po ipsum Universale, aut aliqua illius species, vel nu roprietas, de aliquo effertur. Ut cum dicimus, *Ge- s est quid Universale, Natura humana est una specie, in omnibus hominibus.*

Thes. II. *Cum de subjecto Universali effertur attributum reciprocum, seu æqualis extensionis*, (ut cum quis dicit *homo est animal ratione præditum*) sicut subjectum *Universale* est in se, nempe natura communis pluribus, per similitudinem & multiplicationem in illis, ita etiam *attributum* quod cum illo adæquate idem est.

Thes. III. *Cum de subjecto Universali effertur Attributum majoris extensionis*, ut in hac, *Animal est vivens*, *Attributum non retinet totam Universalitatem, quam ex se habet.* Restringitur enim ad extensionem subjecti. Non enim potest *vivens* vere affirmari de animali, nisi quatenus cum eo identificatur: At cum eo non identificatur in tota extensione.

Thes. IV. At, *cum subjectum est singulare, Attributum non retinet ullam partem suæ Universalitatis.* Ut cum dicimus *Petrus est Homo.* Ratio est eadem quæ prioris. Nec enim in prædicto exemplo, prædicatur *Homo,* nisi qui identificatur cum Petro: at is est Homo singularis, ut per se patet, nempe Homo qui est ipse Petrus, seu in Petro. Idem dicendum est, cum de subjecto Universali distributo aliquid enunciatur. Tum enim singulis partibus distributionis respondet attributum æqualis extensionis, seu quod cum illis identificatur. Ut in hac, *Omnis homo est animal,* attributum idem valet ac animal singulare: Nihil enim aliud identificatur cum singulis hominibus.

Thes. V, *Extra casum Thesi prima memoratum, Attributum in propositione, nec spectatur ut Universale, neque ut singulare, sed secundum se,* seu naturam suam. Adeo

ut,

ut, licet id quod prædicatur Universale sæpe sit, & Universalitatem vere retineat, non tamen prædicatur Universalitas, seu *status*, sed tantum res ipsa. Ut cum *homo* affirmatur de Petro, licet vere singularis sit, non consideratur ut singularis. Sic enim *Petrus est homo*, & *Petrus est unus singularis* seu *individuus homo*, essent eadem propositio, & solis verbis discreparent. At falsum istud. Prior enim solam humanitatem attribuit Petro; posterior, præter Humanitatem, attribuit etiam Unitatem Individualem. Similiter, cum *animal* affirmatur de homine indefinite, est vere Universale. Eandem enim extensionem retinet ac homo cui tribuitur: Non tamen consideratur ut universale: quia sic eadem essent propositio, *Homo est animal*, & *Homo est animal unum in pluribus individuis*, vel *abstractum à pluribus*, quod per se manifeste falsum est. Et certe, si consideratur *animal* ut Universale, in illa propositione, vel consideratur ut Genus, vel ut species: at neutrum verum est: falsa enim esset propositio si animal consideratur ut Genus: haberet enim hunc sensum, Homo est animal in Genere. Et licet, si consideratur ut species animalis, vera quidem esset, alia tamen est propositio quæ dicit *Homo est animal*, ab ea quæ dicit *Homo est species animalis*. Deinde, attributum considerari secundum naturam tantum, patet; Quia, in his propositionibus, *Petrus est homo*. & *Homo est animal*, voces *Homo* & *animal*, nihil significant nisi id ad quod significandum communiter usurpantur. Hoc autem est sola Natura humana, & sensitiva, non autem Universalitas.

Objicit *Galtruchius*, cum aiunt *Petrus est homo*, manet *homo* in se cum abstractione; nec conceptus hominis est conceptus Petri: alioqui propositio esset identica.

Resp. I. Potest *homo* manere cum abstractione, sine Universalitate. Potest enim abstrahi à solis accidentibus Humanitatis.

 II. Licet

II. Licet retineret abstractionem ab omnibus singularitatibus, & sic maneret universalis, non tamen consideratur ut sic abstractus, & universalis. Sic enim propositio esset falsa: Haberet utique hunc sensum, *Petrus est homo abstractus ab omni singularitate*; cum tamen sit homo contractus ad singularitatem Petri.

III. Sed & falsum est, manere abstractum ab omnibus singularitatibus. Solum enim consideratur *Homo* qui est idem cum Petro, & Humanitas quæ est in Petro. Hæc autem solum abstrahitur à singularitate Petri. Verum abstractio illa non consideratur; sed tantum consideratur *homo* in Petro, non considerata illius singularitate.

Inst. Secunda mentis operatio non destruit primas, seu simplices Apprehensiones subjecti, & prædicati, sed eas retinet. At in simplici apprehensione, *Homo* abstracte consideratus, est universalis; Ergo etiam in judicio quo dicimus *Petrus est Homo.*

Resp. Neg. Minorem. Nam in simplici apprehensione, potest *homo* considerari indefinite, hoc est, nec ut est unum quid in omnibus, aut pluribus hominibus, nec ut in uno tantum, sed duntaxat secundum naturam; abstrahendo ab his, & omnibus aliis. Et revera sic consideratur, ut supra probatum est.

Objiciet forte alius quispiam, saltem in propositione negante attributum considerari ut universale; ex. g. cum dicitur *nullus homo est immortalis.* Attributum enim in propositione negante, complete distribuitur. Habetque propositio ista hunc sensum, *Nullus homo est ullum immortale.*

Resp. Neque hic attributum consideratur ut Universale, sed tantum indefinite, ut supra diximus de aliis. Probationem distinguo. Attributum propositionis negantis aptum est complete distribui, salva veritate,

veritate, adeoque ex consequenti ita distribuitur. Ex hac enim *Nullus homo est immortalis,* recte infertur, *Homo non est ullum immortale,* quæ alia est propositio: At actu, & expresse, nec distribuitur complete, nec incomplete.

Quæst. IV. *An recte propositiones Modales ad quatuor ordines reducuntur,* necesse, contingens, possibile, & impossibile; seu, *an quatuor tantum sint Modi, qui connexionem terminorum in propositione afficiunt?*

Resp. Affirmative. Omnes enim alii modi qui ipsam terminorum connexionem aut disjunctionem afficiunt, vel plures ex hisce comprehendunt, vel sub aliquo eorum comprehenduntur: Siquidem omnis connexio terminorum vel est vera, vel falsa. Et si vera sit, vel est necessaria, vel contingens: si falsa, vel est possibilis, vel impossibilis. Sed ad hanc rem declarandam, objectionum sequentium solutio aliquantum conducet.

Obj. I. Quatuor isti modi sunt determinationes rerum. Ut necessitas, contingentia, & possibilitas, Entium realium; impossibilitas, non-entium. Non igitur propositionum.

Resp. Non sequitur. Quia possunt esse determinationes & rerum, & connexionum in propositionibus. Sicut enim res quæ actu est, vel necessaria est, vel contingens; & quæ non est, vel est possibilis, vel impossibilis; ita etiam vera connexio terminorum, in propositione, vel est necessaria, vel contingens, & falsa vel est possibilis, vel impossibilis.

Obj. II. Hi suntmodi Enunciationum, *Verum, falsum, certum, incertum, probabile, improbabile, obscurum, evidens, absurdum, non absurdum:* ut in his, *esse Antipodas est verum; Antichristum nondum venisse est falsum, spiritum se movere est certum, materiam se movere est incertum* &c. At ad nullum ex quatuor prioribus reduci possunt.

Resp. *Verum* complectitur modos necesse, & con-

tingens: *Falsum* autem, possibile, & impossibile. Ubi notandum est, errare eos qui dicunt hanc propositionem, & similes, *Esse Antipodas est verum*, nihil amplius dicere quam *Antipodes existere*. Dicit enim expresse, & in actu signato, existentiam Antipodum conformiter se habere in re, ut in propositione effertur, quod posterior non dicit. *Certum* vero vel denotat certitudinem objectivam, & sic idem est cum *necesse*; vel subjectivam, quæ in mente nostra est; & sic non afficit intrinsece propositionem. Idem de *incerto* dicendum est. Reliqui sunt affectiones propositionum extrinsecæ, seu in ordine ad nos; nulla enim propositio in se est probabilis, aut improbabilis, evidens, aut obscura, sed tantum respectu mentis creatæ. *Absurdum* autem vel notat intrinsecam repugnantiam terminorum in propositione, & sic idem est ac *impossibile*: vel aptitudinem ad aures, & mentes bene dispositas offendendas, & sic est affectio orta à relatione ad nos. Quatuor autem modi illi intrinsece afficiunt ipsam connexionem terminorum.

Inst. I. *Mutabiliter*, & *immutabiliter*, *per se*, & *per accidens*, sunt modi, connexionem terminorum intrinsece afficientes: ut in his Deus est *immutabiliter* justus, Homo est *mutabiliter* sanctus & beatus. Homo est *per se* animal, *per accidens* Grammaticus.

Resp. *Mutabiliter* & *Immutabiliter* idem valent ac *Contingens* & *Necesse*. De modis *per se*, & *per accidens*, quidam respondent, esse tantum materiales, hoc est solos terminos afficere, non autem connexionem, ut modi formales, quales sunt quatuor supra memorati. Nam in hac, *Homo per se est animal*, terminus *per se*, solum subjectum afficit puta Hominem: Sensus enim est, *Homo per essentiam est animal*. Sed juxta hanc responsionem, etiam Modus *necesse* esset sæpe, si non semper, materialis tantum.

Ut

Ut in hac, *ignis necessario est calidus*. Modus enim *necessario*, subjectum afficit: & propositio hunc habet sensum, *ignis ex necessitate naturæ suæ est calidus*. Dicendum igitur cum aliis, modum *per se* spectare ad *necesse*, *per accidens* autem ad *contingens*.

Inst. II. Si modus *adverbialiter* efferatur, Enunciatio non est modalis sed pura.

Resp. Atqui ego potius dicerem, modum *nominaliter* prolatum, Enunciationem puram efficere, *adverbialiter* vero modalem. Priori enim ratione *Modus* ast attributum, *Dictum* vero subjectum. In posteriori, præter subjectum & attributum, inseritur modus quo hoc illi convenit. Interim, si vere loqui velimus, sive nominaliter sive adverbialiter modus efferatur, fatendum est, Enunciationem esse modalem. Utrovis enim modo ostendit quomodo Termini Enunciationis cohæreant.

Quæst. V. *An verum sit, propositionem Universalem & particularem negantem, & quamlibet singularem, ad mittere conversionem simplicem?*

Resp. Affirmative. Sed exercitationis gratia, respondendum est quibusdam instantiis quæ in contrarium objiciuntur. Hæ propositiones non admittunt conversionem simplicem.

1. *Nullus cæcus fit naturaliter videns.*
2. *Nullus homo est species.*
3. *Nulla navis necessaria est ad navigandum.*
4. *Nullus puer fuit senex.*
5. *Aliquis ambulans videt cæcum.*
6. *Quidam homo est mortuus, quædam domus est combusta.* Non enim verum est conversim dicere, *nullus videns fit naturaliter cæcus, nulla species est homo, nihil necessarium ad navigandum est navis, nullus senex fuit puer, aliquis cæcus videt ambulantem, aliquid mortuum est homo, aliquid combustum est domus.*

Resp. Conversiones istæ non sunt legitimæ. Vel enim totum Attributum non transit in locum subjecti, ut in Instantia prima, quarta, quinta, & sexta; vel termini non eodem modo utrobique accipiuntur, ut in secunda, & tertia. Sic igitur convertendæ sunt propositiones datæ; *Nullus qui fit* (quocunque modo) *videns, est cæcus. Nulla species est homo singularis* (in hac enim *nullus homo est species, homo* distribuitur in homines singulares.) *Nihil necessarium ad navigandum est ulla navis determinata.* (Sic enim sumitur navis in convertenda): *Nullus qui fuit senex est puer, aliquis qui videt cæcum est ambulans. Aliquid quod mortuum est fuit homo.* (Convertenda enim hunc habet sensum *aliquid quod prius fuit homo nunc est mortuum.*) *Aliquid quod combustum est fuit domus.* Et juxta exempla ista reliquas similes recte convertes.

Quæst, VI. *An Universalis affirmans per accidens semper convertatur.*

Resp. Affirmative; Rationem dedimus in Institutionibus.

Obj. I. Nonnunquam convertitur simpliciter, ut *Omnis Spiritus percipit, omne percipiens est Spiritus.*

Resp. Universalis affirmans, de attributo proprio, seu reciproco, conversionem simplicem admittit. Sed id non acceptioni terminorum, in propositione, sed qualitati eorum, prout absolute spectantur, imputandum est. Ut in hac *omnis spiritus percipit,* attributum non distribuitur universaliter, sed sumitur indefinite, & idcirco soli parti æquipollet. Sensus enim non est, omnem spiritum esse omne percipiens, sed tantum esse aliquod percipiens. Unde vi istius acceptionis converti non potest nisi per accidens.

Obj. II. Hæc, *omne animal est homo*, non potest converti in hanc *quidam homo est animal,* quia conversio legitima postulat, ut qualis sit convertenda quoad veritatem aut falsitatem, talis etiam sit illa in

quam

quam convertitur. Hic autem convertenda est falsa, altera vera.

Resp. Neg. Anteced. Ad confirmationem dicimus, in conversione qualitatem non ulterius utrobique observandam esse, quam quod si convertenda sit vera, altera in quam legitime convertitur, non possit esse falsa. Si enim convertenda sit falsa, nihil vetat eam in quam convertitur esse veram. Quia ex falso verum sequitur, vi formæ syllogisticæ. Conversio autem est species quædam discursus. Interim tamen, si termini utrobique in eadem extensione accipiantur, ubi convertenda est falsa, etiam conversa erit falsa. Ut si *omne animal est homo* convertatur in hanc, *homo est omne animal.* Sed in conversione, quantitas subjecti non transit in Attributum.

Obj. III. Hæc *omnis Grammaticus est homo*, ante inventam Grammaticam, non potuit converti in particularem affirmantem, *quidam homo est Grammaticus.* In eo enim casu nullus homo fuit Grammaticus.

Resp. Converti potuit in sensu conditionato: Hunc enim habet sensum *si sit ullus Grammaticus, est homo:* Unde infertur recte, *si ullus sit Grammaticus, aliquis Grammaticus est homo.* Solum autem convertenda in sensu conditionato, non potest converti in sensu absoluto, qui supponit aliquam Grammaticum actu existere. Idem dicendum de hac *omnis homo albus est homo.*

Quæst. VII. *An Particularis negans conversionis capax sit?* Communis sententia hactenus negavit, sed minus recte. Omnis enim propositio converti potest salva veritate, modo Conversio recte instituatur. Nam omnis Identitas, & diversitas est mutua. Si igitur attributum in propositione, sit idem cum subjecto, subjectum etiam idem est cum attributo: & si attributum diversum sit à subjecto, subjectum vicissim diversum est ab attributo. Intellige tamen, si

 eodem

eodem modo utrobique accipiantur, aut ſaltem non plus ſignificent in converſa quam in convertenda.

Quod ad Particularem negantem attinet, fatendum eſt eam non converti ſumendo attributum, ſine nota negandi, in locum ſubjecti: ut *quædam creatura rationalis non eſt peccator, quidam peccator non eſt creatura rationalis.* Si tamen loco ſubjecti ſumatur integrum attributum, cujus pars eſt negatio, recte convertitur particularis negans, ſcilicet hæc *quædam creatura rationalis non eſt peccator*, in hanc *aliquid quod non eſt peccator, eſt creatura rationalis.*

Obj. In converſione ſervanda eſt qualitas; quod in iſtiuſmodi converſione non fit. In ea enim converſa eſt affirmans, de ſubjecto infinito, cum convertenda ſit negans.

Reſp. In converſione ſervanda eſt veritas, & conſequentia legittima: Nec ulterius extendenda eſt qualitatis obſervatio. Deinde propoſitio negans æquipollet affirmanti de attributo infinito: ut *Quædam creatura rationalis non eſt peccator*, æquivalet huic, *quædam creatura rationalis eſt aliquid quod non eſt peccator.* Recte igitur convertitur in affirmante de ſubjecto infinito, ut facile apparet.

Quæſt. VIII. *An duæ contrariæ aliquando ſint ſimul veræ.*

Reſp. *Neg.* Rationem in Inſtitutionibus reddimus.

Obj. Hæ ſunt contrariæ ſimul veræ, *Si omnis homo currit omnis homo movetur, ſi nullus homo currit nullus homo movetur*, item *cujuſlibet hominis altera manus eſt dextra, cujuſlibet hominis altera manus non eſt dextra.*

Reſp. E duabus prioribus, poſterior eſt falſa; non enim ſequitur, *Nullus homo currit*, Ergo *nullus homo movetur*. Procedit utique à ſpecie ad Genus, negative

gative, qualis illatio est vitiosa: Potest enim homo aliter moveri quam currendo. Deinde contrarietas non reperitur in propositionibus hypotheticis, sed tantum in absolutis. Duæ autem posteriores non sunt contrariæ, sed subcontrariæ, quæ possunt esse simul veræ. Hæc enim *cujuslibet hominis altera manus est dextra*, sic resolvenda est, *altera manus cujuslibet hominis est dextra.* quæ propositio particularis est. Idem verum est de altera. Nota enim Universalitatis in neutra afficit subjectum principale, sed tantum illius modificationem. Quod si in formam universalem mutentur, hoc modo, *Omnis homo habet alteram manum quæ est dextra, Omnis homo habet alteram manum quæ non est dextra*, non erunt contrariæ quia ambæ affirmant. Denique altera manus non utrobique pro eodem accipitur.

Quæst. IX. *An duæ contradicentes possint esse simul veræ, aut falsæ?*

Resp. *Neg.* Estque omnibus per se notum.

Objiciuntur tamen aliquot propositiones quæ contradicentes esse videntur, ambæ autem sunt veræ.

1. *Nulla navis est necessaria ad navigandum, aliqua navis est necessaria ad navigandum.*
2. *Omnia Elementa sunt quatuor, quædam Elementa non sunt quatuor.*
3. *Omne animal fuit in arca Noæ, non omne animal fuit in arca Noæ.*
4. *Petrus currit, non Petrus currit.*

Resp. In prima Instantia, si prior loquatur de *omni navi*, determinata pariter, & indeterminata, sunt quidem contradicentes: Non vero si loquatur tantum de omni determinata. Sic enim datur medium, nempe aliqua indeterminata In secunda *Elementa* utrobiq; sumuntur collective: in priori quidem, omnia, in posteriori quædam; scilicet duo, vel tria. Sic autem non sunt contradicentes: quia datur medium; nempe

nempe *quoddam* vel *omne Elementum* distributive. Vel dicendum est priorem non esse Universalem sed singularem, quia in ea *omnia Elementa* in specie sumuntur pro uno singulari, nempe pro uno Numero. In tertia, terminus *Animal* utrobique quidem distribuitur; sed in priori, distributio est in genera singulorum, in posteriori, in singula generum. In quarta, posterior potest esse affirmans, in hunc sensum, *aliquid quod non est Petrus*, hoc est aliquid diversum à Petro, *currit*; & sic priori non contradicit. Si autem negatio cadit supra verbum *currit* contradicit priori.

Objici etiam possunt nonnullæ, quæ videntur esse simul falsæ. Ex. g.

1. *Omne ambulans movetur, quoddam ambulans non movetur,* ex hypothesi quod nemo ambulet.

2. Ante creatam Evam hæ fuerunt simul falsæ, *Omnis homo dormit, aliquis homo non dormit.* Prior quidem quia solus Adamus dormiebat: Posterior, quia nullus tunc fuit non dormiens.

3. Hæ *Chimæra distat à me, Chimæra non distat à me.* Chimæra enim cum nullibi sit, nec potest distare à me, nec esse prope.

4. Item *solus homo currit, non solus homo currit*, ex hypothesi quod homo omnino non currat.

5. *Petrus essentialiter est albus, Petrus essentialiter non est albus.* Petrus enim *essentialiter,* nec est albus, nec non albus; hoc est nec postulat albedinem, nec eam respuit.

Resp. In primo exemplo, prior propositio, etiam ex hypothesi quod nemo actu ambulet, est vera. Nullum enim alium sensum habet, quam motum necessario convenire rei ambulanti, sive existat actu, sive non. In secundo si intelligatur homo actu existens, prior est vera, posterior falsa; Si vero intelligatur omnis homo absolute, ita ut propositiones etiam de possibilibus loquantur, prior est falsa,

posterior vera. In tertio, si *distare* significet esse in loco distanti, & *non distare* esse in loco contiguo, aut propinquo, utraque quidem est falsa: Sed non sunt contradicentes: quia datur medium, nempe nec distare, nec non distare, in sensu dato, scilicet nullibi esse. At si *distare* significet esse in loco distanti, & non distare, præcise non esse in loco distanti, (ut usus communis postulat) prior est falsa, posterior vera. Denique si *distare* significet non esse in loco vicino, & *non distare* esse in loco vicino, prior est vera posterior falsa. In quarto, suppositio facta naturam istarum propositionum evertit. Ex ea enim, non possunt esse exclusivæ proprie. Interim tamen sic altera erit vera, altera falsa. Habebunt enim hunc sensum *nihil diversum ab homine currit, aliquid diversum ab homine currit.* In quinto exemplo, propositiones datæ non sunt contradicentes. Quia utraque est affirmans. Sunt enim Propositiones restrictivæ, habentes hunc sensum, *Petrus secundum essentiam est albus, Petrus secundum essentiam non est albus.* Restrictiva autem non negatur nisi negando restrictionem, quod hic non fit. Si autem negetur restrictio, altera est vera, altera falsa.

Inst. At si Petrus non sit albus, utraque erit falsa.

Resp. Non tamen secundum idem. Prior enim falsa erit quatenus dicit & Petrum esse album, & albedinem esse ei essentialem: Posterior, solum quatenus dicit Petrum esse album. At his respectibus non sunt contradicentes. Quia ambæ affirmant; & termini ex parte sunt diversi.

DISPU-

DISPUTATIO XXIV.

De Definitione & Divisione.

Quæst. I. AN *Definitio possit definiri?*

Resp. I. *Definitio particularis non potest definiri*, quatenus est Definitio; quia est formaliter complexum ex pluribus Attributis rei definiendæ, quæ non ut unum quid, sed ad summum per partes, sigillatim acceptas, definiri possunt. Nec definitione indiget, quia est ultima rei explicatio. Si enim per aliam definitionem explicari exigeret, non esset reipsa definitio. Interim tamen possunt partes cujuslibet definitionis, præter eam cujus omnes termini sunt per se noti (qualis est definitio Entis in communi) seorsim explicari. Ex. g. *Animal rationale* est definitio hominis, cujus utraque pars, nempe *animal*. & *rationale*, definitionibus propriis declarari possunt.

II. Sed *Definitio in communi tum objectiva, tum formalis, mentalis, vocalis, & scripta* (hoc est, communis idea seu ratio omnium definitionum) *definiri potest*; Et in Logica definitur. Recte enim dicimus *Definitionem formalem esse explicationem rei per attributa essentialia propria*. *Objectivam* vero *esse essentiam rei evolutam*, seu *explicatam*. Ratio est quia quicquid sub conceptum nostrum cadit, nisi sit per se notum, potest aliquo modo declarari, assignando aliquam illius ideam propriam.

Obj. I. Si Definitio potest definiri, necesse est ut per definitionem definiatur. At posterius est absurdum,

dum, sic enim definiretur per seipsum, nec notior esse definito.

Resp. Disting. propositionem. Necesse est ut definiatur per definitionem: non tamen per definitionem particularem hujus vel illius rei, à definitione in communi diversam; nec per definitionem in communi confuse & obscure conceptam, (hæc enim sunt absurda) sed per attributa propria definitionis in communi; puta per genus & differentiam; hoc enim non est magis absurdum, quam quod concipi potest conceptus in communi, per actum communem reflexum.

Obj. II. Si definitio, etiam in communi, definiri potest, per aliam definitionem definiri debet. At posterius falsum est. Quia, pari ratione, hæc alia definienda est per aliam, & sic procedetur in infinitum.

Resp. Neg. connexionem. Definitio enim in communi non est proprie definitio, (sicut animal in communi non exercet actus vitæ & sensus) sed communis ratio omnium definitionum particularium.

Quandoquidem vero definitio dici soleat, non est absurdum si definiatur alia definitione, nempe sua, sive quæ eam explicet. Neq; sic proceditur definiendo in infinitum. Quia definitio definitionis in communi nec potest nec eget nova definitione explicari, ut definitio ipsa in communi quæ definitur.

Quæst. II. *An recte definiatur definitio*, Oratio explicans naturam, seu essentiam rei. Ubique enim ab Aristotele dicitur *lógos tês ousías*, *lógos toû tí esti*, & *lógos toû tí ên eînai*; id est *Ratio, seu sermo essentiæ*, *Ratio explicans quid res sit*.

Resp. Definitio varie significat, & pro illa varietate varie definienda est. (Sed quæstio procedit de definitione essentiali:)

1. Qandoquidem significat conceptum mentis, & sic definienda est, *conceptus essentiæ rei*.

2. Non

2. Nonnunquam sermonem externum, prolatum vel scriptum: Et sic definiri debet, *Explicatio essentiæ.*

3. Nonnunquam objectum istius conceptus, & signatum sermonis, ac scripti, sic autem est *essentia rei clare concepta, aut explicata.* Contra id quod hic dicitur *Definitionem esse Orationem.*

Obj. I. Definitio sæpius *Terminus* apud Aristotelem nuncupatur. Terminus autem non est Oratio.

Resp. Definitio non dicitur *Terminus* quasi esset unica vox; neque quia est Attributum in propositione definitiva, sed quia fines & limites rei in nostro conceptu ponit, hoc est eam ab omnibus aliis distinguit, seu ut distinctam exhibet: Quemadmodum limitibus suis agri & prædia disterminantur.

Obj. II. Definitio Rei interdum unica voce exprimitur; definitum etiam, aliquando pluribus, seu oratione: ut cum *malitia moralis,* seu peccati definitur *anomía* 1 Joh. 3, 4.

Resp. Definitio interdum unica voce exprimitur, quæ significatione pluribus, seu orationi æquipollet. Ut in exemplo dato, *anomía* idem significat ac *Discrepantiam à lege.* Definitum vero quandoque oratione quadam exprimitur, ut distingui possit ab aliis rebus, quæ aliis Definitionibus sunt explicandæ: Ut *Malitia Moralis* sic dicitur ad differentiam malitiæ *naturalis,* aut *pœnalis.*

Quæst. III. *An Definitio Mentalis in simplici apprehensione consistat, an in judicio?*

Thesis. *Definitio mentalis consistit in judicio, quo attributa explicantia Essentiam, de re definienda affirmantur: Non autem in simplici apprehensione, nisi ut in prærequisito, seu præparatione quadam:* quatenus attributa explicantia non possunt de re explicanda affirmari, nec sciri esse illius attributa, nisi per apprehensionem simplicem præconcipiantur. Vide *Instit. part. com. cap.* 19. *sect.* 5.

Probatur

Probatur Thesis. Definitio est explicatio Essentiæ rei. At explicari nequit Essentia Rei nisi attributa essentialia statuantur rei convenire, quod in solo judicio fit. Simplex enim Apprehensio & Generis & Differentiæ, non sufficit ut sciamus rei essentiam: sed requiritur porro ut hæc cum re conferantur in propositione. Et quamdiu cum ea non comparamus, seu illi non aptamus, nescimus utrum essentiam ejus repræsentent, nec ne.

Objiciunt qui contra statuunt, I. Totum artificium definiendi consistere in inventione attributorum definientium, quæ per simplicem apprehensionem fit. Hæc enim, si inveniamus, facile rei definiendæ tribuuntur. Ergo tota definitio in simplici Apprehensione consistit.

Resp. Non sequitur. Sicut data linea recta, non fit triangulus rectilineus, ex generatione aliarum duarum, nisi duæ illæ cum linea data conjungantur; Aut invento medio non fit Syllogismus, nisi medium cum extremis conferatur; licet præcipua difficultas in eo inveniendo consistat.

Obj. II. Definitio constat genere & differentia, quæ concipiuntur sine judicio.

Resp. Definitio objectiva constat genere & Differentia: Suntque duo illa Attributa Tota rei Essentia. Sed definitio formalis non in solo conceptu generis, & Differentiæ, consistit, sed etiam in attributione eorum ad rem definiendam. Itaque sensus dicti illius, *Definitio constat genere & differentia*, non est exclusivus rei definiendæ: sed tantum indicat attributum, in propositione essentiam rei declarante, esse Genus & Differentiam.

Inst. Hinc sequeretur definitum ingredi Definitionem, contra regulam communiter probatam.

Resp. Sensus istius regulæ *Definitum non ingreditur definitionem*, alius non est, quam quod definitum non debet loco attributi in definitione poni. Ut non recte

recte dicitur *homo est homo rationalis.* Secus enim in Oratione explicante essentiam rei, si tota spectetur, necesse est mentionem facere rei explicandæ: nec aliter scire possumus quid per eam explicetur.

Ex his inferes, neque divisionem in simplici apprehensione, sed in judicio consistere; illo scilicet in quo partes vel species rei concipiuntur toti convenire. Item, ut sciamus essentiam rei, per definitionem, aut partes vel species, per divisionem, necessarium esse ut perspiciamus esse illius Essentiam, partes, vel species. Sicut & ut sciamus nos definitionem rei invenisse, requiritur ut sciamus attributa quæ invenimus, esse rei Essentialia, & propria.

Quæst. IV. *An & quomodo distinguatur definitum à definitione?*

Resp. Definitio in hac quæstione sumitur objective, pro attributis quibus res essentialiter differt ab omnibus aliis. Nam de definitione formali, satis manifestum est eam distingui à definito, ut actus à suo objecto De Definitione igitur objectiva, & Definito dicimus distingui in hunc modum. Definitum est res quævis, considerata ut hoc vel illo nomine vocatur, & hic conceptus est maxime obscurus, & imperfectus: vel ut certis accidentibus propriis substat: Ut cum pueri hominem concipiunt, esse tali figura præditum, quodque loqui & tali modo incedere solet, aut ejusmodi. Et hic conceptus aliquanto clarior, & perfectior est. Definitio vero objectiva est eadem res, ut per attributa essentialia propria cognoscitur: qualiter ab adultis & doctis consideratur.

Ex quibus liquet, Definitum & Definitionem, plus quam ratione distingui. Quia plus quam ratione distinguuntur illa quibus Definitum ut tale designatur, & Essentia quæ definitione explicatur. Non tamen adæquate distinguuntur. Aliquid enim est commune

utriusque

utriusque conceptui, qui rem considerat nunc ut rem, seu aliquid, aut sub aliquo alio attributo essentiali minus communi, nunc sub attributis essentialibus propriis Ex g. Homo forte antequam definitur, consideratur ut res vivens, sentiens, loquens, ambulans, tali modo figuratam, nomine hominis appellata, at cum definitione explicatur, concipitur ut *animal ratione preditum.*

Patet etiam rem *esse Definitam*, non esse Ens Rationis, ut quidam loquuntur, sed esse rem ut denominatur extrinsece, per actum mentis, quo attributa illius essentialia propria evolvuntur.

Si autem quæras, quid sit rem *esse definibilem*, Dicimus esse denominationem partim intrinsecam, ab aptitudine intrinseca rei ad explicationem subeundam; in qua differt à puris Chimæris, quæ explicari nequeunt. Partim extrinsecam, à virtute mentis nostræ quæ eam explicet.

Quæst. V: *An unius rei plures possunt esse definitiones bonæ?*

Resp. I. *Unius rei secundum partes diversas spectatæ, plures sint Definitiones.* Ut alia est Definitio corporis humani, alia mentis: & pro partium corporis diversitate, alia est definitio oculi, alia auris, alia carnis, alia ossis. Sed *unius rei quatenus est una* & ut sic spectatur, *unica est Definitio ejusdem Generis*. Ratio est quia Definitio est explicatio essentiæ: Unius autem rei quatenus est una, unica est essentia: quatenus vero plures partes diversas continet, plures etiam essentias complectitur, & idcirco plures definitiones suscipit. Dixi autem unius rei *ut una* est, unicam esse definitionem *ejusdem generis*: Quia eadem res potest diversimode definiri: Definitione scilicet *Physica*, ut loquuntur quæ explicat rem per partes physicas; ut cum homo definitur *corpus organicum, & anima rationalis, cum unione*: vel *Metaphysica*, ut appellant, quæ rem explicat per attributa essentialia: Hæc enim partes *Metaphysicas*, seu *Logicas* vocant. Ut cum homo definitur *animal ratione præditum.*

 II. Si-

II. Similiter unius rei, si plures habeat facultates seu perfectiones quæ dissimiles operationes edunt, aut quarum beneficio dissimilia patitur, plures sunt definitiones, licet facultates illæ in re sint una & eadem Entitas. Sic aliter definitur intellectus, aliter voluntas; quæ mentis virtutes sunt: licet non aliter distinctæ sint, quam prout diversas operationes, & passiones respiciunt.

Quæst. VI. *An ulla res à nobis in hoc statu imperfectionis profecte definiri,* seu *quidditative,* (ut loquuntur scholæ) *sciri possit.*

Resp. I. *Certum est Definitiones nostras,* omnium rerum, *multifaria imperfectione laborare.* Ut enim perfectam ideam essentiæ rei consequamur, requiritur ut omnia quæ ad essentiam ejus pertinent, perspicue intueamur. Quis vero est qui illud de se jure præsumat? Quid enim est in tota rerum Universitate, quod perfectius scimus quam mentem nostram? In hunc tamen usque diem, dubitatur inter Philosophos, sitne extensa per partes, an in puncto indivisibili consistat. Necesse autem est alterum ex his esse de Essentia mentis. Definitur etiam vulgo mens nostra *Substantia immaterialis, intelligens, ad societatem corporis organici ordinata.* At ut reliqua in illa definitione omittamus, nemo perfecte definire potest, quid sit *intelligere*, aut in quo consistat *unio* illa quam mens cum corpore obtinet, quæ tamen de essentia hominis est.

II. Interim tamen, *perfecta definitio censetur, quæ traditur per attributa propria essentialia*; adeoque necessario distinguit rem ab omni alia. Eo quod nulla perfectior à nobis fieri possit, aut soleat. Nec enim tota perfectio Essentialis rei unica cogitatione intelligi, aut unica sententia explicari, & exhiberi potest, sed longam sæpius tractationem postulat.

Quæst. VII. *Quænam res possint perfecte definiri?* (Perfectione intellige quam in præcedenti quæstione

one diximus:) *Burgersdicius Instit. Log. lib.* 2. *cap.* 3. ait, *Quædam natura sua perfectam definitionem respuere: Ut,*

1. *Res Infinitas nempe Deum.*

2. *Quæ non habent veram Essentiam; ut Entia Rationis, Res fictas, simulacra rerum privationes.*

3. *Quæ non habent Essentiam perfectam; ut partes, principia rerum, res in fieri.*

4. *Quæ non habent Essentiam per se unam; ut concreta, aggregata, complexa.*

5. *Quæ non collocantur immediate sub aliquo genere: ut Transcendentia, summa genera & individua: Alia esse quæ licet ex se definitionis perfectæ capacia sint, propter imbecillitatem tamen mentis nostræ, aut propter defectum vocabulorum, perfecte à nobis definiri non posse.* Nos salva reverentia viri alioquin docti, & ingeniosi, totam fere hanc doctrinam à veritate alienam censemus. Ideo contradicimus.

I. *Nihil esse quod natura sua definitionem perfectam respuit, & solam imperfectam admittit.* Et idcirco totam difficultatem definiendi, ab imbecillitate mentis nostræ oriri. Ratio est manifesta; quia omnes res, quæ sub conceptum nostrum ullo modo cadunt, aliquam habent essentiam, vel positivam, ut omnia Entia; vel Negativam, & imaginariam, seu fictam, ut non-entia, & figmenta: Si autem Essentia quam habent explicetur, qualiscunque tandem illa sit, definiuntur perfecte, non minus quam aliæ de quibus non quæritur. At res ipsæ impedire nequeunt quo minus Essentia quam habent explicetur, si imperfectio mentis nostræ non impediret. Quoad hoc enim res omnes sunt æquales.

II. *Res Infinitæ non minus perfectè definiuntur, quam pleræque finitæ;* quarum definitio res perfectæ censentur: scilicet esse, *in quibus aliquid semper est ultra;* vel negative, *quæ terminis non concluduntur.* Quod autem ad *Deum* optimum maximum attinet, nulla fere definitio perfectior est quam qua is definitur; nempe

Ens perfectissimum; vel *Ens æternum, immensum, omnipotens, omniscium*, &c. Quo enim plura ex attributis rei essentialibus propriis tenemus, eo rem perfectius percipimus. At nullius rei tot ex attributis istiusmodi percipimus, ac Entis primi. In perfectione tamen illa magna est imperfectio.

III *Quæ non habent veram essentiam, definiri tamen possunt per Essentiam quæ iis per fictionem tribuitur.* Ut res *impossibiles*, per definitiones possibilium quas negant. Ex. g. *triangulis circularis est figura ficta* seu impossibilis, *quæ*, in fictione mentis, *tribus angulis constat, quorum omnes partes laterum æqualiter distant a centro.* Quid reprehendis in illa definitione? Partes se mutuo evertunt. At secus non esset vera & bona. Nemo potest percipere ejusmodi figuram. Judicio & assensu verum est, at apprehensione simplici facile concipitur. *Ficta autem possibili*; ut *mons aureus, equus alatus, satis perfecte definiuntur, conjungendo ideas rerum actu existentium*: ut *montis* et *auri, equi* et *alati*. *Res apparentes*, ut coloris in Iride, spectra et ejusmodi, *definiuntur per ideas rerum quæ esse videntur*, seu quas præ se ferunt. *Privationes non minus perfecte definiuntur quam habitus quos tollunt.* Idea enim privationis consistit in negatione habitus, vel formæ, cum capacitate subjecti ad eum habendum.

IV. *Quæ imperfectam habent essentiam possunt perfecte definiri, per essentiam quam habent.* Perfecta enim est Definitio quæ explicat essentiam quamcunque, sive perfectam, sive imperfectam. Alioqui quo perfectior est res eo perfectior esset definitio, & vicissim. Ex.g. perfectior esset definitio *mentis*, aut angeli, quam trianguli, aut circuli, quod falsum est. Ratio est, quia perfectio vel imperfectio definitionis oritur, non à conditione objecti, sed à modo quo illud explicatur. Unde tam perfecta est definitio puncti, *cujus pars nulla est*, quam *lineæ quæ ex fluxu illius gigni intelligitur.*

V. Quæ non habent unam essentiam, qua talia sunt, non quidem unica definitione definiri possunt: ut hoc com-

complexum *homo & bestia. Quæ* tamen *una per accidens vocantur,* (nisi solo conceptu nostro unum quodammodo objectum sint, ut in exemplo proxime dato) *possunt unica definitione definiri;* nempe per partes, et unionem quam per accidens sortiuntur. Ut *acervus* diversorum corporú, satis perfecte definitur, enumerando corpora illa, et ostendendo quomodo unú acervum conficiunt. Complexa etiam, si per ea intelligamus propositiones in actu exercito, definiri possunt non minus perfecte quam termini simplices. Ex. g. hæc, *Petrus est doctus* si pro rebus significatis accipiatur sic definitur, *talis vel talis homo notitia rerum imbutus.* Si pro oratione vero, definitur, *Enunciatio significans talem hominem esse notitia rerum imbutum:* Pro actu deniq; mentis definitur, *judicium in quo esse doctum statuitur convenire Petro.* Possunt igitur complexa definiri, definitione complexa omnium terminorum ex quibus constant. Est præterea maxime hic reprehendendum, quod *concreta* ex ordine definibilium exulare velint Quis enim neget *justum* recte definiri, *qui fixam habet propensionem suum cuiq; reddendi?*

VI. Licet verum sit ea quæ non collocantur sub aliquo genere, definiri non posse, scilicet, quia nullo modo concipi possunt, male tamen exemplorum loco, *summa genera* et *transcendentia* adducuntur, si juxta vulgarem doctrinam accipiantur. *Transcendentia* enim communiter vocant, *rem, aliquid ens, unum, verum, bonum.* Alii, quæcunq; sunt communia substantiæ, et accidenti: at ipsi transcendentia definiunt, tum in communi nempe *quod omnes ordines rerum transcendant,* seu per eos vagantur. Tum in specie: ut cum *unum* definiunt, *quod est indivisum in se et divisum à quovis alio:* vel *quod non est plura ejusdem rationis cum seipso. Bonum quod alicui conveniens.* Sed absurdius negatur Decem summa Genera Aristotelica definiri posse. Peripatetici enim ea non minus perfecte definiunt, quam Genera, & species, quæ sub iis collocant. Annon enim æque perfecta est definitio substantiæ, *Ens vel res per se subsistens,* ac

ac corporis, *quod sit substantia constans materia & forma?* Quin prior longe perfectior est, quia terminis constat notioribus. Adde quod nihil prorsus sit, præter terminos communissimos, ut *aliquid, esse,* & ejusmodi quod non continetur sub aliquo genere. Est enim unum Genus omnium Entium, & aliud non Entium. Quin & duo illa Genera continentur sub uno communi, nempe *esse objectum mentis nostra.* Nihil igitur ob defectum generis definiri recusat.

VII. Tandem dicimus non posse definiri.

1. Quæ simplicissima sunt, & pluribus conceptibus explicari nequeunt: qualia sunt *Res* & *Aliquid.*

2. Quæ jam definitione satis explicantur: Hæc enim ulterius definiri non poscunt, nisi velis terminos definitionis novis definitionibus explicare. In quo tamen non licet procedere in infinitum: quia tandem deveniendum est ad terminos per se notos.

3. Illa quæ omnibus per se manifesta sunt, ut nulla definitione egent, ita vix ullam admittunt; quale est *To esse* vel *existere.* Hæc enim definitionibus obscurantur potius, quam declarantur; Et Mens sæpius per definitiones rerum istiusmodi ab idea satis facili, quam sine monitore jam tenet, divertitur, aut in ea contemplanda turbatur.

Quæst. VIII. *An Definitio perfecta, semper tradenda sit per Attributa essentialia intrinseca;* puta per *Genus,* & *Differentiam?*

Negat *Derodon,* sed immerito. Cum enim Definitio perfecta sit explicatio essentiæ, hæc autem cuique rei intrinseca sit, cum etiam omne attributum essentiale, vel sit commune seu Genericum, vel proprium seu differentiale, cum denique attributa essentialia & essentia rei idem sint, *necesse est definitionem perfectam constare attributis essentialibus intrinsecis;* puta *Genere* & *Differentia.*

Objicit

Objicit Derodon, I. *Physica* definitur *Scientia corporum naturalium*. At corpora naturalia non sunt de essentia *Physicæ*. Hæc enim accidens est, scilicet, habitus acquisitus; illa sunt substantiæ. Ergo multa ponuntur in definitione quæ non sunt de essentia rei.

Resp. *Dist. conseq.* Multa ponuntur indirecte, & in obliquo, quæ non sunt de essentia rei, verum est. At nihil directe ponitur, hoc est nihil de re affirmatur, quod non est de illius essentia. Ut, in exemplo facto, corporum naturalium mentio fit in Definitione *Physicæ*: non tamen in ea ponuntur ut illius attributa, sed ut terminus quem respicit. Respectus autem ad illa quem physica connotat, est de ejus essentia, & in concreto de ea affirmatur. Cum igitur definitio tradi dicitur per connotata extrinseca, intelligendi, sunt respectus ad illa connotata.

Obj. II. Genus non est ponendum in Definitione: Si enim Genus accipiatur in tota sua extensione, non potest affirmari de specie definienda: ut *animal* in communi, seu prout complectitur hominem & bestiam, affirmari nequit de homine. Si autem accipiatur indefinite, non explicat unam ex speciebus quæ sub ea continentur, magis quam aliam At definitio debet explicare rem quatenus talis est.

Resp. Genus in definitione accipitur indefinite, & secundum naturam suam. Sic autem explicat aliqualiter rem definiendam, ostendendo, ex parte quid sit, & cum quibus essentialiter conveniat. Ut si quis demonstrare posset lucem esse substantiam, naturam illius per demonstrationem illam aliquatenus explicaret. Ad probationem dicimus, definitionem integre spectatam, explicare quidem rem, qua talis est: Non tamen necesse est ut istud secundum omnes partes sigillatim præstet: Sed sufficit si omnia attributa in definitione, simul sumpta, propriam rei ideam exhibeant. Deinde Genus, licet,

per se, non magis explicet unam ex suis speciebus, quam aliam cum differentia tamen aliquid rei definitæ proprium exhibet. Ut *animal*, cum *ratione præditum*, aliquid homini proprium denotat; nempe illam virtutem sentiendi, quæ cum ratione conjuncta est. Hæc autem hominis propria est. Differentia enim Genus restringit, & uni speciei appropriat.

Adde quod Differentia sine genere in definitione consistere nequeat. Semper enim concipitur Differentia ad modum rei adjacentis: & idcirco requirit alquid per se stans, cui adjaceat. Nec per differentiam sine omni Genere declaratur quid res sit, sed qualis sit. Nemo enim audiens hanc propositionem, *Homo est ratione præditus*, (etiam ex hypothesi quod nihil aliud ratione præditum foret) intelligeret definitionem hominis à loquente designari.

Inst. At satis recte definitur homo, *aliquid ratione præditum*.

Resp I. Illud *aliquid* est Attributum Genericum. Non igitur sic difinitur sine Genere.

II. Cum illud *aliquid* sit communissimum, minus recte se habet ista Definitio, quam si pro eo assumeretur attributum commune minoris extensionis. Quo enim minoris extensionis est Attributum Genericum, eo clarius percipitur natura rei definiendæ. Unde recte docent Logici, *in definitione sumendum esse Genus proximum*, si inveniri possit.

Quæst. IX. *An divisio sit modus sciendi à definitione diversus?* Hic nulla est controversia: & idcirco sufficiet breviter hæc notasse.

I. *Divisio est modus seu instrumentum sciendi.* Quia res à se invicem distinguit, materiam definiendi, & ratiocinandi proponit, & quotuplex res sit, hoc est quot sint illius partes, ordines, & species, ostendit. Adeoque aliquo modo res explicat. Ut cum dividimus *animal* in *rationale* & *irrationale*, aut *homines* in *doctos*,

doctos, & *rudes*, percipimus, & ostendimus *animal* tale esse ut societatem rationis, ejusve carentiam patiatur; *naturam Humanam* scientiam vel ignorantiam admittere. Ostendit igitur divisio qualis res sit.

II. *Divisio est modus sciendi à Definitione diversus.* Ratio est quia aliud Definitio, aliud Divisio, de re re cognoscenda notificat. Prior enim ostendit quid res sit, & Attributa ejus essentialia proponit; posterior ostendit quotuplex sit, & quot species seu ordines in se, vel sub se contineat.

Obj. In Definitione partes rei Essentiales *Metaphysicæ* notantur, ut *animal* & *Rationale* in Definitione hominis. At partes rei notare & distinguere, idem est ac dividere.

Resp. Partes physicas & proprie dictas notare, idem est ac dividere: non autem illas notare, quæ analogice tantum partes sunt: quales partes sunt Genus, & Differentia, in Definitione. Hæc enim non sunt partes propriè, sed attributa, seu perfectiones rei. Deinde illa Distinctio partium qua essentia rei explicatur, seu resolvitur, non vocatur divisio, sed definitio.

III. Partitio etiam, in qua partes essentiales physicæ distinguuntur, est modus sciendi diversus à Definitione quæ physica vocatur. In priori enim solæ partes notantur; ut cum dicimus, *partes hominis sunt corpus & mens.* In posteriori unio etiam notatur: ut cum hominem definimus, *Substantiam compositam ex mente & corpore.* Unde Definitio plus dicit quam partitio. Et verum est dicere, *Partes hominis sunt mens & corpus*, quæ est partitio. At nec verum est *hominem esse corpus & mentem.* Siquidem possunt existere corpus & mens post mortem, homine non existente.) Nec si verum esset bonam definitionem conficeret, quia totam essentiam definiti non exhaurit.

Hæc

Hæc enim includit etiam Unionem. Si excipiat quis, dividi posse rem in partes & Unionem. Ut si dicamus, *Homo est mens & corpus cum unione*, sic autem Definitio & Partitio idem erunt.

Resp. Distinctionem partium & unionis non esse partitionem; quia Partitio solas partes distinguit. Unio autem non est pars, sed modus Partium.

IV. *Differt* etiam *Distributio à Descriptione*. Distributio enim proponit plures res: ut cum subjectum distribuitur per adjuncta, adjuncta per subjecta, causæ per effecta, & effecta per causas. At Descriptio qua talis, solum proponit plura attributa accidentalia ejusdem rei, cum quibusdam interdum essentialibus communibus. Interim tamen, ut supra monuimus, omnis Divisio, Partitio, & Distributio, rem divisam, partitam & distributam, aliquatenus describit.

DISPUTATIO XXV.

De Syllogismo in Genere.

Quæst. I. AN *Syllogismus formaliter includat plura judicia, an in solis præmissis, aut in sola conclusione, consistat?* Multum hic variant sententiæ. Alii enim in solis præmissis Syllogismum consistere volunt: Alii in sola conclusione, inter quos *Comptonus* Alii in præmissis & conclusione simul, ut *Hurtado*, & *Arriaga*.

Thes. I. *Tota Natura seu Essentia Syllogismi nec continetur in præmissis, nec in conclusione, sed in præmissis & conclusione simul.*

Probatur,

Probatur, 1. Quia Syllogismus est progressus mentis ab uno judicio ad aliud: At progressus iste essentialiter includit terminum à quo, qui in præmissis consistit, & terminum ad quem, qui est conclusio.

2. Quia nec præmissæ sine conclusione, nec conclusio sine præmissis, est modus sciendi discursivus. Nec enim hæc, nec illæ, seorsim, ignotam veritatem, per aliam notiorem, manifestant, sed ambæ simul.

3. Artificium Syllogismi non consistit in sola conclusione, aut in modò eam inferendi, sed etiam in dispositione præmissarum.

4. Syllogismus est compositum quid: cujus materia, adæquate spectata, præmissas & conclusionem continet: Forma vero consistit in consequentia conclusionis ex præmissis. Hæc autem & præmissas & conclusionem, ut materiam adæquatam afficit. Consequentia enim tum vim illativam præmissarum, tum dependentiam conclusionis, quoad evidentiam, à præmissis, denotat. Omnia igitur ista tria, præmissæ, conclusio, & consequentia, Syllogismo intrinseca sunt, & Essentialia.

Qui Syllogismum in solis præmissis constituunt, *Objiciunt*, I. Syllogismus parit Scientiam, opinionem, vel fidem. At conclusio nullam ex his parit, sed est ipsa Scientia, Opinio vel Fides, quam pariunt præmissæ. Solæ igitur præmissæ sunt Syllogismus: & conclusio non est pars syllogismi, sed effectus.

Resp. Syllogismus dicitur parere Scientiam, Opinionem, vel Fidem, per denominationem ex altera illius parte, nempe inferente, seu ex premissis, desumptam. Ut Homo intelligere dicitur, eò quod mens intelligit.

Obj. II Remota conclusione, præmissæ manent in aliquo modo, & Figura. Syllogismus igitur consistit in solis præmissis. Resp.

Resp. I. Remota conclusione, præmissæ sunt in modo & figura, incomplete, seu quatenus modus & figura illas afficiunt: sed non complete. Ad hoc enim requiritur, ut conclusio inferatur; ut majus extremum in ea de minore prædicetur; ut nihil sit in illa quod non fuit in præmissis, et ne medium eam ingrediatur.

II. Remota conclusione, præmissæ non faciunt scire. Non igitur sunt syllogismus.

Obj. III. Conclusio nec est Materia Syllogismi (Materia enim sunt tres termini, et duæ præmissæ): Nec forma; quia hæc in modo & figura consistit. Modus autem & figura est dispositio medii termini cum extremis, quæ in solis præmissis locum habet. Medium enim non ingreditur conclusionem.

Resp. Conclusio est pars materiæ Syllogismi: Adeoque forma ex parte illam afficit, scilicet quatenus forma in modo consistit, ut supra ostensum est.

Qui Syllogismum in sola conclusione situm esse contendunt, sic *objiciunt.*

I. Syllogismus est cognitio unius veritatis *per & post aliam*, ut ait *Aquinas*. *Aristoteles* etiam 1 *Poster. cap.* 1. ait, *omnem cognitionem Dianoeticam*, id est, discursivam, *ex præexistente esse cognitione.* At Syllogismus consistit in cognitione illa Dianoetica, quæ habetur per & post aliam, seu dependenter ab alia: Hæc autem est ipsa conclusio.

Resp. Disting. Anteced. Syllogismus ex parte est cognitio unius veritatis, per & post aliam, & ex præexistente oritur cognitione, nempe ratione conclusionis: Non autem secundum se totam. Sic enim est Aggregatum ex præmissis inferentibus, & conclusione illata. Unde non minus verum est, esse cognitionem inferentem, quam illatam. Dicitur autem autem cognitio illata, vel deducta, quia conclusio præcipue, & quasi propter se, intenditur; & propter eam intenduntur præmissæ.

Obj.

Obj. II. Syllogismus est simplex qualitas. Non igitur triplicem actum judicii continet, sed unum tantum, qui est de conclusione.

Resp. Syllogismum esse simplicem qualitatem temere dicitur. Et longe evidentius est, esse complexum quid, ex trino judicio, duplici inferente, & uno illato.

Obj III. Si syllogismus non consistit in sola conclusione, quatuor erunt modi sciendi; *Definitio, Divisio, Conclusio* syllogismi, & *aggregatum ex præmissis & conclusione*. Est enim conclusio syllogismi modus sciendi, quia manifestat ignotum, id scilicet quod obscure continebatur in præmissis. Et ex sententia nostra, aggregatum ex præmissis & conclusione est modus sciendi, quia est ipse syllogismus. Sic *Comptonus*, contra gravitatem tanti viri.

Resp. I. Retorquendo Argumentum. Præmissæ multo magis sunt modus seu medium sciendi, quam conclusio. Illæ enim efficienter manifestant ignotum, nempe veritatem conclusionis prius absconditæ. Hæc autem formaliter tantum ignotum manifestat. Si igitur Syllogismus in sola conclusione consistit, quatuor erunt modi sciendi.

II. Utrinque igitur dicendum est, præmissas & conclusionem simul, unum modum sciendi conficere. Nec enim præmissæ sine conclusione, nec conclusio sine præmissis, ignotum discursive manifestant.

Obj IV. Syllogismus dicitur à *syllogízesthai*, quæ vox significat plurium rationum summam colligere, ut in Arithmetica fit. Quæ enim sparsa sunt in præmissis, in unum colligit. Hoc autem præstat per solam conclusionem.

Resp. Nihil sequitur, nisi Syllogismum ita vocari à præcipua sui parte, per Synecdochen. Quemadmodum *Homo* dicitur ab *Humo*, (ut multi volunt) licet præter corpus, mentem essentialiter includat. Absolute enim, ut Operatio Additionis in Arithmetica,

tica, non tantum in summa conficienda consistit, sed etiam in numerorum observatione, ex quibus illa conficitur, ita etiam Syllogismus in assensu, non tantum præmissarum, sed etiam conclusionis.

Quæst. II. *An mens per assensum præmissarum, necessario determinetur, ad assensum conclusionis, ita ut non possit ei non assentiri?*

Resp. Hic nulla fere est controversia. Sed ad naturam discursûs perfectius intelligendam, utilis est Quæstionis ventilatio.

Thes. 1. *Intellectus, si semel assentiatur præmissis & consequentia videatur satis bona, determinatur ad assentiendum conclusioni, quoad speciem actus, seu specificative:* Hoc est ita, ut si ullum actum judicii, vi assensus præmissarum, eliciat, necessario sit actus assensûs, contrarium autem actum elicere nequeat, nempe dissensum. Ut si assentiatur his præmissis, *omne currens movetur; Petrus nunc currit*, si ullum actum judicii ex iis eliciat, non potest esse alius quam hic, *Ergo Petrus nunc movetur.* Ratio est quia conclusio continetur in præmissis, ut effectus in causa: & præmissæ eam intellectui exhibent; Intellectus autem non potest dissentiri veritati evidenter propositæ.

Obj. Possumus, si ita velimus, sic arguere, *Petrus currit, ergo non movetur.* Sic enim nunc arguo. Et Phrenetici ac ideotæ quidlibet inferunt ex quolibet.

Resp. Possumus, voce tenus, sic arguere, non etiam mente. Phrenetici autem quidlibet inferunt ex quolibet, non per discursum, aut vi illativa præmissarum, sed ex mente & phantasia turbata, & vitiata, huc illuc cursitante.

Inst. Cum sic arguo, *Petrus currit, ergo non movetur*; vel, *ergo baculus est in angulo,* intelligo quid dico. Ergo mente sic arguo.

Resp. Intelligo simplici apprehensione, conclusionem

onem & significationes vocum: sed non judicio. Id est non assentior conclusioni propter illud antecedens, ejusve assensum.

Thes. II. *Per Assensum præmissarum intellectus non ita determinatur ad assensum conclusionis, quoad exercitium, quin possit eum suspendere.*

1. Quia impedimenta quædam intervenire possunt quibus intellectus, postquam assensum præbuit præmissis, diverti possit à conclusione inferenda. Ut si sensum externum, objectum aliquod vehementius feriat, aut affectus aliquis, iræ, timoris, doloris, &c. subito oboriatur, aut phantasia alio vehementius abripiatur.

2. Potest is qui præmissas admittere cogitur, ita esse affectus, ut nolit ad consequentiam attendere, & conclusioni assentiri: scilicet, si consilio, & studio suo, directe adversari videatur.

3. Potest etiam conclusio esse in se paradoxa, & miranda, aut opinioni alicui præ conceptæ, & radicatæ, contraria; ut intellectus non statim ei assentiri possit.

4. Fieri etiam potest, ut qui præmissis assentitur, de consequentia conclusionis dubitet. Dubitatio autem ista assensum conclusionis necessario impedit.

Thes. III. *Sed posito assensu præmissarum, si quis bonitatem consequentiæ primo intuitu percipere possit, & nihil adsit impedimenti, ad intra, vel ad extra, intellectus non potest assensum conclusionis suspendere.*

Patet, Quia intellectus in eo casu agit ad modum causæ naturalis, quæ positis requisitis ad agendum, semper agit, si nihil impediat. Et certe si in casu facto, quidquam impedire possit ne intellectus conclusioni assentiatur, illud maxime esset voluntas. At voluntas impedire nequit: hæc enim nihil imperare potest intellectui nisi sub ratione boni apparentis. At manifestæ veritati non assentiri, aut dissentire,

ſentirè, non poteſt induere ſpeciem boni.

Obj. I Voluntas habet poteſtatem *deſpoticam*, ut loquuntur, in intellectum, ſicut in omnes fere alias potentias hominis. Ergo, poſito licet aſſenſu præmiſſarum, poteſt ei imperare, ne concluſioni aſſentiatur.

Reſp. Voluntas poteſtatem illam non in omni caſu exercet. Et exercere nequit in caſu facto. Nulla enim eſt ratio quæ eam inducat ut faciat. Sicut non poteſt imperare oculis ne videant objectum propoſitum, aut ne intellectus de eo omnino cogitet, ſed ad ſummum oculos claudere, aut cogitationem aliò vertere, &c.

Obj. II. Poteſt quis pro libitu, ex iiſdem præmiſſis, concluſionem elicere, vel directam, vel indirectam, Univerſalem, vel particularem. Præmiſſæ enim, plures iſtiuſmodi concluſiones virtute continent. Ergo ſaltem non determinatur intellectus, per aſſenſum præmiſſarum, ad unam ex his concluſionibus inferendam, magis quam aliam.

Reſp. Intellectus per aſſenſum præmiſſarum, primo & immediate determinatur ad concluſionem directam, & Univerſalem ſi hæc ex præmiſſis natura ſua ſequatur, & non niſi his mediantibus, indirectam & particularem elicere poteſt.

Obj. III. Præmiſſæ probabiles, cum non ſunt cauſæ neceſſariæ, non poſſint intellectum neceſſario trahere ad aſſenſum concluſionis.

Reſp. Non poſſunt eum neceſſario trahere ad aſſenſum ſcientificum, & omnino certum, eſto: ad probabilem, & opinativum, nego. Omnes enim præmiſſæ ritè diſpoſitæ neceſſitant ad concluſionem illo gradu certitudinis inferendam quem ipſæ cum habent.

Obj. IV. Datur Habitus facilitans intellectum ad aſſenſum concluſionis. Per illam igitur determinatur, non autem per aſſenſum præmiſſarum.

Reſp.

Resp. I. Non necessarius est habitus conclusionis inferendæ ab habitu assentiendi præmissis diversus.

II. Et si esset, non determinaret intellectum ad assensum, nisi extra Syllogismum.

Obj. V. Voluntas determinat alias potentias, puta Locomotivam, & affectus, ad suas operationes. Ergo etiam intellectum.

Resp. Dispar est ratio: quia potentiæ reliquæ sunt cæcæ: & idcirco ratione & voluntate indigent, quibus determinentur ad suos actus At intellectus est potentia cognoscitiva; & potest per unum aliquem actum seipsum ad alium determinare; ut & sæpissime facit.

Quæst. III. *An ex unica præmissa ulla conclusio inferri possit?*

Resp. Negative. Quia inferre conclusionem est, vi connexionis medii termini cum extremis, colligere alterum horum alteri convenire, vel non convenire. Ad hoc autem necesse est, ut medium cum utroque extremo conferatur. Quæ collatio duas propositiones constituit.

Obj. I. Ex hoc antecedente, *Judas qui fuit Apostolus, prodidit Dominum suum,* recte infertur; ergo *aliquis qui prodidit Dominnm suum, fuit Apostolus.*

Resp. Antecedens istud duas propositiones continet; nempe *Judas fuit Apostolus, Judas prodidit Dominum suum.*

Obj. II. Cum una propositio ex alia elicitur per conversionem, ut *Omnis avarus eget; Ergo quidam egens est avarus.* Ex una præmissa infertur conclusio.

Resp. Ex una quidem expressa, sed alia subintellecta. Non enim in exemplo dato, sequitur conclusio ex antecedente, nisi vi tertiæ propositionis, quæ subintelligitur, hujus scilicet, *si omnis avarus eget, quidam egens est avarus.*

Hinc vides, in omni Syllogiſmo categorico, tres terminos ſimplices eſſe neceſſarios; ſed in Hypothetico ſufficere duos, ut in proximo exemplo.

Quæſt. IV. *An in eo inſtanti, quo intellectus aſſentitur concluſioni, requiritur ut actu intueatur utramq; ex præmiſſis?* Ad hanc difficultatem enodandam, ſit

Theſ. I. *Prima vice qua concluſio infertur ex præmiſſis, neceſſe eſt ut eo ipſo inſtanti, mens intueatur utramq; præmiſſarum, iiſq; aſſentiatur.*

Patet; Quia præmiſſæ ſunt cauſæ objectivæ aſſenſus qui concluſioni adhibetur. Ejuſmodi autem cauſæ non influunt in effectum, niſi cum actu cognoſcuntur, ſeu ut actu objiciuntur cognitioni.

Theſ. II. *Poſtquam mens ex præmiſſis concluſionem intulit, poteſt aſſenſus illius ab ea exerceri, & facultas, vel propenſio, ad ei aſſentiendum, in ea manere, ſine expreſſa, & clara intuitione præmiſſarum.* Ut cum quis, ratiocinatione aliqua confecta, meminit concluſionis, ſed præmiſſarum oblitus eſt, & ſolum recordatur ſe habuiſſe præmiſſas ex quibus concluſio evidenter ſequebatur. Ex. g. poteſt quis aſſenſum propoſitionis alicujus Geometricæ retinere, eo quod meminit eam ſibi ab Euclide evidenter fuiſſe demonſtratam: licet quænam, in particulari, præmiſſæ fuerint, non recordetur. In quo caſu reminiſcentia demonſtrationis præteritæ, vicem ſupplet aſſenſus præmiſſarum expreſſi, & actualis.

Si *excipias*, Mentem non poſſe aſſentiri concluſioni, vi præmiſſarum, niſi videat eam in præmiſſis contineri: quod fieri nequit, ubi earum penitus oblita eſt. Nullam enim tunc evidentiam habet, qua determinetur ad aſſentiendum concluſioni.

Reſp. Neg. Anteced. quia recordatio confuſa, quam diximus, poteſt mentem ad aſſenſum ſatis firmum inducere. Ad probationem dicimus, intellectum eſſe certum, de multis veritatibus, de quibus non habet evidentiam; ut in aſſenſu fidei patet.

Item

Item in actibus scientiæ, cum oblivio rationis in particulari obrepsit. Sufficit enim si meminerit se rationem evidentem habuisse.

Thes. III. *Quin potest mens assensum conclusionis prius demonstratæ, aut probatæ, renovare, absque ulla contemplatione actuali rationis qua fuit probata, sive clara, sive confusa, & generali.*

Patet; Quia verisimile non est, cum quis cogitat aut loquitur de Mysteriis Fidei Christianæ, eum semper actu cogitare de Testimonio divino cui hæc innituntur: multo minus ut locos Scripturæ in quibus proponuntur, actu & expresse intueatur. Ratio à priori est, quia intellectus, postquam conclusioni assensum dedit, ob rationem satis manifestam, habitum quendam acquirit ei assentiendi, quoties de ea cogitat; per quem veritas, radices quasi, in mente egit, aut proclivitatem, ad assensum, ipsi impressit.

Hinc apparet falsum esse quod asserit *Comptonus, Disp. Log. 47. Sect. 6. Conclusionem ne divinitus quidem esse, vel reproduci posse, sine præmissis actu in mente existentibus.* Naturaliter enim sæpe est in intellectu sine præmissis, ut ostendimus. Licet mens semper parata sit rationem aliquam reddere (vel in specie, vel in genere), cur ei assensum præbeat.

Obj. Omnis assensus vel est mediatus, vel immediatus. At assensus conclusionis, sine ullo intuitu præmissarum, non est mediatus. Ergo est immediatus: nec proinde conclusio est, sed principium.

Resp. Assensus conclusioni datus, sine omni intuitu præmissarum, sive in eo instanti quo mens conclusioni assentitur, sive in aliquo priori, est immediatus. Non tamen qui conclusioni datur, sine intuitu præmissarum de præsenti. Sufficit enim quod mens præmissas habuit de præterito. Est igitur assensus istiusmodi, assensui immediato partim similis;

quatenus ſine diſcurſu de præſenti elicitur; partim diſſimilis, quia per diſcurſum prius eliciebatur; & in virtute illius reproducitur, ſeu repetitur. Diſcurſus enim diu ante factus, mentem ita afficere poteſt, ut determinata maneat ad aſſenſum concluſionis longo poſt tempore repetendum, ſine intuitione actuali argumenti quo primo productus eſt.

Quæſt. V. *An Aſſenſus concluſionis intrinſece differat ab aſſenſu præmiſſarum.* Affirmat *Arriaga*, *Log. diſp.* 14. *n.* 24. Nos contra ſtatuimus. Sed loquimur de concluſione quatenus eſt concluſio. Nam quatenus eſt propoſitio quædam, objectum repræſentat diverſum, ſaltem inadæquate, ab objecto præmiſſarum ex quibus deducitur: Et ſic quidem intrinſece differt à præmiſſis.

Probatur. Quia eadem propoſitio quæ nunc eſt concluſio, potuit non eſſe concluſio, ſed præmiſſa. Seu idem actus judicii, qui de facto eſt illatus, potuit eſſe actus inferens. Per aliquid igitur accidentale, & extrinſecum, eſt concluſio, ſeu actus deductus. Ratio à priori eſt, quia actum mentis eſſe concluſionem, nihil aliud eſt quam elici dependenter ab aliis, præcedaneis, qui ſunt præmiſſæ. At elici dependenter, ab aliis, eſt tantum elici ab intellectu præparato, & determinato, per alios, ad eum eliciendum. Hoc autem extrinſecum eſt, & accidentale actui qui elicitur, quod mens prius elicuit alios, & per illos diſpoſitus, & dedeterminatus fuerit, ad illum eliciendum.

Objicit *Arriaga.* Si concluſio non differret intrinſece ab aſſenſu præmiſſarum, multi eſſent Syllogiſmi in quibus dici non poſſet quis actus de facto eſſet concluſio. Ex. g. illi in quibus concluſio poteſt eſſe una ex præmiſſis, & una ex præmiſſis poteſt eſſe concluſio. Ut in hoc, *Petrus eſt Rex, hic homo eſt Petrus, Ergo hic homo eſt Rex,* poteſt concluſio aſſumi pro altera præmiſſarum, & altera præmiſſarum pro concluſione, hoc modo, *Hic homo eſt Rex, Hic homo eſt Petrus, Ergo Petrus eſt Rex.* Reſp.

Resp. Illa semper est conclusio quæ ex aliis præcedaneis deducitur.

Replicat, Hanc esse difficultatem quid sit unam inferri ex alia: quandoquidem nulla est Entitas physica, aut modus in quo ista illatio unius ex alia consistat.

Resp. Inferri ex alia nulla quidem est Entitas physica: Est tamen Relatio quædam dependentiæ ab actibus præviis, seu processionis à mente per eos determinata.

Quæst. VI. An Conclusio attingat objectum præmissarum? Multi affirmant, quibus subscribit *Arriaga, Disp. Log.* 14. *N.* 30. Dicunt enim mentem, cum actum conclusionis elicit, assentiri non tantum identitati, vel diversitati extremorum, sed etiam connexioni eorum cum medio: adeoque attingere rationem motivam; vel ad modum propositionis conditionalis, ut quidam volunt: ex. g. cum ex his præmissis, *Omne currens movetur, Petrus currit*, infertur *Ergo Petrus movetur*, sensum esse, *Si omne currens movetur, & Petrus currit, Petrus movetur.* Vel ad modum propositionis causalis, *quia omne currens movetur, & Petrus currit, Petrus movetur.* Potest etiam in hac quæstione, esse alia sententia; scilicet præmissas attingi in conclusione, non per judicium, sed per solam apprehensionem simplicem. Sensum enim quendā connexionis medii cum extremis manere in mente, & hunc ad conclusionem spectare, ut aliquam illius partem, & quidem distinctivam per quam ab aliis actibus judicii essentialiter differt. Alii contra affirmant actum conclusionis non attingere rationem motivam cur mens ipsi assentitur, sed solam habitudinem extremorum inter se: licet id faciat dependenter ab assensu prævio præmissarum. Conceditur utrinq; aliquam partem objecti præmissarum attingi per actum conclusionis, nempe terminos simplices, seu extrema quorum alterū de altero concluditur. Hæc enim sunt pars quædam objecti præmissarum, Et attinguntur, tum in præmissis, tum

in conclusione, per simplicem Apprehensionem, tanquam objectum commune. Sed quæstio est de objecto præmissarum proprio, nempe connexione medii cum extremis. In qua sit

Thes. Negans. *Conclusio non attingit objectum præmissarum complexum, aut Totale:* seu *non continet in se Rationem motivam propter quam Mens ei assentitur.* Rationes sunt.

I. Quia superflua est Repetitio præmissarum in conclusione. Ad hanc enim inferendam sufficit assensum earum in mente præcessisse, præsertim immediate; aut etiamnum in ea perseverare. Siquidem, per assensum præmissarum semel datum, mens sufficienter illuminatur, ad habitudinem extremorum agnoscendam. Certe concludimus, cum post assensum præmissarum, assentimur alicui propositioni quæ ex illis necessario sequitur, licet earum assensum minime iteremus.

Frustra hic respondet Arriaga, "Non posse ex "præmissis elici actum quo mens non assentiatur "objecto præmissarum; quia per præmissas propo-"nuntur intellectui Extrema conclusionis unita cum "uno medio, clare, & evidenter. Unde non po-"test intellectus illi non assentiri. Licet enim mens assentiri nequeat conclusioni ut conclusio est, nisi præextiterit in ea assensus præmissarum, (& hoc solum probat ratio Autoris), facile tamen potest assentiri, de identitate aut diversitate extremorum inter se, dependenter ab assensu præmissarum, licet assensum illarum non renovet. Potest enim mens retinere assensum conclusionis, cum casu aliquo de præmissis non cogitat, aut earum oblita est.

II. Si conclusio continet Assensum præmissarum, sequeretur totum Syllogismum in ea contineri. Tum autem superfluæ essent præmissæ, quod absurdum est.

Respondet *Arriaga*, "Intellectum procedere pau-"latim,

"latim, à minoribus ad majora, à notioribus ad ig-
"notiora. Unde à Præmissis incipit, ut obtineat
"conclusionem, quæ aliquid amplius continet. Vera quidem ista: sed Argumentum nostrum non tangunt. Quia si ipsa conclusio Præmissas, seu earum assensum, continet, ut volunt Adversarii, intellectus in illa sic procederet ut in Responsione dicitur: Ut &c, sine repetitione præmissarum, sic procedit. Confirmatur Argumentum sic. Totus Syllogismus consistit in assensu præmissarum, & conclusionis. At utrumq; juxta Adversarios habetur in conclusione. Ergo, juxta eos, Totus Syllogismus in conclusione habetur. Vel sic Syllogismus affirmans perfectè conficitur, cum extrema cernuntur esse eadem inter se, quia observantur esse eadem uni tertio: at totum hoc in conclusione præstatur, si vera est Adversariorum sententia. Supervacaneæ igitur sunt præmissæ, nisi in quantum conclusio eas continet.

Alii aliis rationibus utuntur quæ non concludunt. Ut ex sententia opposita, *Medium ingredi conclusionem.* Item *ex veris præmissis sequi conclusionem falsam.* ut si ex his præmissis *Omnis homo est substantia. Petrus est homo,* conclusio quæ sequitur sit, *quia omnis homo est substantia, & Petrus est homo, Petrus est substantia:* Hæc enim est falsa propositio causalis. Petrus enim non ideo est substantia quia est homo: Cum posset substantia esse, licet non esset homo, sed bestia, vel lapis. Hæ inquam non urgent. Quia dicent Adversarii, ad priorem quidem, medium abesse debere ab ea sola parte conclusionis, in qua alterum extremum de altero concluditur, non autem ab illa in qua ratio motiva attingitur. Ad posteriorem vero dicent, conclusionem non semper contineri in ejusmodi propositione causali, in qua una pars reddit causam alterius, sed sæpius in illa in qua una pars reddit rationem cur altera agnoscenda sit; ut in exemplo adducto.

Obj. I. Electio mediorum intrinsece attingit finem.

Ut cum quis propter sanitatem vult medicamentis uti. Ergo etiam actus conclusionis, intrinsece attingit præmissas. Quemadmodum enim se habent media ad finem; ita se habet conclusio ad præmissas. Hoc est, sicut media expetuntur propter finem; ita conclusio agnoscitur propter præmissas. Huic Argumento diffidit Arriaga: quia dispar est ratio conclusionis & mediorum. Hæc enim nullam habent expetibilitatem propter se, sed tantum propter finem: Conclusio vero per se cognoscibilis est: sed hæc ratio nihili est. Quia sicut media quatenus sunt media non sunt expetenda, nisi propter finem, ita neque conclusio quatenus est conclusio, seu propositio deducta, cognoscibilis est, nisi per & propter præmissas. Loquitur autem objecto, de mediis, quatenus sunt media, & de conclusione, quatenus est conclusio.

Aliter igitur respondendum est, negando Electionem mediorum intrinsece attingere finem. Sic enim esset simul *Electio* & *Intentio*. Verum tantum est Electionem mediorum conjunctum habere, in voluntate, alium actum, per quem amatur, & intenditur Finis. Et similiter assensus conclusionis conjunctum habet, in intellectu, alium actum, per quem assensus præbetur præmissis, vel explicite, vel confuse. Et sicut Electio medii respectum dicit ad intentionem Finis, ut ad causam quæ disponit ad ea eligenda, ita etiam assensus conclusionis respectum dicit ad assensum præmissarum, tanquam ad Causam quæ disponit ad veritatem illius agnoscendam. Sicut denique Finis ipse est Causa procatarctica actus per quem eliguntur media, ita etiam lumen præmissarum est causa motiva seu inductiva assensus conclusionis. Non autem necesse est ut Effectus intrinsece complectatur suam causam.

Obj II. Si hic actus *credo fuisse Abrahamum*, eo quod Deus qui verax est, ita testatur, revelatione

ne nititur, ut ratione motiva, utique rationem illam intrinsece attingit. Secus enim non esset actus Fidei Divinæ, magis quam si niteretur Testimonio Humano.

Resp. Negamus connexionem. Potest enim niti ratione motivâ quam intrinsece non attingit. Nam actus ideo hac vel illa ratione niti dicitur, quia nititur alio actu qui rationem illam intrinsece attingit. Sic sufficit actum quo credimus Abrahamum fuisse, esse actum Fidei consequenter, (immediate enim non est actus Fidei, præsertim divinæ) quia intellectus determinatur & inducitur ad eum eliciendum, per actum prævium, qui est immediate & per se actus fidei: Sicut effectus dicitur supernaturalis, quia procedit à causa supernaturali, aut saltem supernaturaliter agente.

Obj. III. Conclusio est intrinsece conclusio, & aliquid speciale, per eam, cognoscitur, ut notæ & phrases illativæ, *Ergo igitur, idcirco, propterea, ob hanc rationem, hinc infertur*, & similes, denotant. Hoc autem speciale quod per eam cognscitur, non potest esse aliud quam objectum præmissarum. Confirmatur. Non possumus inferre conclusionem, nisi per notas illas. At si per eam objectum præmissarum non attingeretur, facile posemus sine illis eam inferre.

Resp. I. Conclusio potest ese intrinsece conclusio, licet objectum præmisarum intrinsece non attingat, sed tantum ab asensu earum prævio pendeat. Ut filius potest dici intrinsece filius, nempe qua filius, ex eo tantum quid sit ab alio qui est Pater, licet eum intrinsece non complectatur, sed tantum extrinsece connotet.

II. Nihil speciale per conclusionem cognoscitur quod non cognoscitur per præmisas. Eademque propositio quæ nunc est conclusio, potest in alio Syllogismo ese præmisa.

III. No-

III. Notæ Illativæ nihil contra nos conficiunt. Quia solum denotant conclusionem ex præmissis innotescere seu assensum illius ex harum assensu pendere. Per illum enim intellectus dicit, *Propter rationem quam nunc intueor, aut jam intuitus sum, video hoc vel illud ita esse.* Ex quo neutiquam sequitur intuitionem rationis motivæ esse partem actus per quem infertur conclusio.

IV. Non possumus quidem sine notis istiusmodi inferre conclusionem sermone externo, ita ut audiens percipiat nos illam inferre: At de sermone interno non constat. Satis enim est, ut Mente inferamus, si una veritate agnita, aliam ex ea pendentem, seu cum ea connexam, agnoscamus. Et si de actu interno constaret, non sequetur illum attingere rationem motivam, sed tantum ex alio actu pendere per quem hæc attingitur.

Obj. IV. Assensus conclusionis esset Assensui Principiorum similis.

Resp. Nihil minus. Quia assensus principiorum elicitur independenter à judicio præcedaneo; assensus conclusionis non ita.

Obj. V. Intellectus dum discurrit, nititur illi principio *quæ sunt eadem uni tertio* &c. Ergo illud cognoscit. Sic autem cognoscit seu attingit objectum præmissarum.

Resp. Totum conceditur. Intellectus enim dum discurrit principio illi innititur, quatenus illud agnoscit in præmissis, (licet plerumque in actu exercito tantum) indeque in conclusione statuit de extremis. Sed per ipsum actum conclusionis principium illud cognosci, est id quod quæritur.

Obj. VI. Si rogetur quis, cur assentiatur huic aut illi propositioni, modo non sit ei per se nota, respondebit quia ita se habent præmissæ. Ergo,

Resp. Nihil sequitur contra nos. Solum enim probat eum qui assentitur conclusioni alicui, vel intueri,

tueri, vel intuitum fuisse rationem quæ ad assensum illum inducit; & sensum quendam rationis istius mente retinere. Sed non probat eum per unum & eundem actum, tum rationi motivæ, tum propositioni quæ cum ea connectitur, assentiri. Satis enim possibile est, ut per diversos actus huic & illi assentiatur.

Quæst. VII. *An possit esse Syllogismus ex premissis aperte falsis.* Dico autem ex *aperte* falsis; Quia dubium non est, quin aliquando fiant syllogismi, ex altera vel etiam utraque præmissa quæ falsa sit, modo appareat esse vera.

Resp. I. *Potest esse Syllogismus quoad formam Logicam, ex præmissis aperte falsis.* In his enim dispositio terminorum & propositionum potest esse legitima, seu regularis. Ut in hoc Syllogismo *Omnis homo est arbor, Omnis equus est homo, ergo omnis equus est arbor.*

II. *Ex premissis aperte falsis, nisi supponantur pro veris, nequit* esse syllogismus utilis, aut qui officio suo fungatur. Ratio est quia finis & officium Syllogismi est, mentem per evidentiam præmissarum ad assensum conclusionis inducere. At ubi præmissæ sunt aperte falsæ, nec supponuntur pro veris, non possunt mentem ad assensum conclusionis inducere. Tunc enim mens plane dissentit à præmissis. Adeoque necesse est ut dissentiat etiam conclusioni quæ ex illis sequitur; Atqui finis Syllogismi est ut verum inveniatur, aut confirmetur. Dicimus autem *nisi præmissæ supponantur pro veris*: tunc enim est Syllogismus ducens ad incommodum, ut vocatur: Cum scilicet arguimus ex falsis principiis adversarii, quæ is pro veris amplectitur. Sicut & ex falsis præmissis, ex suppositione quod essent veræ, vera conclusio inferri potest.

Quæst. VIII. *An. ad assensum conclusionis eliciendum, opus sit ut mens percipiat consequentiam esse bonam?*

Resp.

Resp. Non necesse est ut respiciat ad ullam regulam Logicam quæ bonas consequentias à vitiosis distinguit. Multi enim qui regulas non tenent, satis firmiter assentiuntur conclusionibus. Sed sufficit si videat connexionem extremorum cum medio, in materia particulari. Ex. g. ut quis ex hoc antecedente, *Petrus currit*, inferat *ergo Petrus movetur*, non necesse est ut videat Syllogismum esse in Darii, in quo consequentia semper bona est: Aut ut teneat regulam, *à specie ad Genus valet consequentia affirmative: seu posita specie ponitur Genus*; sed tantum ut videat motum in Idea Cursus necessario contineri.

DISPUTATIO XXVI.

De Figuris & Modis Syllogismorum.

Quæst. I. QUot sint Figuræ Syllogismorum simplicium? Communis sententia, cum Aristotele, tres tantum agnoscit. Sunt tamen qui quartam adjiciunt, quæ *Figura Galeni* dicitur. Is enim tribus Figuris Aristotelicis quartam addidit, ut testatur Averroes: Licet in scriptis Galeni quæ extant nulla ejus sit mentio. In hac questione

Thesis nostra est, *Quatuor esse Figuras Syllogismorum simplicium.*

Probatur. Pro diversa dispositione medii termini cum partibus quæstionis, Figuræ Syllogismorum sunt diversæ, ut omnes fatentur. At quatuor modis disponi potest medius terminus cum partibus quæstionis.

onis. Vel enim medius terminus majori extremo subjicitur, & de minori prædicatur ut in prima Figura; vel de utroque prædicatur ut in secunda; vel utrique subjicitur ut in tertia; vel denique de majori extremo prædicatur & minori subjicitur; quæ dispositio terminorum eodem jure figuram distinctam constituit, ac reliquæ.

Adde nonullas esse conclusiones quæ in nulla ex tribus figuris receptis directe & immediate ex eisdem præmissis & per idem medium inferri possunt: Ut exempla Syllogismorum quartæ Figuræ, in *Institutionibus* nostris, *parte com. cap.* 26. *sect.* 6. tradita ostendunt. Utile autem & necessarium est, omnes modos recte concludendi per quodlibet medium idoneum, proponere: Ut & perfectio artis Logicæ postulat. Unde viri docti nonnunquam utuntur Syllogismis quartæ Figuræ, & conditio materiæ ad eam interdum mentem trahit. Excipiunt quartæ Figuræ Adversarii, eam non differre à prima nisi transpositione præmissarum, & inversione conclusionis. Verum si hæc ratio contra quartam figuram valeat, valebit etiam adversus secundam & tertiam; quia per transpositionem & inversionem præmissarum, Syllogismi illarum figurarum, non differunt à Syllogismis primæ. Sic enim ad eam reduci solent. Deinde quidam Syllogismi quartæ Figuræ, neque per transpositionem præmissarum, nec per inversionem conclusionis ad primam reduci possunt: ex. g. hic, *Nullus miser est æquanimus, Quidam æquanimus est pauper,* Ergo *aliquis pauper non est miser.* Si enim præmissæ transponantur, major erit particularis in prima figura, & minor negans. Nec potest Syllogismus iste fieri in Ferio, nisi utraque præmissarum conversa. Nec in Festino nisi conversa minori; neque in Ferison, nisi conversa majori. Sic autem non erunt eædem præmissæ.

Obji-

Objiciunt Conimbricenses in Lib. 1. prior. cap. 7. quæst. 1. Art. 1. *Si recte constitutum est illud esse majus extremum in syllogismo, quod de medio prædicatur, fieri omnino repugnat ut medius terminus de majori extremo prædicetur, & minori subjiciatur: ne minus præstantem locum majori extremo concedamus.*

Resp. Mira est ista argumentatio à tantis viris profecta. An non enim, ut ipsi probe noverant, medius terminus de majori extremo prædicatur in secunda Figura? Dicendum igitur prædicatum quæstionis nullam aliam ob causam majus extremum vocari, quam quia prædicatum propositionis præcipue attenditur, eo quod subjectum cui tribuitur, explicet: Deinde quia difficilius est invenire attributa quam subjecta. Hoc est facilius menti nostræ occurrunt res (has enim sensus & ratio quotidie suggerunt) quam attributa quibus cognoscantur.

Objiciunt etiam rationem Averrois: "Nihil minus expectat ratio naturalis, quam ut inferetur id "quod subjiciebatur medio termino, de illo quod "de eodem medio prædicabatur. Ratio enim na-"turalis postulat, ut id quod affirmatur aut negatur "de aliquo subjecto, affirmetur etiam aut negetur "de omnibus sub eo contentis. Quando igitur id "quod subjicitur medio prædicatur de attributo "Medii, prædicatio est indirecta, & non natura-"lis.

Resp. Obscura est ista ratiocinatio. Cui dandum est quartam figuram minus esse naturalem, hoc est, minus facilem & evidentem, minusque menti arridere, quam prima. At quid inde? An non id ipsum verum est de secunda & tertia? Ut & ipsi Aristotelici fatentur. Unde falsum est expectationi rationis adversari, quod in ea inferatur id quod subjicitur medio, de eo quod de eodem medio prædicatur. Cur enim per ejusmodi illationem magis frustratur spes mentis, quam per illas quæ fiunt in secunda figura;

figura, in qua id quod ſubjicitur medio, concluditur de eo quod eidem ſubjicitur, aut in tertia in qua id quod prædicatur de medio concluditur de eo quod de eodem prædicatur. Ad confirmationem dicimus, ſenſum illius regulæ in qua fundantur Syllogiſmi univerſales, non eſſe quaſi id quod affirmatur, vel negatur de aliquo ſubjecto, affirmari vel negari *debeat* de ſolis illis quæ in extenſione illius continentur (ut multa exempla oſtendunt) ſed tantum quod de iis affirmari vel negari *poſſit* ſalva veritate. Nec obtinet illa regula niſi in ſola prima figura. Neque etiam in omnibus illis modis; ſed in illis tantum in quibus minus extremum in extenſione medii termini continetur. Regula autem univerſalis omnium Syllogiſmorum, *Quæ neceſſario connexa ſunt cum eodem tertio, aut ab eo disjuncta, illa etiam connexa aut disjuncta ſunt inter ſe*, in quarta figura locum habet, non minus quam in reliquis.

Quæſt. II. *An quatuordecim tantum ſunt modi Syllogiſmorum Univerſales, directe concludentes, in tribus primis Figuris.*

Reſp. Affirmative, juxta regulas enim in *Inſtitutionibus, Part. Com. Cap.* 27. traditus, tot ſunt modi boni & utiles, nec plures eſſe poſſunt. Hoc ut manifeſtum fiat obſervandum eſt, quatuor eſſe Genera propoſitionum ex quibus fiunt Syllogiſmi Univerſales; Univerſalis affirmans, Univerſalis negans, Particularis affirmans, & Particularis negans, quæ quatuor literis A, E, I, O; indicari ſolent. Jam vero primo patet tot eſſe poſſe modos Syllogiſmorum, iſtiuſmodi propoſitionibus conſtantium, quot modis propoſitiones iſtæ, ſi tres tantum ſimul ſumantur, combinari poſſunt. Atqui ex doctrina combinationum, quæ in Arithmetica traditur, propoſitiones illæ A, E, I, O, ſi tres ſimul ſumantur, 64, modis diſponi poſſunt, nec pluribus, nec paucioribus. Ex his vero excluduntur 54 per regulas ſupra dictas.

Sunt

Sunt igitur decem tantum modi utiles, ſcilicet, A, A, A; E A, E; A, I, I; E, I, O; A, E, E; A, O, O; A, A, I; E, A, O; I, A, I; O, A, O, Hinc tamen non ſequitur decem tantum eſſe genera Syllogiſmorum Univerſalium recte concludentium; quia ex decem plures eſſe poſſunt ejuſdem ſpeciei, in diverſis figuris, ut & revera ſunt. Ut A I I in prima & tertia, E, I, O, in omnibus tribus, E, A, E, in ſecunda & tertia. Ex denis illis modis, ſex in prima figura excluduntur per regulas, ſingulorum Syllogiſmorum proprias, *Inſtit. part. com. cap.* 28. Scilicet, A, E, E, & A, O, O, per regulam ſecundam quæ minorem jubet eſſe affirmativam; I, A. I, & O, A O, per primam, per quam major debet eſſe Univerſalis; A, A, I, & E, A, O, Quia ſi minor Univerſalis ſit in prima figura, minus extremum univerſaliter in illa diſtribuitur, adeoque, ut adæquate concludamus, hoc eſt totum quod ex præmiſſis directe concludi queat, neceſſe eſt concluſionem etiam eſſe univerſalem. Reſtant igitur quatuor tantum modi legitimi in prima Figura. In ſecunda Figura excluduntur A, A, A; A, A, I, & A, I, I, per regulam tertiam, quæ requirit alteram præmiſſarum eſſe negantem: I, A, I; O, A, O, per regulam primam, quæ prohibet ne major ſit particularis: E, A, O, deneque propter eandem rationem ob quam rejicitur à prima Figura. Reſtant igitur quatuor. In tertia Figura, A, A, A; E A, E; A, E, E, rejiciuntur per regulam quartam, quæ concluſionem poſtulat particularem; A, O, O, per regulam ſecundam, quæ minorem vult eſſe affirmantem. Reſtant igitur ſex. Quare modi Univerſales recte concludentes ſunt tantum quatuordecem, quod erat demonſtrandum. Eodem modo demonſtrare licet per regulas quartæ figuræ proprias quinque tantum eſſe illius modos recte concludentes.

Obj. I. Plures ſunt modi recte concludentes: Quod

Quod variis instantiis ostendere conatur *Derodon log. contract. cap.* 4. *sect.* 3.

I. Ex omnibus negantibus, etiam ex minore negante in prima Figura recte concluditur. Primo cum medium est terminus negans vel infinitus. Ut *quod non est animal, non est homo, statua Cæsaris non est animal,* ergo *statua Cæsaris non est homo.* Deinde cum medium signo exclusivo afficitur. Ut *solus Deus est adorandus: Imagines Dei non sunt Deus, non igitur sunt adorandæ.*

II. Item ex omnibus particularibus: Ut *aliquod animal est rationale, aliquod animal est homo,* ergo *aliquis homo est rationalis.*

III. Ex majori particulari in prima & secunda Figura: Ut *aliquod animal est rationale: omnis homo est animal:* ergo *aliquis homo est rationalis.*

IV. Ex omnibus affirmantibus in secunda Figura: ut *omne rationale est risibile, omnis homo est risibilis,* ergo *omnis homo est rationalis. Omne brutum est animal, omnis asinus est animal,* ergo *omnis asinus est brutum.*

V. Dicit in tertia Figura minorem esse posse negantem, & conclusionem universalem: Sed nullum exemplum affert. Quanquam facile sit exempla adducere iis similia quæ in secunda & tertia instantia exhibentur. Ut *omnis homo est rationalis; nullus homo est bestia;* ergo *nulla bestia est rationalis.*

VI. Addit rationem cur ex omnibus negantibus, & particularibus in quavis figura, ex particulari in prima & secunda, ex omnibus affirmantibus in secunda, &c. aliquando recte concludere liceat, aliquando non, hanc esse, quia sic aliquando sunt quatuor termini, unus scilicet æquivocus, qui duobus æquipollet; cum non eodem modo significet in omnibus propositionibus, in quibus adhibetur: aliquando vera sunt tantum tres.

Unde regulam statuit, *semper recte concludi, quando in Syllogismo tres tantum sunt termini non æquivoci.*

Respondent quidam Syllogismos istiusmodi concludere vi solius materiæ non autem vi formæ Syllogisticæ.

Replicat Derodon, "Omnem formam Syllogisticam, & omnes regulas syllogismorum, nec non " reliqua præcepta Logica, niti experientia reflexa: " per quam observatum est omnes syllogismos, in " quibus sunt tantum tres termini non æquivoci, " recte concludere: hoc est, veram semper inferre " conclusionem, modo veræ sint præmissæ. Adeoque Syllogismos istiusmodi concludere vi formæ.

Discursum hunc breviter, exercitationis gratia, Ventilemus. Ad prius exemplum primæ instantiæ respondet ipse Derodon. Minorem non esse negatam, sed affirmatam. Quia affirmatur in illa medium de minori extremo. Medium enim non est *animal, sed id quod non est animal.* Quod clare patere dicit, si præmissas in propositiones infinitas commutentur, hoc modo, *quod est non-animal, est non homo: Statua Cæsaris est non animal*, Ergo. Sed ex ista responsione, sequetur omnem propositionem negantem dici posse affirmantem. Siquidem in omni negante, negatio attributi negati attribuitur subjecto: ut cum dicimus hominem non esse lapidem negatio lapis tribuitur homini, quod autem medius terminus sit negativus, naturam minoris propositionis immutare nequit. Deinde in minori, nota negandi præficitur copulæ. Quidni igitur negans censenda est?

Dicendum igitur potius est, Majorem esse affirmativam. Aut saltem non concludere nisi virtute affirmativæ, *Omnis homo est animal*, in qua includitur, & quæ ad veritatem ipsius præsupponitur. Si

instet

instet quis Syllogismum hunc procedere à negatione Generis ad negationem speciei, qui processus legittimus est, adeoque esse bonum, licet utraque præmissarum negante constet.

Resp. Processum illum niti axiomate affirmante, nempe posita specie ponitur Genus, seu speciem necessario includere naturam Genericam.

Ad alterum exemplum primæ instantiæ dicimus, majorem nec esse propositionem simplicem, nec esse pure negativam, duas enim complectitur propositiones nempe *Deus est adorandus*, & *nihil aliud est adorandum.* At Regulæ Syllogismorum de illis tantum Syllogismis intelligendæ sunt, quæ constant propositionibus simplicibus, aut quæ simplicibus æquipollent. Deinde concludit Syllogismus propositus, vi affirmantis, *Omne adorandum est Deus,* in qua exclusiva includitur.

Reliquæ instantiæ non concludunt vi formæ. Syllogismi enim vi formæ concludere dicuntur, qui in omni materia simili concludunt. Atqui in alia materia simili Syllogismi isti non concludunt. Ut ex omnibus particularibus, *aliquod animal est irrationale, aliquod animal est homo*; Ergo *aliquis homo est irrationalis.* Et ex majori particulari in prima & secunda figura; *aliquod animal est irrationale, omnis homo est animal,* Ergo *aliquis homo est irrationalis*: & sic de cæteris. Similis autem est materia, cum propositiones sunt ejusdem formæ, quoad quantitatem & qualitatem.

Inst. Ad formam Syllogismi pertinet regula quod in eo tantum sint tres termini: At Syllogismi illi vi regulæ istius concludunt. Ergo concludunt vi formæ.

Resp. Cum tres termini materia legitima sint boni Syllogismi, ut omnes concedunt, regula illa non præscribit formam, sed materiam indicat. Forma autem consistit in figura & modo; nempe

in ejuſmodi diſpoſitione illorum terminorum, & trium propoſitionum ex eorum combinatione exurgentium, quæ nunquam falſam concluſionem ex veris præmiſſis infert.

Inſtabis porro: Modo ſint tantum tres termini, perinde eſt qualiſnam ſit Figura vel modus. Si enim Syllogiſmus his ſolis conſtiterit, ſemper recte procedit. Non igitur concludit vi formæ, ſed vi materiæ.

Reſp. Fatendum eſt omnes regulas ad modum & figuram ſpectantes, eo collineare, ut in ſyllogiſmo ſint tantum tres termini, rite diſpoſiti, hoc eſt in aliquo modo & figura poſiti. Hinc tamen non ſequitur formam eſſe plane indifferentem, aut Syllogiſmum vi illius non concludere. Quia in aliqua forma non poſſunt eſſe niſi tres termini, in aliqua alia poſſunt eſſe quatuor, ſeu unus æquivocus. Expedit autem differentiam illam, regulis quibuſdam de diſpoſitione terminorum, & quantitate ac qualitate propoſitionum indicare.

Notandum etiam eſt, modos illos qui non ſemper recte concludunt, non eſſe neceſſarios. Concluſio enim quæ in illis infertur inferri poteſt per idem medium in aliis modis qui nunquam fallunt. Et mens, ſponte ſua, raro aut nunquam illis utitur.

Denique notandum eſt regulas Syllogiſmorum, nec ſola experientia reflexa, neque ea præcipue, niti, ſed principiis quibuſdam univerſalibus per ſe notis, quæ axiomatis illis & regulis quas in *Inſtit. part. com, cap.* 27. tradidimus, continentur. Quibus oſtenditur Syllogiſmos in tali modo & figura non poſſe eſſe vitioſos, ſeu ratio redditur à priori, cur ſint recti: & mentem plane convincunt quod in omni materia ſimili obtineant Cum per experientiam in paucis tantum individuis, rectitudinem eorum

rum percipiamus. Idem dicendum est de reliquis præceptis Logicæ.

Objiciuntur, II. Nonnulla exempla Syllogismorum, qui juxta regulas communiter receptas formari videntur, falsam tamen conclusionem inferunt, ex veris præmissis. Ut,

1. *Omne individuum alicujus speciei est equus; Omnis homo est individuum alicujus speciei: Omnis igitur homo est equus.*

2. *Omnis planta vel canis latrat; omnis arbor est planta vel canis:* Ergo *omnis arbor latrat.*

3. *Nullus homo dum sedet ambulat: omnis homo dum sedet est homo:* Ergo *nullus homo ambulat.*

4. *Omne ridens movetur: Omne ridens est homo:* Ergo *aliquis homo movetur.* Ponamus autem nullum hominem actu moveri. falsa erit conclusio, cum tamen præmissæ necessariæ sint, et semper veræ.

5. *Omne animal sentit: Quoddam animal est non omne animal;* Ergo *non omne animal sentit.*

Resp. Ad primum, utramque præmissarum esse particularem. Habent enim hunc sensum, *Quædam species habet omnia individua equina, quædam species habet omnia individua humana.* Unde sunt in Syllogismo quatuor termini.

Ad secundum, major vel est propositio disjunctiva hunc sensum habens, *vel omnis planta latrat, vel omnis canis latrat*, sic autem Syllogismus non est simplex et categoricus, ut loquuntur, sed disjunctivus: qui idcirco procedere debet à positione unius membri ad remotionem alterius; vel contra. Vel non est disjunctiva, sed hoc sensu accipienda, *omne quod est planta vel canis latrat*, ut minor indicat: Sic autem est falsa. Æquipollet enim copulativæ, *& planta & canis latrat.*

Ad tertium, particula *dum sedet*, vel pertinet ad subjectum in majori, vel ad attributum. Si ad subjectum, in hunc sensum, *nullus homo sedens ambulat*,

ſubſumi debet in minori, *Omnis eſt homo ſedens:* & ſic minor erit falſa. Si ad attributum pertinet, hoc ſenſu, *Nullus homo ambulat dum ſedet,* ſeu eo tempore quo ſedet, ſic concluſio non erit falſa.

Ad quartum dicimus, minorem duplicem ſenſum admittere: alium abſolutum qui ſupponit exiſtentiam ſubjecti, nempe *ridentis*, & abſolute affirmat hominem eſſe idem cum eo: ſic autem eſt falſa. Abſolute enim loquendo homo non eſt idem cum eo quod actu ridet: quia fieri poteſt ut ſit idem cum non ridente: & contraria poteſt eſſe vera, *Nullum ridens eſt homo,* eo tempore quo nullus homo ridet. Alium ſenſum patitur, qui conditionatus eſt, ex hypotheſi ſcilicet, quod ſit aliquod ridens. Unde admiſſa hypotheſi quod aliquis homo actu rideat, ſequitur concluſio, aliquis homo movetur. Et ſuppoſitio facta contradicit minori in eo ſenſu quo minor eſt vera.

Ad quintum dicimus, minorem eſſe negantem in tertia figura. Eundem enim habet ſenſum, ac quoddam animal non eſt omne animal: Alii dicunt eſſe quatuor terminos; ſcilicet, *Omne animal, quoddam animal, ſentit, & non omne animal.*

Quæſt. III. *Quomodo ſe habeant figuræ ſyllogiſmorum ad invicem: ratione perfectionis & imperfectionis?*

Theſ. I. *Prima figura reliquis perfectior eſt.*

I. Quia omnia genera quæſtionum in ea concludi poſſunt, ſcilicet Univerſalia, particularia, affirmantia & negantia. Cum in ſecunda ſola negantia, in tertia & quarta ſola particularia concludi poſſunt.

II. In prima figura medius terminus non tantum officio, ſed etiam ſitu medius eſt. Eſt enim ſubjectum majoris extremi, & Attributum minoris, quod idcirco ipſi ſubjicitur. Adeo ut diſpoſitio terminorum in prima figura ſit maxime naturalis: & ad eam ſponte ſua recurrant ratiocinantes, niſi conditio materiæ obſtet. Ex. gr. accipiamus tres illos terminos,

minos, *sentiens, homo*, tanquam externa, *animal* ut medium, mens in prima figura sic arguit: *sentiens unitur animali, & animal unitur homini*, ergo etiam *sentiens & homo sibi invicem uniuntur*: ubi ordo terminorum est homo animal sentit, vel sentit, animal, homo. Eo modo quo partes lineæ A, C, cohærent per intermediam B. a | b | c. In reliquis vero figuris medium est tantùm officio medium. Nam in secunda figura, in qua medium utrobique prædicatur, & in tertia, in qua utrobique subjicitur, situ extra est. Nec tamen idcirco inidoneum est ad extrema unienda, hoc est ad unionem eorum nobis indicandam. Ad hoc enim præstandum, sufficit si cum utroque extremo identificari perspiciamus, qualiscunque sit ordo identitatem illam apprehendendi. In quarta vero figura medium quidem situ medium est, sed extrema ordine inverso disponuntur: quia majus extremum sub medio, minus supra locatur.

Addunt plurimi aliam rationem, cur Syllogismi primæ figuræ perfectiores sint; scilicet quia in iis vis consequentiæ, & dictum *de omni & de nullo*, luculentius apparet. Sed hæc ratio nulla est. Nam dictum *de omni & de nullo*, non habet locum in secunda & tertia figura. Quia in secunda majus extremum nec affirmatur nec negatur de medio, sed hoc de illo. Et in tertia licet majus extremum affirmetur vel negetur de medio, minus tamen sub eo non continetur. Nec video cur necessitas consequentiæ in prima figura luculentior sit, nisi quia ordo terminorum in ea magis est naturalis. Omnes enim boni Syllogismi nituntur his principiis per se notis, *Quæ sunt eadem cum eodem tertio sunt eadem inter se: & quorum alterum cum eodem tertio idem est, alterum ab eo diversum, illa sunt diversa inter se.* Hæc autem, si quis, in quovis syllogismo, locum habere perspe-

xerit, fieri non potest quin consequentia ei evidentissima sit. Sed expeditius cerni videntur in prima figura: Et idcirco consequentia in ea facilius percipitur. Hinc Syllogismi reliquarum figurarum ad eam reducuntur, tanquam ad statum perfectiorem

Corrolarium. *Figura* quæ *prima* ab Aristotele statuitur *ordine doctrinæ primo proponenda est.* Contra *Ramum,* et *Ramistas*, qui eam figuram, quæ Aristoteli tertia est, primo loco tradendam esse contendunt. Rationes sunt.

1. Quia Figura illa nobilissima est, et ad ratiocinandi usum aptissima.

2. Quia per reductionem ad eam consequentia Syllogismorum reliquarum figurarum declaranda est, si opus sit.

Obj. I. Simplicissima ordine doctrinæ præponenda sunt. At in secunda et tertia Figura dispositio est simplicior: in tertia enim medium antecedit, in secunda sequitur. In prima vero mixta est dispositio, quia medium et antecedit et sequitur. Sic *Dunamius*, in *Rami Dialect. lib. 2. cap.* 10.

Resp. Simpliciora tunc tantum præponi debent, quando mixtorum sunt principia: Quod hic non contingit; secus enim simpliciora sequi debent, cum cognitio eorum à cognitione compositorum pendet.

Obj. II. Ratio methodi postulat ut ab imperfectioribus progrediamur ad perfectiora. Si igitur figura quæ Aristoteli prima dicitur, cæteris perfectior sit, postremo in loco tractanda est.

Resp. Neque ab imperfectioribus, sed à perfectissimis potius incipiendum est, nisi cum cognitio perfectiorum à cognitione imperfectiorum pendet. Ut in doctrina virtutum moralium tradenda, initium recte fit à pietate erga Deum, quæ virtus omnium perfectissima est in se, & hominem maxime decet.

Thesis II. *Perfectio primæ Figuræ supra reliquas est tantum accidentalis.* Perfectio enim essentialis, quæ in

in bonitate consequentiæ consistit, communis est omnibus figuris. Quod autem bonitas illa evidentior sit in prima, quam in reliquis, essentiæ boni Syllogismi supervenit, non autem eam constituit. Sicut quod lux intensior sit, non est de ejus essentia.

Obj. Quidam Syllogismi secundæ & tertiæ Figuræ evidentiores sunt quam quidam primæ, ex. g. hic, *nullus equus est risibilis, omnis homo est risibilis,* ergo *nullus homo est equus*, evidentior est; licet in secunda Figura sit, quam si in prima figura strueretur hoc modo; *nullum risibile est equus, omnis homo est risibilis,* ergo.

Resp. Prior evidentior est & magis placet, ratione prædicationis terminorum in majori; quia in ea illud est attributum, quod natura sua exigit esse attributum, sed non ratione dispositionis syllogisticæ medii cum extremis, (quæ in prima Figura magis naturalis est) & evidentia sequelæ quæ in eadem major est.

DISPUTATIO XXVII.

De Divisione Syllogismorum ratione Materiæ.

SYllogismus ratione materiæ spectatus, dividitur in *Verum* et *Fallacem*. Verus dicitur qui parit assensum verum. *Fallax* qui parit errorem. Prior rursus, secundum *Aristotelem*, dividitur in *Dialecticum*, & *Apodicticum*. Posterior, in *Pseudographicum*, & *Sophisticum*. Syllogismus Dialecticus communiter definitur, ex *materia* quidem, qui concludit ex probabilibus; ex *effectu* autem, qui opinionem parit. Apo-

Apodicticus, seu demonstrativus, similitur, per *materiam* definitur, qui concludit ex loco causæ proximæ, & adæquatæ, vel effectus: per *effectum* vero, qui Scientiam parit. Syllogismus Pseudographicus dicitur qui ementitur speciem Syllogismi Apodictici. Pseudographicus vero appellatur, propter similitudinem quam gerit ad *Pseudographema*, seu falsam delineationem figuræ in Geometria, quæ videtur continere rationem alicujus Theorematis, aut Problematis, sed eam non continet. Sophisticus denique definitur, qui ementitur speciem Syllogismi Dialectici. Syllogismum Dialecticum aliter *Topicum* vocant, quia vim suam trahere solet, (inquit *Derodon. Log. contract. parte* 5. *cap.* 5.) ex locis quibusdam argumentorum. De hoc genere Syllogismi dum tractant, annumerant communiter plerosque omnium ratiocinationum locos, ut videre est apud *Burgersdicium*, *Derodonem*, & alios.

Aliter tamen *Burgersdicius* Syllogismum *Dialecticum* definit, *Qui opinionem generat, aut quemlibet assensum præter scientiam*; *Instit. lib.* 2. *cap.* 5. Galtruchius vero *Method. & Instit. Log. Disp.* 4. *cap.* 6. Syllogismum ratione materiæ dividit, (& se ita facere dicit ex communi doctrina) in *Demonstrativum, probabilem*, & *Sophisticum*. Et eodem modo definit probabilem quo alii Dialecticum. Sed *Keckermannus System. Log. lib.* 3. *cap.* 11. Syllogismum *verum* dividit in *Contingentem* & *Necessarium*: Et *Necessarium cap.* 15. in Dicticum & *Apodicticum*. Dicticum ibidem dedefinit, *qui ex quovis loco necessario probat præter locos efficientes, Finis & effectus.* Apodicticum definit cap. 22. *in quo effectus probatur per causam efficientem, & destinatum per suum finem*; & contra, *Efficiens ex effectu, & Finis ex Destinato,* hoc est ex medio. Locos etiam Argumentorum distinguit in *Contingentes*, seu *probabiles*, & *necessarios*. Et hos doctrinæ Syllogismi necessarii, illos contingentis subjecit; nec, ut

ut alii, omnia genera locorum commiscuit, aut solos necessarios tradidit. De his sit.

Quæst. I. *Quid de distributionibus Syllogismorum hic traditis sentiendum sit?*

Resp. Varie in illis Erratum est. Et.

I. Male Syllogismus ex solis probabilibus differens, sub Syllogismo vero secundum materiam locatur, ut species sub suo genere. Syllogismus enim verus est qui verum assensum parit. Quod autem probabile duntaxat est, potest esse falsum, & nonnunquam actu falsum est. Fieri igitur potest ut pariat assensum falsum.

Rectius igitur Syllogismus secundum materiam spectatus, divideretur in *Necessarium, Probabilem, & Fallacem.* Seu in eum qui omnino certus est, & semper parit verum assensum, & in eum qui omnino certus est, pro vero tamen ut plurimum habetur; & in eum denique qui plane deceptorius est. Nec enim Syllogismus probabilis inter fallaces censendus est, quia nec semper nec plerumque fallit.

II. Male etiam definitur Syllogismus Sophisticus, qui ementitur speciem Syllogismi Dialectici, hoc est, probabilis. Sic enim Divisio Syllogismi in Apodicticum, Dialecticum, Pseudographicum, & Sophisticum, non esset adæquata Cum præter species illas, ut vulgo accipiuntur, detur quintum membrum, nempe Syllogismus qui ementitur speciem Syllogismi necessarii, nec tamen ex causa aut effectu apparenti probat; sed ex alio loco necessario concludere videtur. Adde quod Fallacia à *non causa pro causa*, inter species Syllogismi Sophistici recensetur. Quæ tamen si causa sit proxima, & adæquata speciem gerit Syllogismi, non probabilis tantum, sed stricte Apodictici. Quin plerique modi Sophismatum extra dictionem, concludere videntur ex medio necessario: eoque facilius imperitos, aut incautos decipiunt. Si enim probabiliter duntaxat concludere

cludere viderentur, præsertim ubi probatio firma et certa expectatur, rarius nos fallere possent.

Syllogismus igitur Sophisticus est, qui concludere *videtur* ex principiis necessariis aut saltem ex probabilibus, cum revera ex falsis aut æquivocis concludit. Et si ita distinguere libet Sophismata, Pseudographus erit qui concludere videtur ex causa, vel effectu, aut signo necessario, quod non præstat. Unde erunt sophismata non tantum è loco *non-causæ pro causa*, sed etiam è locis *non-effectus pro effectu*, et *non-signi pro signo*, secus ac in Logica vulgari statuitur.

III. Sed capitalis error committitur, cum Syllogismus verus dividitur in Dialecticum et Apodicticum; et Dialecticus ex solis probabilibus, Apodicticus autem, non ex quovis loco necessario, sed solummodo è loco causæ, aut effectus, concludere dicitur. Syllogismus enim qui Dialecticus vocatur, hoc est omnis Syllogismus præter Apodicticum, et Sophisticum, (sub quo Pseudographus continetur) sæpissime concludit ex necessariis. Et plerique loci argumentorum ex quibus disserit, Canones continent necessariæ veritatis: Quales sunt loci *Generis, Speciei, Differentiæ, Proprii, Definitionis, Subjecti, Adjuncti, Oppositorum*, &c.

Hoc vidit Burgersdicius, sed minus prudenter vitare conatus est, definiendo Syllogismum Dialecticum, *qui opinionem generat aut quemlibet alium assensum præter scientiam.* Sic enim, pro suo, & aliorum quorundam arbitrio, vocem Scientiæ nimis restrixit. Cum vulgo *Scientia* quemlibet assensum certum & evidentem significet, & contradistingui soleat ab errore, fide, & opinione. Satius fuisset aperte dicere, Syllogismum Dialecticum esse qui è quovis loco concludit, præter causam propriam, & adæquatam, vel effectum proprium.

Dicendum igitur est, Syllogismum Dialecticum esse, qui in disputationibus & colloquiis communiter adhibetur, in quibus exquisitæ rationes nec ne-

cessariæ sunt, nec plerumque adferuntur. Adeoque qui licet ex necessariis, & quidem è loco causæ proximæ, & effectus proprii interdum differat, ad minimum è probabilibus differere debet: Nec aliud voluisse Aristotelem, cum Syllogismum Dialecticum definivit, *qui differit ex probabilibus*, apparet, ex toto illo Tractatu satis amplo, qui octo libris Topicorum continetur. Syllogismus igitur Dialecticus à Demonstrativo differt, ut Totum à parte, qua ratione alibi distinguit Aristoteles, inter Scientiam, et Sapientiam. Quivis enim Syllogismus utilis potest esse Dialecticus: sed non omnis Dialecticus, Demonstrativus est. Rectius igitur *Keckermannus*, Syllogismum verum divisit, primo in *Contingentem*, qui ex solis probabilibus, et *necessarium*, qui ex necessariis differit. Deinde necessarium, in *Dicticum*, et *Apodicticum*: Nisi quod vox *Dicticus* idem significet quod *Apodicticus*; Suntque proinde termini minus idonei. Sed excusare eum debet, quod meliores non occurrerent, nec liberet novos fingere; item quod propositio *apò* nonnunquam significationem intendat. Syllogismus autem qui Apodicticus seu demonstrativus dicitur, est omnium nobilissimus, et veritatem luculentissime intellectui exhibet.

IV. Inepte et pueriliter Syllogismus Dialecticus dicitur *Topicus*, à *tópon*, seu *locis* ex quibus media eruuntur. Propter illam enim rationem omnis Syllogismus Topicus dicendus est. Omnis enim Syllogismus Medium ex aliquo loco arcessit. Perperam etiam Ars Topica Syllogismo Dialectico subjicitur, quasi illius propria foret. Non enim minus, artis requiritur in causis et effectibus germanis rei investigandis, quam in reliquis illius attributis. Aliqua igitur illius pars Syllogismo Apodictico assignari debuit, ut recte à Keckermanno fit.

Quæst.

Quæſt. II. *An recte* igitur *diviſus ſit Syllogiſmus ratrione Materiæ, in Neceſſarium, Probabilem, & Sophiſticum?*

Reſp. Affirmative, Omnis enim Syllogiſmus concludit ex præmiſſis quæ vel ſunt evidenter veræ, & tum dicitur Syllogiſmus neceſſarius; vel non omnino evidenter veræ, & eſt probabilis; vel evidenter falſæ, aut ambiguæ, ſi quis mediocriter peritus & attentus fuerit, eſtque Sophiſticus. Deinde omnis Syllogiſmus vel parit cognitionem certam & evidentem, quæ *Scientia* dicitur; eſtque idcirco neceſſarius: vel non omnino certam & evidentem, quæ tamen etiam à peritis & cautiſſimis non poteſt jure falſa haberi, & eſt probabilis: vel errorem parit qui facilius detegitur, eſtque Sophiſticus.

Obj. I. Eſt etiam Syllogiſmus ex præmiſſis prorſus dubiis, concluſionem dubiam pariens.

Reſp. Si præmiſſæ ejuſmodi penitus dubiæ apparent, nullam concluſionem aut aſſenſum gignunt. Mens enim nihil inferre poteſt ex præmiſſis prorſus dubiis, quamdiu ita apparent. Sin probabiles videantur, aut neceſſariæ, errorem pariunt. Eſtq; Syllogiſmus, ei cui ita apparent, Sophiſticus, aut Pſeudographicus.

Obj. II. Datur etiam Syllogiſmus ex aperte falſis.

Reſp. Ex aperte falſis, cognitis ut falſis, nullus poteſt eſſe Syllogiſmus, niſi in ſimplici apprehenſione; aut cum falſa ſupponantur eſſe vera. Nec enim aliter ex ejuſmodi præmiſſis, mens quidquam concludere poteſt.

Obj. III. Duplex tantum eſt Materia Syllogiſmi; neceſſaria, & contingens, ſub qua continetur poſſibilis. Duo igitur tantum genera ſunt Syllogiſmorum ratione materiæ

Reſp. Si Materia Syllogiſmi conſideretur in ſe, & ut eſt à parte rei, duplex tantum eſt. At ſi conſideretur

sideretur ut cognitioni nostræ subjicitur, (qua ratione hic consideratur) quadruplex est. Vel enim est necessaria, & percipitur esse necessaria; & constituit Syllogismum necessarium: vel est contingens, & intelligitur esse contingens; & constituit Syllogismum probabilem: vel videtur necessaria, aut contingens, seu possibilis, sed non est; & constituit Syllogismum fallacem.

Obj. IV. Syllogismi qui constant ex præmissis necessariis, si solum probabiles putantur, aut ex probabilibus, si putantur necessariæ, ad nullum ex his tribus membris pertinent.

Resp. Qui prioris ordinis sunt, ad Syllogismum contingentem pertinent. In syllogismo enim non tantum spectanda est conditio materiæ in se, sed etiam prout à mente nostra æstimatur: Pro illa enim æstimatione assensum certum aut incertum in nobis gignit. Qui vero ordinis sunt posterioris, constituunt Sophismata.

Obj. V. Syllogismi qui constant altera præmissarum necessaria, altera contingenti; aut altera de Fide divina altera naturali, necessaria vel probabili, mixti videntur, & aliam speciem constituere.

Resp. Qui constant altera præmissarum necessaria, altera contingenti, contingentes sunt. Conclusio enim sequitur deteriorem partem. Qui vero altera de Fide divina, altera naturali, si hæc necessaria sit, Syllogismi sunt necessarii. Si tantum probabilis fuerit, sunt contingentes. Ex. g. *Omnis regenitus salvabitur, quidam ex iis qui externa professione Ecclesiæ Romanæ adhærent sunt regeniti; Ergo quidam ejusmodi salvabuntur.* Ubi major est de Fide, minor probabilis, aut non plane improbabilis; Unde conclusio nonprorsus certa est; quia participat de infirmitate minoris, à qua ex parte pendet, tanquam præmissa debiliori.

Obj. VI. Dantur etiam Syllogiſmi in materia impoſſibili.

Reſp. Syllogiſmi in materia aperte impoſſibili nulli ſunt, ut oſtendimus ſupra *Diſp.* 25. *quæſt.* 7. Si autem materia quæ impoſſibilis eſt in ſe, probabilis aut neceſſaria videatur, Syllogiſmi in ea Sophiſtici ſunt.

Obj. VII. Meminit etiam Ariſtoteles Syllogiſmorum *peiraſticôn,* id eſt qui alterius tentandi gratia adhibentur.

Reſp. Syllogiſmus ejuſmodi, ad quodvis ex membris datis ſpectare poterit, niſi ſit in materia aperte falſa, aut impoſſibili: Et idcirco accidentaliter tantum ab iis differt, ſcilicet ratione animi proponentis.

Quæſt. III. *An Diviſio Syllogiſmi in Neceſſarium, Probabilem, & Fallacem, ſit Diviſio generis in ſpecies; An Subjecti in accidentia?*

Reſp. Diviſio Syllogiſmi *Doctrinalis,* in neceſſarium, & Probabilem, eſt Generis in ſpecies. Probatur,

1. Actus mentis ſunt ſpecie diverſi, qui circa objecta diverſa, præſertim diſſimilia verſantur. At materia circa quam ordines iſti Syllogiſmorum verſantur, eſt diverſa; puta neceſſaria, & contingens.

2. Actus qui diverſimode tendunt in ſua objecta, ſunt ſpecie diverſi, etiam in eo caſu quo materia eadem eſt; ut actus quo mens cum certitudine aſſentitur alicui propoſitioni, ſpecie diverſus eſt ab eo quo eidem aſſentitur, cum formidine, & dubitatione aliqua. Atqui Syllogiſmus neceſſarius & contingens, diverſimode feruntur in ſua objecta: prior cum firmo aſſenſu, poſterior cum vacillatione aliqua. Sophiſticus autem continet aſſenſum erroneum, & verſatur circa objectum quod ſupponitur actu exiſtere, aut poſſe exiſtere, cum tale non ſit. Aſſenſus autem erroneus ſpecie differt à vero. Vel ſic;

Syllogismi quorum unus nititur principiis certis, & evidentibus, & infert conclusionem certam; & evidentem, alius nititur principiis non plane certis, & evidentibus, & infert conclusionem non omnino certam, & evidentem, illi inquam Syllogismi specie differunt. At tales sunt hi Syllogismi. Ergo. Breviter, Scientia, Fides divina, Opinio, & Fides Humana, specie differunt. At Syllogismi isti, ratione assensus qui conclusioni in iis adhibetur, sunt Scientia actualis, Fides divina, opinio, & Fides Humana.

Obj. I. Esse necessarium, probabilem, vel fallacem, sunt accidentia syllogismi. Divisio igitur est subjecti in accidentia.

Resp. Sunt accidentia syllogismi in Genere, in ratione sua abstracta considerati: Eo modo quo esse hominem, vel bestiam determinate, sunt accidentia Logica animalis. At non sunt accidentia syllogismi necessarii, probabilis, & fallacis.

Inst. Sic esse *album* & *nigrum* essent differentiæ specificæ hominis. Non enim sunt accidentia hominis *albi* & *nigri*.

Resp. Non sunt accidentia hominis *albi* & *nigri*, quatenus est albus, aut niger, seu *reduplicative*, esto: qui est albus, aut niger, seu *specificative*, nego.

Jam vero esse necessarium, & probabilem, sunt de essentia Syllogismi, non tantum quatenus est necessarius, aut probabilis, sed etiam qui talis est.

Obj. II. Idem syllogismus potest esse et necessarius et contingens. Necessarius, si præmissæ sint necessariæ, et pro necessariis habeantur; Contingens si licet necessariæ sint, contingentes tantum videantur, ut nonnunquam fit.

Quidam respondent, eundem syllogismum, prout cognitioni nostræ subjacet, nunc necessarium esse, nunc contingentem; Non autem in se, seu ratione

propoſitionum ex quibus conſtat. Sive eundem Syllogiſmum non eſſe per ſe, & neceſſarium, & contingentem, ſed per accidens, propter errorem in eo qui Syllogiſmum format. Sicut actio per ſe bona, mala eſt illi qui putet eſſe malam. Sed hæc reſponſio concedit unam ſpeciem poſſe per accidens fieri aliam; quaſi homo per accidens fieret beſtia, aut viciſſim, quod abſurdum eſt.

Reſp. Igitur negando eundem Syllogiſmum neceſſarium, unquam eſſe contingentem, aut vice verſa. Impoſſibile enim eſt judicium illatum certum eſſe incertum, aut viciſſim. Solum verum eſt, de materia neceſſaria, ſi contingens per errorem exiſtimetur, fieri poſſe ſyllogiſmum contingentem. Ut enim Syllogiſmus neceſſarius ſit, non ſufficit materiam eſſe in ſe neceſſariam, ſed requiritur etiam ut ſciamus eſſe neceſſariam. Hoc eſt certitudinem requirit, & objectivam, & ſubjectivam. Inſtantia actionis bonæ quæ mala evadit, ex eo quod judicatur eſſe mala, non probat unicam per accidens evadere poſſe duplicem; Quia actio circa materiam licitam, ſi putetur eſſe illicita, non eſt eadem in ſpecie ac quando licita habetur. Agere enim ſecundum aut contra conſcientiam, ſunt differentiæ ſpecificæ actionum moralium.

Obj. III. Artefacta per materiam non diſtinguuntur ſpecie; ut *Statua Cæſaris* marmorea, vel Ænea, eſt eadem ſpecie. Quin & in naturalibus, differentiæ ſpecificæ non à materia, ſed à ſolis formis oriuntur.

Reſp. Artefacta intellectualia, quales ſunt ſyllogiſmi juxta regulas Logicas facti differunt ſpecie per materiam. In his enim objecta ſunt materia: actus autem mentis ſpecificantur ab objectis Deinde ſyllogiſmus neceſſarius & probabilis, non tantum materia differunt, ſed etiam forma, ſeu modo quo mens circa materiam exercetur, aſſentiendo ſcilicet

licet cum certitudine, vel cum formidine.

Thes. II. *Divisio illa quoad tertium membrum, non est generis in species.* Hoc est, Syllogismus Fallax non necessario differt specie, à Didactico. Ratio est, quia propositiones veræ & falsæ non semper specie differunt. Ex. g. Propositio quæ affirmat Petrum currere, Petro currente, non differt nisi accidentaliter ab alia quæ idem affirmat, Petro non currente. In illo enim casu, & objectum, & modus qno illud repræsentatur, idem est. Quod autem objectum actu existat cum una elicitur, non autem cum altera, per accidens est ad repræsentationem quæ in illis fit.

Obj. Judicium verum specie differt ab erraneo. At syllogismus didacticus est judicium verum, Fallax est erroneum. Hoc est error & veritas specie differunt.

Resp. Negatur major si universaliter intelligatur. Nec enim in materia contingenti vera est, ut jam ostendimus. Quin neque error differt ab opinione nisi ex accidenti. Potest enim is qui opinatur, errare, & subinde errat, etiam cum omnem diligentiam ordinarie possibilem adhibet. Ut in variis Philosophiæ partibus, quædam sunt opiniones admodum probabiles, & in quibus ne cautissimus & perspicacissimus mortalium majorem certitudinem assequitur, quæ tamen possunt esse falsæ. Syllogismos igitur fallaces nectere dicendus est, qui ex inscitia, aut ex temeritate, vel negligentia, conclusionem infert ex falsis, aut plane dubiis, quæ talia esse perspici possent.

Ex hac Thesi sequitur, *Syllogismum ratione materiæ non posse recte dividi in Necessarium, Opinativum, & Fallacem.* Mala enim est divisio in qua duo membra sunt species Totius dividendi, tertium vero est adjunctum accidentale, ut hic contingit. Sed dividendum est primo in Didacticum, & Fallacem:

& deinde in Necessarium & contingentem, seu probabilem; vel, quod idem est, in Scientificum, & opinativum. Ideo autem in Didacticum, & Fallacem, potius quam in Verum, & Fallacem dividendum censeo, quia, ut supra dixi, Syllogismus contingens seu opinativus non recte subjicitur Syllogismo vero; Didactico tamen recte subjicitur. Quia syllogismus contingens aliquid decet, nempe quomodo res plerumque est, aut saltem quomodo esse potest.

Quæst. IV. *An recte ab Aristotele definita sit Propositio probabilis; quæ omnibus, aut plerisque, aut sapientioribus, iisque vel omnibus, vel plerisque, vel celeberrimis, vera videtur.*

Resp. *Aristoteles* hic non intendit accuratam definitionem. Solum describit propositionem probabilem, per notas & signa quibus dignoscatur: Et varios gradus probabilitatis tradit.

Prima nota quæ supremum gradum indicat, est, *si propositio aliqua omnibus vera videatur*, ut *matrem amare liberos, animam esse immortalem.* Consensus enim communis signum est, esse rationes aliquas magni ponderis, quæ veritatem propositionis suadeant, licet non necessario concludant.

Secunda est, *si* propositio *plerisque vera videatur.* Hoc enim signum est validiores esse rationes quæ pro ea facere videntur, quam quæ contra. Verisimilius utique est pauciores errare, cæteris paribus, quam plures.

Tertia nota est, *si sapientioribus veræ appareat*, qui in arte aut disciplina ad quam spectat propositio, versantur. Tunc enim putandum est esse aliquas rationes graves, quæ in partrocinium illius adduci possunt. Cum sapientes nihil temere statuere soleant. Hanc notam tribus gradibus gradibus distinxit Philosophus; Quod *omnibus, aut plerisque*, aut *probatissimis*, seu celeberrimis videtur. Ex quibus primus maximus

mus est, proximus est tertius, secundus minimus. Plerique enim non sunt oculatiores: & ingenia sagaciora sunt rariora. Interim tamen, ut notæ illæ recte intelligantur, nonnullis cautionibus opus est, quas in solutione objectionum quæ fiunt aut fieri possunt, subjiciemus.

Obj. I. Si probabile est quod omnibus videtur verum, propositiones necessariæ essent probabiles.

Resp. In definitione subintelligendum est *quod non sit certum, & plane evidens*.

Obj. II. Sequeretur, ex illa descriptione, Syllogismum sophisticum esse probabilem. Is enim omnibus speciem, seu apparentiam veritatis offert.

Resp. Duplex est species veritatis; alia quæ ipsos doctos & perspicaces movere posset: alia quæ simplices & incautos fallit. Prior syllogismo ptobabili, posterior sophistico inest.

Obj. III. Sequeretur probabilitatem autoritati hominum niti. Et sic discrimen opinionis; & Fidei humanæ, tolleretur.

Resp. quidam, Si probabile esset *quod omnibus, aut plerisque* &c. *verum videtur*, sine respectu ad rationes quibus moventur, sequeretur quidem quod objicitur. Sed intelligendum est omnibus videri, propter rationes magni ponderis, aut saltem non contemnendas. Sed hæc responsio innuit Fidem Humanam nullum respectum dicere ad rationes testantis, quod falsum est. Nititur enim *autoritati*, quæ non tantum varacitatem, sed etiam judicium, & scientiam complectitur. Adeoq; respicit rationes in genere quibus testis movetur, id est, supponit eum rationes habere cur ita testatur. Respondendum igitur est probabilitatem niti ex parte quidem autoritate hominum, sed de rebus testantium quæ sub sensum & experientiam non cadunt, ut Fides. Hæc enim nititur testimonio de rebus aut factis singularibus; Opinio vero testimonio de universalibus.

 Obj.

Obj. IV. Solent interdum omnes aut plerique in errore aperto consentire; ut Gentiles in Idololatria; totus mundus in Bestia adoranda. Pauciores quandoque rectius sentiunt quam plures. Plerique Philosophorum improbabiles sententias defenderunt. Celeberrimi etiam aperte errarunt; ut Aristoteles de æternitate mundi, Plato de præexistentia animarum, Pythagoras de *metemphuchósei*, id est de animarum transmigratione ex uno corpore in aliud; & varias tenuerunt opiniones futiles. Difficile etiam est decernere quinam sint celeberrimi: Alii enim alios commendant & admirantur. Multo etiam difficilius est certo scire quid omnes aut plerique tenueruut.

Ad ista sic respondebis, I. Raro aut nunquam omnes gentes, & multo minus omnia individua hominum, in eodem errore aperto consenserunt.

II. Quod autem multæ aut pleræque gentium, in eodem errore qui facile detegi posset, consenserint, non ductu rationis id fecerunt, sed ex affectu pravo, aut malo exemplo: ut in judicio falso de pluribus Diis fictitiis, & idolis colendis. Quod ad mundum, admiratione Bestiæ fascinatum, attinet, is non fuit totum Genus Humanum, etiam iis temporibus quibus maxime invaluit potestas Antichristi, sed tantum magna pars mundi Christiani, seu totus fere mundus occidentalis: qui, per synecdochen totius, *mundus* dicitur. Unde rationes quibus in erroribus istis tenendis nitebantur, non fuerunt probabiles, sed sophisticæ. Decipiuntur enim sæpius homines ex affectu pravo & inordinato, qui Sophistices mater est, non minus quam temeritas, & incogitantia: Cum scilicet ita judicant, ut rem esse velint, potius quam ut vere est, aut esse videtur.

III. E Philosophis nonnulli, etiam magni suo sæculo nominis, eadem de causa errarunt. Alii autoritate majorum nimis ducebantur: & maluerunt

in

in placitis antecessorum acquiescere, quam laborem investigandæ veritatis suscipere. Nonnullas etiam sententias tenuerunt, quæ nobis, è sacris Literis edoctis, & ad rationem rectius circa eas exercendam admonitis, aperte falsæ sunt, illis vero lumini naturali relictis, non facile ita apparere potuerunt. Qualis fuit sententia Aristotelis de æternitate mundi, ejusque materiæ, Platonis de præexistentia animarum &c.

IV. Quod igitur omnibus, aut plerisque, aut sapientioribus, verum videbatur, tum demum probabile dicendum est, cum illi puræ rationis imperio se permittentes, sepositis affectibus aut studiis malis, ita judicarunt. Qualis est sententia de immortalitate animæ humanæ; & in judiciis opinio de facto ex circumstantiis, & plurimæ ejusmodi. Vel quod omnes, aut plerique, aut sapientiores, omni affectu vituperabili deposito, nunc etiam pro vero potius quam pro falso haberent.

V. Pro celeberrimis habendi sunt, qui de rebus rectius sensisse à plerisque eorum qui judicio valent, inveniuntur. Judicii autem cujusque virtus, ex effectis, dictis scilicet, factis, & scriptis, æstimanda est.

VI. Ad sententiam communem, sive gentium sive sapientiorum agnoscendam, sufficere poterit Testimonium historiæ, & monumenta doctorum.

Quæst. V. *Quid igitur sit propositionem esse probabilem, & quænam sint causæ probabilitatis?* Varie enim definitur: dum alii dicunt esse, *quæ, cum non omnino certa sit, magis videtur esse vera quam falsa*; ut *Burgersdicius*. Alii, *quæ ita est vera ut falsa esse possit*. Ut *Derodon, Log. contract. cap. 5. num. 122. Comptonus* vero dicit, actum esse probabilem nihil aliud esse, quam *dependere & produci à motivo probabili: Log. Disp. 50. sect. 4. num. 5.* Unde etiam quæri potest, sitne probabilitas attributum actuum mentis, an propo-

sitionis objectivæ. De quibus omnibus sic breviter statuimus.

I. *Probabilitas tum rebus extra mentem, tum actibus mentis convenit. Rebus* quidem, quatenus sunt causæ; aut effecta, signa, & adjuncta quædam, quibus existentia rerum innotescat; ita tamen ut cum iis necessarium connexionem non habeant. Sic *motus leporis* probabilis dicitur, propter vestigia, quæ terræ, aut nivi impressa reliquit. *Actibus* autem, quatenus per ejusmodi rationes, conformitas eorum ad objecta defendi potest.

II. *Actum esse probabilem, non est idem, ac dependere à motivo probabili*: Sunt enim actus probabiles immediati, qui à nullo motivo pendent, sed per se evidentes sunt. Ut *unumquemque amare seipsum.*

III. *Nec recte propositio probabilis dicitur, quæ ita est vera ut possit esse falsa.* Sic enim innuitur propositionem probabilem semper esse verum actu, quod falsum est. Ut probabile fuit, fœminam, quæ in domo sua cervice suspensa reperiebatur, sibiipsi mortem conscivisse; quod tamen falsum esse postea apparuit, ex confessione cujusdam veneficæ, quæ in articulo mortis, factum in se, & alias quasdam criminis socias, recepit. Deinde ex descriptione illa, eadem esset propositio probabilis, & contingens: Quæ tamen distinguuntur; potest enim propositio non solum contingens sed etiam necessaria esse improbabilis, cum scilicet rationes quæ falsam esse suadeant, validiores videntur.

IV. Nec exacta est definitio à Burgersdicio tradita. Innuit enim propositionem probabilem, gradu aliquo, falsam videri. At qui sunt quædam propositiones probabiles quæ nullatenus actu falsæ videri possunt; Illæ scilicet omnes quæ maxime probabiles sunt, non tamen necessariæ. Ut hanc vel illam *matrem amare liberos*. Fieri enim potest ut

nullæ sint rationes in oppositum: In quo casu nullo modo falsa uideri poterit. Non igitur secundum rationes præponderantes probabilitas metienda est, ut descriptio ista indicat.

V. *Propositio* igitur *probabilis* censenda *est quæ cum non omnino necessaria appareat, quemlibet ad assensum inducere apta est.* Seu quæ menti etiam gnaræ, & attentæ, speciem veritatis ingerit. Estque species illa veritatis interdum absoluta; cum nulla species falsitatis occurrit: interdum comparata; cum sunt rationes quædam in utramque partem, sed pondere inæquales. Nec est quod dicas mentem vel plene assentiri propositioni, & sic assensum esse certum subjectiuè, vel omnino non assentiri, adeoque nec esse probabilem. Quia licet veritas rei in indivisibili consistat, assensus tamen mentis gradus firmitatis admittit, soletque illa nunc vehementius, nunc languide propositioni adhærere.

VI. *Causa probabilitatis quandoque est in solis rebus*, cum scilicet illæ pure contingentes sunt. Tunc enim impossibile est menti creatæ, etiam Angelicæ, ex nudo rerum ipsarum intuitu, certo scire hoc ne modo an alio sint; licet in alteram partem valde propensa esse possit; & ita quidem ut nullam de ea dubitationem positivam foveat. Ut, sine dubitatione, nonnullos quibuscum diu versati sumus, pro synceris & genuinis Christianis amplectimur, solum tamen probabilis est æstimatio. Novimus enim possibile esse, absolute judicando, ut quis per maximam vitæ partem, omnia signa externa synceritatis ementiatur. Unde propter rei ipsius naturam contingentem, probabilis tantum est assensus. *Interdum* causa *non est in rebus sed in nobis.* Cum scilicet sunt rationes quæ veritatem necessariam indicare possent, sed nos latent. Ex. g. *Substantia spiritualis* in se, necessario extensa est, vel non. At rationes

quæ

quæ alteram partem necessario concludant, & argumenta in oppositam penitus diluant, nobis occultæ sunt.

Quæst. VI. *Quid censendum de quatuor attributis Topicis, pro quorum numero distixit Aristoteles Problemata seu Quæstiones Dialecticos in quatuor ordines?* Quæstiones enim istiusmodi docet vel esse *Generis*, vel *Definitionis*, vel *Proprii*, vel *Accidentis*. Sunt ex Aristotelicis qui hanc quæstionum, & Attributorum, distributionem, defendere, & demonstrare conantur, hac ratione. Omne Attributum cujusvis Problematis Dialectici, vel reciprocatur cum subjecto suo, vel non, si reciprocetur, vel est essentiale, vel accidentale. Si prius, est Definitio; si posterius, est proprium. Similiter si non sit reciprocum, vel est essentiale, nempe Genus, vel accidentale puta accidens. Ergo quatuor tantum sunt attributa Topica.

Resp. Discursus iste variis nominibus peccat. Primo enim quod ad antecedens spectat, non omne attributum reciprocum essentiale est Definitio, ut hic innuitur, puta differa essentialis. Nec omne proprium est accidens: ut divisibilitas proprium corporis censetur, & risibilitas, & capacitas disciplinarum propria sunt hominis, nec tamen sunt accidentia. Tam enim repugnat corpori esse indivisibile quam esse inextensium. Si igitur extensio sit de essentia corporis, idem de divisibilitate statuendum. Et merito quidem, quia divisibilitas nihil est realiter distinctum ab ipsa corporis extensione. Similiter repugnat, hominem non esse facultate ridendi, & disciplinas aliquas acquirendi instructum, licet illa nonnunquam ex accidenti impediatur, ne in actum secundum promoveatur: Adde etiam esse quædam *accidentia* reciproca: ut *eversio regni Persici* reciprocatur cum Alexandro Macedone: *subjugatio Gallorum* cum Julio Cæsare.

De

De Differentia Essentiali respondent, si consideretur prout respicit speciem quam constituit, esse attributum annexum Definitionis; quia Problema differentiæ è locis definitionis examinatur. Sin ut respicit sua inferiora, esse attributum annexum generis. Sed contra primo, Definitio vel considerari potest ut totum quid, quatenus scilicet adæquatam idæam essentiæ rei continet: sic autem nec genus, nec differentia ex locis & canonibus definitionis examinantur. Alii enim hujus, alii illorum loci, seu canones sunt. Nam loci & canones definitionis postulant, ut *non sit nimis longa, ut verbis claris, & perspicuis efferatur*, & imprimis, *ut adæquatam ideam rei definiendæ exhibeat.* Locus vero præcipuus primæ differentiæ est, ut sit *attributum essentiale proprium, exhibens aliquid admodum rei adjacentis alteri,* & *nullum prius in subjecto præsupponat* à quo oriatur, seu dependeat. Si vero definitio secundum partes suas seorsim consideretur, cur differentia potius quam Genus attributum annexum definitionis statuitur? Utrumque enim ex æquo ei annectitur. Deinde, cum differentia consideratur prout respicit inferiora, (quod tamen nunquam facit quatenus differentia), non potest esse adæquate attributum annexum generis. Quia differentia speciei infimæ, inferiora habet alius ordinis quam Genus. Nec ex iisdem locis definitur quæstio, *an rationale sit genus Socratis, & Platonis,* ac *animal sit genus hominis & bestiæ.* Quin differentia sic considerata, speciei infimæ annectitur, non Generi.

Objiciunt sibi etiam, *Speciem ad nullum ex his quatuor attributis reduci posse.*

Et respondent *Speciem esse attributum annexum generis:* Quoniam (inquiunt), ex iisdem locis *confirmatur Problemata de genere, & specie:* Ex. g. Eadem est quæstio, *Estne homo species animalis*, ac *estne animal genus hominis*; & utraque ex iisdem locis resolvitur.

vitur. Atque licet vera ſint iſta de ſpecie ut ſubjicibilis eſt, de ſpecie tamen prædicabili aliter ſe res habet. Cum enim quæſtio eſt an attributum aliquod eſſentiale commune ſit genus, an ſpecies, non ex iſdem locis utraque pars reſolvenda eſt. Ex. g. ſi quæritur, an cognitio lineæ rectæ bipedalis, in communi, ſit genus ad duas cognitiones duarum linearum bidedalium, an vero ſpecies infima: Si enim ſtatuatur eſſe ſpecies tantum, ex aliis locis probatio petenda eſt, quam ſi genus: ſcilicet è definitione aut proprietate aliqua ſpeciei infimæ, & individuorum, quatenus hæc illi immediate ſubjiciuntur: nec è locis generis probare ullo modo licet.

Objiciunt porro, plurimas eſſe quæſtiones Dialecticas, quæ nullo ex his attributis conſtant: ut *Sintne apes prudentes an non; ſintne Angeli corporei?* & infinitæ iſtiuſmodi.

Reſpondent, diſtinguendo duo quæſtionum genera. Alias ſcilicet eſſe *ſimplicis inhærentiæ*, in quibus tantum quæritur an attributum conveniat ſubjecto, ut in exemplis ſupra datis. Alias eſſe *inhærentiæ modificatæ*, in quibus quæritur non tantum an Attributum ſubjecto conveniat, ſed etiam quomodo conveniat. Has autem ſemper eſſe virtualiter duplices. Ut *ſitne animal genus proximum hominis, ſitne riſibile hominis proprium.* In his enim quæritur, tum an *animal* & *riſibile* homini conveniant, tum etiam an prius ei conveniat ut genus, poſterius ut proprium. Rurſus aiunt quæſtiones *inhærentiæ modificatæ*, aliquando expreſſe continere notionem aliquam ſecundam; ut in exemplis proxime adductis; aliquando nullam exprimere, ita tamen proponi, ut ex ipſa ſermonis formula facile intelligi aliqua poſſit. Ut cum quæritur an eſſe *admirativum* omni, ſoli, & ſemper, homini conveniat, problema facile ſe prodit eſſe *proprii.* His

igitur

igitur præmissis, dicunt Quæstiones Inhærentiæ Modificatæ, ad illud Attributum spectare, quod expresse aut virtualiter in ipsis ponitur. Omnes vero quæstiones simplicis inhærentiæ spectare ad attributum accidentis. Mira sane est hæc solutio: per quam in abusum crassum trahitur vox accidentis. Quasi quidem, quæstiones illæ, in quibus attributum est de essentia subjecti, quæstiones accidentis ideo dicendæ essent, quia in iis solum quæritur an subjecto conveniat necne.

Rectius igitur alii distinguunt Quæstiones, in *Reales*, & *Notionales*: nisi quod, pro terminis istis, satius fuisset Notiones primas, & secundas sumpsisse: eo quod quæstiones quæ Notionales dicuntur, Reales etiam dici possunt. Quæstio igitur *Realis*, seu Notionis primæ, est illa ipsa quam alii *simplics Inhærentiæ* vocant, ex. g. *an apes prudentes? an pars aliqua divinæ mentis iis insit?* Ut quidam è veteribus senserunt. Quæstio *Notionalis*; seu Notionis secundæ, est illa quam *Modificatam* appellant. Ut *sitne corvus necessario an contingenter niger.* Cum igitur omne attributum attributum simplex vel sit Genus, vel Differentia essentialis, (prima vel secunda) vel accidens, Manifestum est quæstiones simplicis inhærentiæ, in quibus attributum est incomplexum, ad aliquod ex his tribus necessario spectare, non minus quam quæstiones inhærentiæ modificatæ. Licet cum hoc discrimine, quod in his aliquod ex tribus illis attributis in actu signato, & expresse, in illis solum in actu exercito ponatur. Ex. g. hæc quæstio, *an apes sint prudentes*, est quæstio Accidentis, quia prudentia in rebus creatis est Accidens: & negative resolvenda est, ex canone accidentis in hunc modum; *cui convenit prudentia, ei etiam convenit intelligentia seu ratio; apibus non convenit intelligentia seu ratio*; nec ex intelligentia, sed ex sensu, &

&

phantasia operantur, ergo *non sunt prudentes*, nisi metaphorice. Consequentia nititur Canone accidentis, *cui convenit Accidens ei convenit subjectum quod illius capax est*. At si quæras, *an Angeli sint animalia*, quæstio erit non *accidentis*, sed *Generis*, vel *Differentiæ*. Canones enim Accidentis ad eam definiendam nihil faciunt, ut per se patet. Sed faciunt Canones Differentiæ, & Generis. Resolvenda enim est negative sic. *Omne animal vita corporea, & organis sensoriis materialibus, de essentia sua, præditum est*; adeoque essentialiter convenit cum hominibus, & brutis, quatenus vivunt vitam corpoream, & sensationes exercent: quæ de Angelis non constant. Prior enim probatio nititur huic canoni, *Cui convenit res, ei convenit Differentia essentialis rei*. Posterior huic, *Attributum Genericum est, in quo essentialiter conveniunt plura, quæ aliunde essentiis differnnt*.

Denique, cum porro objicitur, quæstiones in quibus quæritur *quotuplex* res sit, vel quot partes comprehendat; an sit *causa efficiens* alterius, aut ei *contraria*, ad nullum ex his quatuor attributis accenseri posse.

Respondent Quæstionem qua quæritur quotuplex res sit, sub forma illa non esse quæstionem Dialecticam. Quia ad eadem non potest responderi per *ita* vel *non*. Si vero proponatur sub forma *estne*, & nulla notio secunda expresse vel implicite indicetur, esse quæstionem accidentis; quia sic est quæstio simplicis Inhærentiæ. Quæstiones vero an res sit Causa Efficiens alterius, sive contraria, esse Accidentis: quia accidit enti creato esse Causam Efficientem, aut contrarium respectu alterius. At,

1. Mirum est quæstionem ideo non esse Dialecticam, ex eo præcise, qaod ad eam responderi non possit per *ita* vel *non*. Cur enim quæstio definitionis Dialectica non est, qua quæritur ex. g. quænam

quænam sit vera definitio corporis, (ad quam respon-deri nequit per *ita* vel *non*) æque ac an *esse substanti-am extensam in longum, latum, & profundum*, sit vera illius definitio? Idem de reliquis è quatuor Attri-butis dicendum.

2. Omnes quæstiones simplicis inhærentiæ esse accidentis, absurde dicitur; ut supra ostendimus.

3. Falsum etiam est Quæstiones an res aliqua sit efficiens alterius, aut ipsi contraria, esse accidentis. Sunt enim res quæ essentialiter sunt Efficientes: ut cognitio boni sub ratione boni, essentialiter ef-ficit complacentiam aliquam in bono illo, saltem illam quæ simplex dicitur. Impossibile enim est per-cipere bonitatem rei sine omni istiusmodi compla-centia. Emittere etiam lucem est de essentia lucidi, quamdiu tale est. Et albedo, de essentia sua, est contraria nigredini; sic etiam error scientiæ, vitium virtuti, &c.

4. Cum supra omnes quæstiones simplicis inhæren-tiæ, quæstiones accidentis statuebantur, parum con-sulta est ratio qua quæstiones præsentes tales dicun-tur; scilicet, quia in iis attributum accidit subjecto. Sic enim nullæ quæstiones accidentis esse debent, in quibus attributum subjecto non accidit, quod ve-rissimum est.

Ut igitur quæstionem hanc concludamus, longe plura Attributa Topica, & quæstiones Dialecticas statuere convenit, quam quatuor. Tot scilicet quot sunt genera, vel loci communes attributorum, de quibus an his vel illis subjectis conveniant necne, inquiri potest, ut patet ex iis quæ diximus in Insti-tutionibus *Log. Spec. part.* I. *cap.* 8. Et quæstiones quidem generales inhærentiæ Modificatæ, sunt tan-tum tres; nempe an aliquid sit pure de essentia al-terius, an pure accidens, an mixtum ex utroque. Ubi tertium Genus semper de attributo complexo quærit, cum fieri non possit ut idem attributum sim-

plex

plex partim essentiale sit, partim accidentale. Sit pro exemplo *an esse substantiam actu cogitantem sit de Essentia mentis.* Affirmant Cartesiani: Hoc est mentem de Essentia sua non tantum substantiam esse volunt, sed etiam actu cogitare. At vera solutio est, mentem essentialiter quidem per se subsistere, & virtute cogitandi instuctam esse, accidentaliter vero cogitare actu. Si igitur in generalissimis quæstionum capitibus inhærere velint Logici tria tantum genera erunt quæstionum inhærentiæ modificatæ, seu de notionibus secundis rerum. Atque in tribus illis hærere maxime incommodum est, nec instituto Logicæ respondet, quæ omnia præcepta tradere debet quibus mens in cognitione rerum quærenda promoveatur.

In hunc autem autem scopum qui recte collimare velit, ad plurima specialiora quæstionum genera descendere debet. Ut an hoc vel illud sit *proprium* alteri, an *commune* ipsi cum aliis: seu sitne attributum illius genericum an Differentiale; *negativum*, an *positivum*; *absolutum*, an *respectivum*; *totum*, an *pars* alterius, *unum*, an *multa*; *subjectum*, an *adjunctum*, *objectum*, *efficiens*, *materia forma*, *seu modus*, *finis consentaneum* an *dissentaneum*. *quem ordinem ad aliud servet*, &c. Adeo ut juxta omnes locos attributorum quos in Institutionibus notavimus, & si qui alii ejus generis sint, quæstiones diversæ statui debent.

Quæstiones etiam simplicis inhærentiæ licet infinitæ sint, pro indefinita subjectorum & attributorum multitudine, ad varios ordines reducere expedit, nec licet, nec sufficit, omnes ad quæstionem accidentis referre. Quæstiones enim istiusmodi esse possunt, *an res sit*, *quid sit*, *qualis sit*, *quanta sit*, *quotuplex sit*, *cur sit*, *unde sit*, & si quæ id genus aliæ reperiantur.

Et præter quæstiones inhærentiæ simplicis & Modi-

Modificatæ, ut vocantur, sunt aliæ tertii ordinis, quæ *simplicis inquisitionis* nuncupare licet. Ex. g. *quot sint partes Logicæ? Unde oriatur fluxus & refluxus maris?* & innumeræ istiusmodi: in quibus nullum attributum nominatur, de quo quæstio sit an aut quomodo subjecto conveniat, ut in reliquis duabus; sed aliquid præcise quæritur.

DISPUTATIO XXVIII.

De Syllogismo Demonstrativo.

Quæst. I. QUid proprie sit Demonstratio, seu Syllogismus Demonstrativus?

Resp. Varie accipitur vox *Demonstratio*, & varie proinde definitur res per eam significata.

Primo accipitur pro quovis Syllogismo necessario, opposite ad Syllogismum probabilem. Et sic designatur ab Aristotele, *Syllogismus concludens ex præmissis necessariis*. Ubi quò major est necessitas veritatis præmissarum, eo præstantior est Syllogismus. Notandum tamen hic est, non sufficere ad syllogismum necessarium quod præmissæ sint necessariæ in se, sed requiri etiam ut esse talis à nobis percipiantur.

Secundo, sumitur Demonstratio pro quovis syllogismo certo, & evidenti: id est *qui concludit ex præmissis certis, & evidentibus*. Et sic differt à syllogismo non tantum contingenti, sed etiam à Theologico, cujus altera præmissarū est de Fide: adeoq; licet certissima, non tamen evidens scilicet, evidentia intrinseca, per quam intelligimus attributū in idea subjecti contineri,

aut eam necessario comitari, vel denique eidem repugnare. Vide quæ diximus in *Instit. part. com. cap.*22. *sect.* 11, 12. Hujusmodi discursus menti nostræ magis arrident. Rogabis forte hic, cur Aristoteles Demonstrationem, non per evidentiam, sed per certitudinem definiverit?

Resp. Non quia nullam certitudinem agnovit ab evidentia intrinseca sejunctam; (non enim verisimile est eum revelationes divinas, aut quæ pro divinis inter Ethnicos habitæ sunt, penitus ignorasse, aut incertas, existimasse, ex. g. responsa Apollinis, aut alius cujusdam ex iis qui Dii habiti sunt;) sed potius quia certitudo subjectiva Evidentiam includit, aut præsupponit. De nulla enim re certi naturaliter esse possumus, sine evidentia intrinseca.

Tertio, Demonstratio ejusmodi Syllogismum denotat, *qui ex causa, vel effectu, aut signo necessario concludit*. Et idcirco definitur *Syllogismus scientificus*, seu pariens scientiam. Scientiam enim stricte, accipit Aristoteles, pro cognitione ex ejusmodi mediis deducta. Parit autem Demonstratio, secundum se tota (ut præmissas & conclusionem simul complectitur) Scientiam *habitualem*: Quia omnes actus, qui non sunt pure naturales, sæpius repetiti, habitum progignunt: Secundum præmissas tantum, *actualem* parit, nempe cognitionem conclusionis, quæ est ipsa scientia actualis. Improprie autem loquuntur qui dicunt Demonstrationem, non tantum efficienter, sed etiam formaliter, parere scientiam. Nihil enim seipsam parit. Demonstratio autem quoad conclusionem est ipsa Scientia actualis. Solum igitur formaliter reddit mentem scientem, ut albedo reddit subjectum album.

Hinc patet esse Demonstrationes, seu Syllogismos demonstrativos, contra *Lodivicum Vivem*, & *P. Ramum* qui eum, in Logica Aristotelis arrodenda, secutus

cutus est. Et mirum sane est, viros tanti ingenii & eruditionis, totam illam de syllogismo Demonstrativo doctrinam contempsisse; nullum proferri posse illius exemplum clamitasse; & vulgare illud, quo *homo* demonstratur esse *risibilis*, *quia ratione praditus est*, risisse. Vel enim rem ipsam negarunt, vel voci qua appellatur succensuerunt. Si prius, seipsos potius ridendos omnibus exposuerunt, quam Aristotelem, aut ejus hac ex parte sequaces. Omnes enim vident esse Syllogismos, qui ex caussis effectis, & signis necessariis, concludunt. Suntque eorum exempla non pauca in scriptis Rami, & Rameorum. Si posterius veram speciem Syllogismi, & nobilissimam quidem, sub alio nomine retinere, & docere, ac systematis suis inserere potius conveniebat, quam vel rei vel voci adeo impotenter insultasse.

Immerito tamen sugillantur *Socrates* & *Plato*, cum Academicis, à *Comptono*, (*Log. Disp.* 48. *in initio*) & aliis quasi omnem Demonstrationem negassent. *Socrates* enim & *Academici*, cum omnia incerta esse pronunciabant, rhetorice loquuti sunt. Nec credibile est aliud intellexisse, quam pleraque incerta esse, præsertim in inquisitione rerum naturalium. Quis enim sibi persuadebit voluisse illos, omnia quæ in Ethica, Logica, & Mathesi traduntur, esse incerta, & obscura? *Plato* vero licet scire nostrum nihil aliud esse affirmabat quam *reminisci*, non tamen idcirco Demonstrationem sustulit: Si enim mens ante ingressum in corpus demonstrationes fabricavit, quod non (ut opinor) negavit Plato, cur non postquam in corpus intruditur, eas recoleret, æque ac multa alia quæ recognoscit?

Quæst. II. *Quænam ante Demonstrationem præcognoscenda, & quænam præcognitiones de iis necessariæ sint.*

Resp. Communis Doctrina est, tria præcognoscenda esse, scilicet *Subjectum*, *Affectionem*, & *Caussam*,

ſeu rationem cur hæc illi conveniat, vel non conveniat. Item duas præcognitiones de ſingulis eſſe inſtituendas, nempe *quod ſint*, hoc eſt, vel an actu exiſtant, vel an ſint poſſibilia; Et *quid ſint*, id eſt, quid ſignificent voces quibus appellantur. Sed hic quædam corrigenda ſunt.

I. Licet, ante Demonſtrationem, neceſſe ſit præcognoſcere quid voces Subjecti, Atttributi, & Medii ſignificent, (quanquam hic cognitio imperfecta ſufficiat, illa ſcilicet quæ hæc utcunque ab omnibus aliis diſtinguantur), quia de re incognita nihil poteſt demonſtrari, ſicut nec de re cognita demonſtrari poteſt affectio prorſus incognita: Et licet ſubjectum & affectio præcognita ſint, eo quo diximus modo, nequit tamen hæc de illo per medium incognitum demonſtrari. Adeo ut neceſſe ſit horum omnium Prævias habere ideas, ſaltem imperfectas: Præcognitio tamen illa, non ad Demonſtrationem tantum, ſed ad omnem diſcurſum neceſſaria eſt: Quin ad omne judicium ſolidum & rationale, neceſſaria eſt præcognitio tum ſubjecti, tum attributi. Mens enim nequit de rebus prorſus ignotis diſcurrere, aut quocunque modo judicare. Doctrina igitur illa de præcognitis, non hic, ſed in tractatu De Propoſitione, aut de Syllogiſmo in genere, fuit tradenda.

II. Non neceſſe eſt de his tribus ſemper præcognoſcere *quod ſint*, hoc eſt quod actu exiſtant, vel ſaltem ſint poſſibilia.

1. Quia etiam de rebus impoſſibilibus dantur demonſtrationes. Sic demonſtratur, contra Pontificios, creaturam, præſertim peccatricem, nihil boni apud Deum promereri poſſe; quia omnia quæcunque habet, aut præſtare poteſt, Deo maxime debet, à quo quicquid eſt aut agit boni accepit. Item idem corpus ſecundum ſe totum, non poſſe eſſe in duobus locis eodem tempore; quia ſic divideretur à ſeipſo, eſſetque unum & multiplex in eadem

dem ratione in qua est unum.

2. Quia *quod* res sit, hoc est quod vel actu existat, vel possibilis sit, sæpenumero per ipsam demonstrationem concluditur: scilicet in omni demonstratione *hóti*.

Obj. I. De re quæ non est, non possunt demonstrari veræ & reales proprietates.

Resp. Si per *veras* & *reales* proprietates, intelliguntur proprietates actu existentes, aut positivæ, quales sunt proprietates rei positivæ, verum est Antecedens. Sed non necesse est, ut in omni demonstratione, proprietates subjecti tales sint. Sufficit enim quod non sint fictæ à mente nostra. Sunt autem proprietates non entium minimæ fictæ; ut corporis bilocati, *esse divisum à seipso*, esse *unum* & *plura* in eadem ratione, &c.

Obj. II. De non-ente frustra instituitur Demonstratio.

Resp. De non-ente quidem frustra instituitur longa & operosa tractatio, qualis à quibusdam è Pontificiis instituitur de corpore in pluribus locis posito. Non tamen frustranea est omnis Demonstratio. Utilis enim est illa qua ostenditur esse nonens, seu impossibile: In eo scilicet casu quo possibile à nonnullis ponitur, in detrimentum veritatis. Ut cum Pontificii ad errores suos contra veritatem S. Cœnæ, statuminandos, idem corpus posse esse totum simul in pluribus locis fingunt, & propugnare conantur.

Quæst. III. *An subjectum Demonstrationes*, hoc est res de qua affectio aliqua demonstratur, *debeat esse quid necessarium?* Multi enim docuerunt demonstrationes esse de solis rebus necessariis.

Resp. Negative. De multis enim rebus contingentibus, seu quæ contingenter oriuntur à suis causis, veræ fiunt Demonstrationes. Ut de Syllgismo, & Definitione, in Logica, quæ tamen contin-

genter, ut plurimum, à mente oriuntur. Item, de actibus liberis in Anthropologia, & Ethica, quatenus sunt liberi libertate indifferentiæ.

Obj. De iis solis quæ immutabilia sunt, nec possunt aliter se habere, vel absolute, vel ex hypothesi aliqua possibili, dantur demonstrationes. De his enim solis, mens nostra, certam & evidentem habet notitiam.

Resp. Verum est Antecedens de propositionibus demonstrandis, & de præmissis ex quibus illæ demonstrantur. At non semper verum est de subjecto incomplexo; de quo sæpe dantur propositiones necessariæ. Ex. g. De Electione mediorum ad finem, quæ plerumque contingens, & mutabilis est, demonstratur, quod intentione finis nitatur: Quia Electio medii natura sua est complacentia efficax in una re propter aliam.

Quæst. IV. *Qualesnam propositiones demonstrari possunt.*

Resp. Communis sententia dicit solas propositiones veras, & quæ rationem suæ veritatis certam habent & immutabilem. Quod ad priorem conditionem attinet, certum est de nulla propositione demonstrari posse quod vera sit, nisi quæ est vera; quod lippis & tonsoribus notum est. Quæ autem vera est, demonstrari nequit esse falsa. Interim tamen propositionis necessario falsæ falsitas facile demonstrabilis est, & communiter demonstratur demonstratione *dià 'adunátou*, seu ex absurdo.

Secunda conditio solidam doctrinam continet. Et ex eo apparet, quod discursus, ex ratione incerta, aut mutabili procedens, scientificus esse nequit, qualis est Demonstratio. Certitudo autem hic requisita, debet esse vel Metaphysica, ut vocatur, vel ad minimum physica; nec sufficit moralis. Ex hoc sequitur.

1. Pro-

1. Propositiones per se evidentes demonstrari non posse: Quia nullam rationem à terminis diversam habent, per quam demonstrentur.

2. Nec accidentia contingentia & fortuita. Quia causam fixam & certam non habent, ex qua posita, semper & necessario sequantur.

Nec tamen verum est, quod plerique affirmant, solum Accidens necessarium demonstrari posse. Attributa enim essentialia consequentia, ut vocantur, seu differentiæ secundæ, demonstrari possunt, & sæpe demonstrantur de suis subjectis; nec sola Demonstratione *hóti*, sed etiam *dióti*. Ut de mente Humana demonstratur *quod potentia liberæ Electionis prædita sit*, ex eo quod sit *rationalis*, cum tamen potentia illa menti essentialis sit, non minus quam Ratio. Quid enim impedit quo minus unum attributum essentiale rei sit ratio alterius?

Obj. Nihil est prius in re quam sua essentia. Nihil igitur quod est de Essentia, demonstrari potest à priori.

Resp. Nihil est prius in re quam tota essentia rei. Unum tamen attributum essentiale potest esse prius, tum natura, tum existendi consecutione, quam aliud. Ut quia prius in creatura rationali est cognitio quam appetitio, seu volitio, prius etiam est virtus cognoscendi, quam virtus appetendi, seu volendi, prioritate rationis, quæ ad Demonstrationem à priori sufficit.

Quæst. V. *An, & quomodo verum sit, Principia Demonstrationis esse proxima, & immediata?* Hic varie distinguunt Logici propositiones immediatas. Primo dicunt propositionem dici posse immediatam, tum respectu conclusionis alicujus quæ ex ea deducitur, cum scilicet rationem immediatam continet, cur hæc vera, vel falsa sit. Tum absolute, & secundum se, cum nullum datur medium, saltem à priori, quo possit probari. Hanc rursus dividun

in eam quæ est immediata secundum se tantum, & in eam quæ est immediata secundum nos, & deniq; in eam quæ est immediata utroque modo.

Primo modo aiunt hanc propositionem, *Deus est æternus*, esse immediatam, quia nullum est medium à priori, quo hæc propositio, *in se* spectata, probari possit. Esse tamen medium *quoad nos*, nempe Immutabilitatem Divinæ Essentiæ.

Secundo modo dicunt hanc, *nix est alba*, esse immediatam. Quia licet ratio sit in ipsa nivis natura, cur albedo communiter eam comitetur, hæc tamen nobis abscondita est.

Tertio modo dicunt principia absolute prima esse immediata, qualia sunt, *nihil potest simul esse & non esse*, *Quidlibet est vel non est*.

Deinde, propositionem immediatam secundum se, dividunt in eam quæ est immediata ratione *subjecti*: cum scilicet attributum effertur de immediato subjecto: ex. g. *rationale* aut *risibile* de homine: Et in eam quæ est immediata ratione causæ; sub qua comprehendunt tum omnes propositiones in quibus attributum est de Essentia subjecti; tum illas in quibus effectus tribuitur causæ proximæ; ut cum Eclipsis Lunæ ascribitur interpositioni corporis terræ inter eam & corpus solis.

Dicunt igitur, præmissas Demonstrationis *dióti* esse immediatas, non solum quoad nos, sed etiam secundum se. Nec tantum ratione subjecti, sed etiam ratione causæ.

Sed hic quædam corrigenda sunt.

1. Non omnis propositio in qua Attributum est de essentia subjecti, est immediata ratione causæ; sed illa tantum quæ causalis est, & in qua causa, seu ratio quæ redditur, est immediata. Improprie enim immediata dicitur ratione causæ, in qua nulla causæ, sive proprie, sive analogicè dictæ, mentio fit. Ut in hac, *homo est substantia*, & similibus. Deinde nec

nec omnis propositio causalis, in qua attributum est de essentia subjecti, est immediata ratione causæ: illa scilicet in qua causa aut ratio remota redditur. Ex g. hæc *quia spiritus perceptivus est, facultate se movendi pollet.* Est enim facultas se movendi de essentia spiritus. Virtus autem perceptiva, quæ similiter essentialis est, causam aliquam seu rationem continet, cur se movere debeat; non tamen proximam, & immediatam, sed remotam. Causa enim proxima ex parte spiritus, cur facultate sui ipsius motiva polleat, est, quia appetitivus est. Talis etiam est hæc, *Homo est capax bene & male agendi, quia est rationalis.* Proxima enim ratio cur capacitate illa gaudet, est quia aptus est Deo subjici, seu lege gubernari.

2. Distributio illa propositionis immediatæ secundum se, in immediatam ratione subjecti, & ratione causæ, non est adæquata. Datur enim propositio immediata ratione effectus, non minus quam ratione causæ: Illa scilicet in qua effectui immediato tribuitur sua causa; quæ non est eadem cum illa in qua causæ tribuitur effectus: ut si dicas *necesse est terram nunc inter solem & lunam interpositam esse, quia luna luce sua privatur.*

3. Nimis stricte sumitur Demonstratio, etiam *dióti*, cum dicunt oportere constare præmissis immediatis *in se*, nec unquam sufficere præmissas immediatas *quoad nos*. Hæ enim sunt veræ Demonstrationes *dióti*, *ventus flat*, ergo, *navis sine remis, in mari movetur*: *nix est alba*; ergo *perstringit oculos viatoris*, cum totam viam & regionem tegit per quam iter facit. In utraque autem antecedens est propositio immediata quoad nos tantum. Est enim ratio aliqua, seu causa, cur ventus flare soleat, & cur nix sit alba, licet nobis incognita. Sufficit igitur ad Demonstrationem *dióti*, quod causa immediata cur affectio subjecto convenit, assignetur, licet

licet causa illa propositione ejusmodi exprimatur, in qua attributum rationem aliquam priorem habet cur subjecto conveniat. Hinc etiam demonstratio *dióti* sæpe constat præmissis prius demonstratis, quæ sumuntur tanquam essent immediatæ, seu per se notæ.

Objiciuntur hic quædam Sophismata contra propositiones immediatas, quæ breviter diluenda sunt.

Obj. I. Omnia attributa rei, saltem si simplex sit, immediate ei conveniunt, præsertim Essentialia. Socrates enim est immediatum subjectum omnium horum Attributorum, *animal. vivens, corporeum, substantia, Ens*, quia cum illis identificatur. Male igitur dividitur propositio in Mediatam, & immediatam ratione subjecti.

Resp. Omnia attributa rei simplicis essentialia, quatenus sunt illius propria, seu prout ad eam restringuntur, immediate ei conveniunt, esto: Prout absolute spectantur, nego. Sic enim quia quædam ex iis reciprocantur cum re cui tribuuntur, ut *hoc rationale* cum Socrate, alia vero non reciprocantur; & ex iis quæ non reciprocantur, quædam pluribus, quædam paucioribus conveniunt, alia immediata dicuntur, scilicet quæ vel reciproca sunt, vel nulli subjecto communiori conveniunt: alia mediata, cum contra.

Obj. II. Si ulla propositio esset immediata ratione causæ, maxime hæc, *Homo est rationalis.* At falsum posterius: Quia probari potest hæc propositio per causam in hunc modum, *Quod natum est ad beatitudinem, & ad Deum active glorificandum, necesse est ut sit rationale.* At *talis est homo.*

Respondent, ut propositio sit immediata ratione causæ, non necesse esse, ut per nullam causam probari possit, sed tantum ut probari nequeat per aliam causam ejusdem generis, cum illa cujus ratione immediata dicitur. Nihil enim vetat per causam alius

us generis probari posse. Ut in exemplo facto Homo probatur esse rationalis à Causa Finali. Unde hæc propositio immediata est ratione causæ efficientis tantum, non ratione causæ cujuslibet.

Inst. Homo est rationalis quia ita voluit Deus: vel quia eum ita condidit. Hæc igitur propositio demonstrari potest à priori, per causam efficientem, & sic de reliquis.

Respondent quidam negando consequentiam. Quia propositio demonstratur à priori, assignando, non causam qualemcunque cur attributum subjecto insit, sed internam, ab ipsa natura subjecti, vel attributi desumptam.

Sed responsio ista potius distinguit consequens quam consequentiam negat. Concedit enim propositionem illam probari posse per causam externam, sed non per internam: & idcirco non demonstrari à priori. Vera igitur responsio est, negandam esse consequentiam; quia ratio illa à voluntate aut efficientia Dei est communis omnibus rebus creatis: nec proinde magis ostendit cur homo sit rationalis, quam cur quælibet alia res sit talis qualis est. Demonstrationes autem à priori fiunt, assignando causam propriam. Deinde in propositionibus essentialibus demonstrandis à priori, adhibenda est semper ratio interna: nec sufficit externa, nisi ubi affectio demonstranda est accidens subjecti: Ex. g. Eclipsis, respectu Lunæ, aut Solis.

Obj. III. In præmissis Demonstrationis, Termini non temere conjunguntur. Ergo, propter aliquam causam.

Resp. Negando sequelam. Quia inter *temere conjungi*, & *propter aliquam causam*, datur medium, nempe *conjungi per seipsos*, quod in præmissis essentialibus immediatis obtinet. In his enim termini nec

temere

temere cohærent, nec ob causam internam aut propriam aliquam rei, sed per seipsos.

Quæstio. VI. *Quodnam sit medium Demonstrationis præstantissimum. Consentiunt omnes,* (inquiunt Conimbricenses in lib. 2. poster. quæst. unica art. 1.) *Demonstrationis* propter quid, *medium esse causam connexionis inter subjectum, & assertionem quæ de ea demonstratur. Plerique etiam* ut iidem Doctores testantur, *consentiunt definitionem extremorum esse medium præstantissimum.* Sed dissentiunt de extremis in specie, dum alii pro definitione affectionis, alii pro definitione subjecti, alii pro conflato ex utraque contendunt. Conimbricenses ipsi, supra art. 3. omnes illas sententias probabiles esse censent. Quæstionem vero sic resolvunt; *Si de medio quocunque connexionis sermo sit, præstantissimum medium est complexum ex definitione utriusque extremi: sin de medio simplici, præferenda est definitio subjecti.*

Thesis. *Præstantissium medium internum Demonstrationis dicti, est prima Differentia essentialis subjecti,* non autem differentia prima affectionis, illiusve definitio; multo minus complexum ex utraque. *Præstantissimum autem medium externum est causa efficiens affectionis propria, & proxima.*

Prima pars sic ostenditur: Quia à sola differentia prima pendent omnes proprietates necessariæ, & reciprocæ subjecti, tanquam à prima causa, seu ratione interna.

Patet etiam exemplis demonstrationum potissimarum, quæ menti maxime arrident. Illæ enim semper procedunt à prima differentia essentiali subjecti, aut in eam ultimò resolvuntur. Ut, cum de spiritu demonstratur *appetiens*, per *virtutem* ejus *perceptivam*, quæ prima illius differentia est: Et de mentibus, quod *facultate libera electionis polleant*, quia intelligentia, seu *ratione præditæ sunt*, &c.

Dices,

Dices, etiam ex attributis genericis fieri demonstrationes non minus præstantes; ut mentem humanam esse liberæ electionis quia est rationalis. Ratio enim communis est ei cum Natura Angelica.

Resp. Negatur Antecedens. Quia in ejusmodi probationibus, affectio non demonstratur de subjecto reciproco, ut in potissima Demonstrtione fit.

Secunda pars hinc elucet. Quia præstantissimum medium Demonstrationis est causa cur affectio demonstranda subjecto conveniat, aut aliquid causæ Analogum. At prima Differentia, seu Definitio ipsius affectionis, nec est causa cur hæc subjecto convenit, nec causæ analogum. Non enim distinguitur ab affectione, nisi penes conceptum explicitum, & implicitum: quæ distinctio non sufficit ut aliquid sit aut dicatur causa alterius. Prima autem Differentia subjecti, licet non sit realiter distincta ab affectione demonstranda, magis tamen ab ea distinguitur, quam Definitum & Definitio, seu quam id quod obscure, ab eo quod clare concipitur. Sunt enim attributa subjecti adæquate diversa secundum rationes suas formales. Cum definitio & definitum solum inadæquate distinguantur. Adde quod probatio à definitione affectionis, parum aut nihil differt à petitione principii. Ut si probes *omnem partem materiæ esse divisibilem, quia omnis pars materiæ constat partibus quæ separari à se invicem possunt.* Nec acquiescit mens in ejusmodi discursu, sed quærere persistit probationem minoris. Definitio enim effectionis, naturam illius explicat, seu significationem nominis aperit, sed non ostendit cur subjecto conveniat.

Tertia pars sic ostenditur: Si definitio, tum subjecti, tum affectionis, præstantissimum medium Demonstrationis constituunt, vel id faciunt in uno processu,

cessu, vel in pluribus. Si in pluribus, ita ut prius concludatur affectio per definitionem suam, deinde, alio syllogismo, per definitionem, aut primam differentiam subjecti; vel (ut quidam volunt) ita ut prius demonstretur definitio affectionis per definitionem subjecti, et deinde de subjecto concludatur, patet illam esse potissimam probationem, quæ fit per definitionem subjecti, ex iis quæ in confirmationem secundæ partis adduximus. Si in uno processu utraque definitio unum medium conficiat, probatio erit ejusdem per seipsum, seu petitio quæsiti. Ut si probes *hominem esse risibilem*, per definitiones *hominis*, et *risibilis*, in unum medium conflatas, hunc in modum; *Omne animal rationale potentia ridendi præditum*, (seu quod ex objecto Ludicro ita titillari animo potest, ut moveat Labra et buccas, eo modo ut in risu fit) *est risibile.* At *homo est tale animal*; quis istiusmodi Demonstrationem merito non rideat, et probationem minoris non deposcat, tanquam æquæ ignotæ, ac conclusio? Definitio igitur affectionis Demonstrationi præmittenda est; sed medium esse, sive sola, sive cum definitione subjecti, haud potest.

Quarta denique pars ab omnibus conceditur. Et ex eo patet, quod causa connexionis inter accidens extrinsecus adveniens, et subjectum quod eo afficitur alia esse nequit quam causa efficiens ipsius accidentis. Hic autem ulterius urgeri possunt Autores illius sententiæ, quam in parte præcedenti confutavimus. Si enim definitiones affectionis, et subjecti simul, præstantissimum medium demonstrandi conficiunt, cur non pariter definitio affectionis, et causa externa, quæ tamen nec de affectione demonstranda prædicari, nec eidem subjici patitur? Quod si cum definitione affectionis concurrere velint in obliquo, contra istud etiam facient rationes in confirmatione tertiæ partis.

Obj. I. Optimum demonstrandi principium, est prox-

proxima et præcipua causa connexionis inter affectionem et subjectum: At hæc est definitio affectionis potius quam subjecti. Unio enim seu connexio affectionis cum subjecto, ex natura ipsius affectionis oritur.

Resp. Retorquetur Argumentum. Quod subjectum talem affectionem exigat, oritur à natura ipsius subjecti: Ergo definitio subjecti est causa connexionis inter ipsum et affectionem. Absolute autem respondebis, ex utriusque, tam subjecti quam affectionis natura, oriri eorum connexionem, quæ est utriusque identitas inadæquata; Causam tamen esse attributum aliquod subjecti, quod prius natura ei convenit quam affectio demonstranda.

Obj. II. Sæpe demonstratur secunda affectio subjecti per primam, et tertia per secundam, quæ tamen nec sunt illius differentiæ primæ, nec ad definitionem pertinent, sed ad eam consequuntur. Ut cum probamus *hominem, agendo id quod vetat Deus, esse culpabilem*; quia *est liber in agendo.*

Resp. Demonstrationes istiusmodi, non esse præcipuas, adeoque nec medium in iis esse præstantissimum. Altera enim præmissarum est demonstrabilis à priori. At ubi medium est prima Differentia subjecti, istud non contingit.

Obj. III. Optimum demonstrandi medium est causa adæquata cur affectio convenit subjecto. At hæc est utriusque definitio. Sicut enim subjectum, de natura sua, annexam habet affectionem, eamque exigit, ita etiam affectio, de natura sua, annectitur subjecto, & ab eo exigitur. Definitio igitur subjecti, per se, est causa tantum inadæquata.

Resp. Neg. Minorem. Definitio enim affectionis causam non exhibet cur affectio subjecto conveniat, ut supra ostensum est; Probationem distinguo. Natura utriusque, tam subjecti, quam affectionis, est causa formalis, cur hæc illi conveniat: at prima dif-

defferentia subjecti, aut attributum aliquod natura prius affectione demonstranda, est causa efficiens analogica, non autem definitio affectionis.

Hinc patet infirmitas rationis qua utitur *Comptonus* ad probandum, assumi aliquando posse definitionem affectionis pro medio demonstrationis; scilicet quia *affectio non minorem habet connexionem cum subjecto, quam subjectum cum affectione. Log. disp.* 48. *sect.* 3. n. 1. Ut enim aliquid sit medium Demonstrationis, non sufficit quod connexionem habeat necessariam, & maximam cum attributo demonstrando: Sic enim omnis Syllogismus necessarius esset demonstratio, quod falsum est, & communiter negatur. Sed requiritur ut medium vel sit radix attributi demonstrandi, ut in Demonstratione *dióti*, vel consequens necessario arguens, ut in Demonstratione *hóti*.

Definitio autem affectionis nec radix ejus est nec consequens, sed affectio ipsa cum connotatis suis propriis.

Quæst. VII. *An præmissæ in Demonstratione certiores sint conclusione?* Negat absolute *Hurtado*. *Arriaga* vero alteram ex præmissis admittit esse certiorem, non utramque *Comptonus* utramque certiorem pronunciat. *Disp.* 49. *Sect.* 2. Nos sic statuimus.

I. *Præmissæ non sunt certiores quam conclusio, certitudine objectiva.* Certitudo enim objectiva propositionis nihil aliud est nisi veritas ipsius necessaria, seu immutabilis. At præmissæ non possunt esse magis necessariæ quam conclusio quæ ex iis necessario sequitur, & cum iis necessario connectitur.

II. *Utraque præmissa est æque certa in se, & evidens quoad nos, ac conclusio quæ inde deducitur:* Ratio prioris partis, est quia præmissæ necessario connexæ sunt cum conclusione quoad veritatem, seu certitudinem in se. Non possunt igitur esse minus certæ in se. Posterioris vero, quia præmissæ sunt causæ motivæ assensus qui conclusioni adhibetur. Non

igitur

igitur majorem evidentiam, aut certitudinem quoad nos ei conciliare possunt, quam in se habent. Deinde conclusio sequitur debiliorem partem, ut supra ostensum.

III. *Præmissæ nonnunquam certiores sunt conclusione certitudine subjectiva*, quæ in majori firmitate assensus nostri consistit.

Primo cum altera aut utraque præmissarum est de fide certiores enim sumus, id quod Deus testatur esse verum, quam id quod per ratiocinationem ex eo deducitur. Non enim repugnat ratiocinationem nostram hallucinari: At simpliciter repugnat id quod Deus testatur esse falsum. Hinc tamen non sequitur deductiones rationis nostræ, ex principiis fidei, esse incertas: sed tantum non esse in eodem gradu certitudinis cum ipsa fide. Si enim de alterutro dubitandum foret; aut dubitare liceret, citius eligeremus de conclusionibus Fidei, quam de principiis dubitare.

Secundo, præmissæ sunt certiores certitudine subjectiva, quando sunt prima principia, aut quocunque modo per se notæ.

1. Quia in illo casu evidentiores sunt. Ubi enim est major evidentia major etiam est certitudo subjectiva, & vicissim; (licet hanc reciprocationem neget *Comptonus.*) Ideo enim certiores sumus de veritate aliqua, quia veritas illius apertior est menti nostræ, sive ex se, ut in principiis lumine naturali notis, sive extrinsecus, ut in iis quæ novimus Deum testari: Adeo ut quod quis evidenter videt, nullis rationibus ab eo divelli possit.

2. Assensus principiorum est lumen intellectus naturale, & propius accedit ad notitiam intuitivam, & Angelicam, quam assensus conclusionum, qui est lumen acquisitum, seu adventitium. Ergo est certior.

Qui præmissas semper æque certas esse volunt ac est conclusio, sic præcipue arguunt.

I. Præmissæ semper sunt causæ necessariæ conclusionis: Ergo agunt quantum possunt: & proinde certitudinem sibi parem conclusioni conciliant. Si autem non sint principia sed aliunde demonstrabiles, conclusio pluribus rationibus probari potest: scilicet tum ipsis præmissis, tum omnibus rationibus quibus hæ possunt probari.

Resp. Ad priorem partem Argumenti, non sequitur præmissas eo quod agant quantum possunt, totam certitudinem suam in conclusionem transfundere. Non enim transfundunt totam, aut parem evidentiam: id est, nunquam efficiunt, ut conclusio sit per se evidens. Sicut Sol licet agat quantum potest in corpora circumjecta, nunquam efficit ut æque secum lucida sint, aut (si flamma sit) ut æque caleant. Posterior autem pars nimium probat, nempe conclusionem ex præmissis prius demonstratis deductam, esse certiorem, & clariorem ipsis principiis ex quibus immediate infertur, quod nemo dabit. Absolute igitur respondemus majorem vel minorem certitudinem aut evidentiam, non penes numerum majorem vel minorem rationum, esse metiendam, (prima enim principia nullis rationibus probari possunt, quæ tamen certissima sunt) sed secundum majorem vel minorem evidentiam.

Arguunt. II. Intellectus, lumine naturæ, novit *ea quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se:* Ergo non potest esse certior de veritate unius quam alterius, cum sint plane eadem quæ in præmissis cognoscuntur uniri eidem tertio, cum illis quæ in conclusione cognoscuntur uniri inter se.

Resp. Licet, sint plane eadem, non tantum re, sed ratione, unio tamen eorum cum eodem tertio, non est eadem cum unione eorundem inter se;

Quia

Quia extrema unita non sunt utrobique adæquate eadem. Potest igitur mens clarius percipere, & certius agnoscere unionem eorum cum eodem tertio, quam inter se, propter rationes supra allatas.

IV. *Præmissæ non semper sunt certiores conclusione.* Scilicet extra casus Thesi tertia memoratos.

Probatur unica ratione satis efficaci. Eædem propositiones quæ nunc sunt præmissæ, possunt esse conclusiones, respectu aliarum quæ conclusiones fuerunt. Scilicet cum reciproce unam propositionem ex alia, & hanc rursus ex illa, inferimus. Ut si arguas *aliquis homo est albus*, indeque inferas, Ergo *aliquod album est homo*: & deinde *aliquod album est homo*, Ergo *aliquis homo est albus*. In illo autem casu, propositio quæ nunc est antecedens, non potest esse certior quam in priori instanti in quo fuit consequens: Respectus enim iste, nullam vel evidentiam, vel certitudinem, ei conciliare potest. Quin potius, si in certitudine ulla esset inæqualitas, certior esset in statu illato, quam inferente: quia, in eo statu, per antecedens confirmatur. Argumentum factum in ipsis Syllogismis Demonstrativis locum habet; ut frustra objiciatur quæstionem esse de his solis. Solemus enim aliquando probare effectum per causam, aliquando eandem causam per eundem effectum. Ex. g. cum primo dicimus, *terra interposita est inter solem & lunam*, Ergo *luna patitur Eclipsin*: deinde *luna patitur Eclipsin*; Ergo *terra interposita est inter solem & lunam*. At hæc propositio, *luna patitur Eclipsin*, non potest esse certior cum est præmissa; quam cum locum conclusionis sortitur. Nulla enim ratio istius disparitatis cogitari potest.

Objicit *Comptonus*. I. In omni discursu, præmissa in hoc superat conclusionem, quod sit cognitio immediata, seu ex alia cognitione, hic & nunc non deducta; cujus contrarium in conclusionibus sem-

per reperitur: Ergo præmissa semper certior est.

Resp. Præmissa rarius est cognitio immediata secundum se. Quod autem aliquando, ex habitu assentiendi, sine medio particulari, assumi soleat: non exinde certior est. Sæpe enim in mente est habitus assentiendi conclusioni non minus firmus. Nec proinde minus certa est conclusio, ex eo præcise quod hic & nunc aliunde deducatur.

Objicit II. Præmissæ semper viciniores sunt lumini naturali intellectus, & plus de illo participant. Ergo certiores sunt.

Resp. Antecedens est aperte falsum. Quandoque enim remotiores sunt: Sive per lumen naturale mentis, facultatem assentiendi principiis universalibus intelligamus: Ut in hoc discursu, *manus est major quovis ex digitis suis*: Ergo *quoddam totum est majus sua parte*. Ubi conclusio proxima est principio universali, *omne totum est majus sua parte*: Sive facultatem experimentalem: Ut si arguas vice versa, *omne totum est majus sua parte*, Ergo *manus major est digito*: hic enim conclusio per experientiam ex sensu immediate intelligitur. Fatemur præmissas qua tales similiores esse principiis; quia hic & nunc non deducuntur ex aliis propositionibus. At non idcirco certiores sunt.

Objicit III. Præmissæ sunt causæ æquivocæ conclusionis, ergo.

Resp. Consequentia nulla est; Quia causa, sive univoca, sive æquivoca, non semper est nobilior suo effectu, sed tantum æqualis.

Objicit IV. Illud axioma Aristotelis, *propter quod unumquodque est tale, illud magis tale est*.

Respondent quidam effatum istud in sola causa finali veritatem obtinere.

Replicat *Comptonus*, adjectis quibusdam conditionibus, verum esse universaliter. Quatuor autem conditiones enumerat.

Prima est, ut id in quo fit comparatio, conveniat

utrique

utrique extremo. Cujus defectu non recte infertur, *Homo est miser propter peccatum:* Ergo *ipsum peccatum miserius est.*

Secunda est, ut id in quo fit comparatio suscipiat magis, & minus. Cujus defectu non sequitur, *Petrus est homo propter patrem;* ergo *Pater est magis homo.*

Tertia est ut comparatio fiat inter extrema realiter distincta: Cujus defectu mala est illatio, *homo discurrit quia est animal rationale,* ergo *animal rationale magis discurrit.*

Quartam vix intelligo. Addit, *semper tenere in causa per se motiva, & non in voluntate magis quam in intellectu. Sicut enim,* inquit, *quia media amantur propter finem, ideo finis magis amatur, & majorem habet bonitatem, saltem ut apprehenditur, ita etiam quia præmissæ movent ad assensum conclusionis, ideo majorem habent certitudinem & evidentiam.*

Resp.I. Sed neq; cum omnibus istis limitationibus, dictum illud universaliter verum est. Male enim infertur, *propter flumen movetur asser injectus:* Ergo *ipsum flumen magis movetur.* Motus enim in quo fit comparatio, convenit utrique, magis & minus suscipit, estque diversus realiter in aqua fluminis & assere; fieri tamen potest, & sæpe fit, ut asser eadem velocitate feratur ac flumen. Recte igitur sentiunt qui in sola causa finali tenere pronunciant. Quamvis non in omni istiusmodi causa obtineat. Non enim sequitur, *propter sanitatem conciones sacra sunt expetibiles,* quidam enim concionatores alleviationem morbi ex iis senserunt; & mulier quædam pientissima, in hac ipsa villa, quæ *difficultate spirandi* vehementi laborabat, nullam ex ea molestiam, per totos dices dominicos sensit, quamdiu publico cultui interfuit,) non, inquam sequitur, ergo *ipsa sanitas est magis expetibilis.* Verum igitur est cum finis unicus, aut principalis est. Nec proinde tenet in omni causa motiva.

Finis enim ſecundarius movet voluntatem, ad media eligenda, & proſequenda; in quo tamen non tenet. Unde tandem apparet, nullum eſſe conſequentiam hanc, *propter præmiſſas aſſentimur concluſioni*; Ergo *magis aſſentimur præmiſſis*: Poſſumus enim propter præmiſſas aſſentiri concluſioni, quia videmus in præmiſſis concluſionem contineri, ſeu cum illis neceſſariam habere connexionem; non autem quia magis iis aſſentimur.

Quæſt. VIII. *An Diviſio Demonſtrationis in Demonſtrationem hóti, & dióti ſit adæquata?*

Reſp. *Affirmative.* Sive enim accipiamus Demonſtrationem late, pro omni Syllogiſmo neceſſario, ſive ſtricte, pro eo ſolo qui concludit à cauſa neceſſaria, vel ab effectu, aut ſigno neceſſario, vel tantum probat Attributum convenire vel non convenire ſubjecto, eſtq; Demonſtratio *hóti*, vel etiam oſtendit cauſam, aut rationem cauſæ analogam, cur conveniat, vel non conveniat, eſtq; Demonſtratio *dióti*; nec inter membra iſta datur Syllogiſmus neceſſarius medius.

Objiciuntur quidam Syllogiſmi neceſſarii, qui ad neutrum membrum ſpectare videntur. Ut Syllogiſmus concludens ex Teſtimonio Divino; Syllogiſmus ex abſurdo, ſeu ducens ad impoſſibile; Syllogiſmus ex cauſa adæquata & proxima, qui ex ſola cauſa remota & inadæquata concludere putatur.

Reſpondemus ad primum. Syllogiſmum ex Teſtimonio Divino concludentem, eſſe Demonſtrationem *hóti*, quia ſolum probat concluſionem eſſe veram; ſed cauſam veritatis non oſtendit, niſi Deo placet cauſas rerum de quibus teſtatur nobis exponere, in quo caſu eſt Demonſtratio *dióti*. Ad ſecundum reſpondent quidam Diviſionem de qua agimus, eſſe ſolius Demonſtrationis oſtenſivæ. Sic enim appellant Logici Demonſtrationes illas quæ ex alio medio, quam abſurdo concludunt. *Conimbricenſes* vero in *lib.* 1. *poſt. cap.* 10. *quæſt.* 1. *art.* 2. dicunt Syllogiſmum ducentem

ducentem ad impoſſibile ſub utroque membro contineri: Scilicet cum in Syllogiſmo Hypothetico, conſequens eſt aliquid impoſſibile, & continet cauſam deſtructionis Antecedentis, eſſe Demonſtrationem *dióti*; ſin minus, eſſe Demonſtrationem *hóti*. Exemplum prioris quod adferunt eſt, *ſi homo non eſſet aptus ad capeſſendas diſciplinas, non eſſet particeps rationis*; *ſed eſt particeps rationis*: Ergo, Poſterioris vero, *ſi homo non eſſet particeps rationis, non eſſet aptus ad capeſſendas diſciplinas*; at *eſt aptus*; Ergo.

Fatendum quidem eſt, quamlibet Demonſtrationem poſſe forma hypothetica, ad impoſſibile ducente, proponi. Ut in exemplis proxime factis. Sed quæſtio eſt de ſyllogiſmis quæ non poſſunt facile ad formam oſtenſivam & Categoricam reduci. Scilicet ubi quatuor ſunt termini complexi, ſeu quatuor propoſitiones. Ut in hoc; Si *juſtitia eſt ex lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt*; at *impoſſibile eſt Chriſtum fruſtra mortuum eſſe*: Ergo. De his autem palam eſt, non eſſe alios quam Demonſtrationes *hóti*. Nec enim ex eo, quod ſi propoſitio aliqua eſſet falſa, ſequeretur aliquid aliud eſſe falſum, quod neceſſario verum eſt, aut contra, plus concluditur, quam illam propoſitionem eſſe veram, vel falſam. Nam quod, aliquid, quod actu exiſtit vel poſſibile eſt, eſſet impoſſibile, nunquam exhibet cauſam cur aliquid actu exiſtat, vel poſſibile ſit; ſed tantum eſt ſignum quod actu ſit, vel eſſe poſſit. Syllogiſmus igitur ducens ad impoſſibile, quatenus ad illud ducit, eſt tantum Demonſtratio *hóti*.

Ad tertium reſpondent Syllogiſmum concludentem ex cauſa adæquata, quæ inadæquata ex accidenti putatur, in ſe quidem eſſe Demonſtrationem *dióti*, ſed quoad nos eſſe tantum Demonſtrationem *hóti*. Hic concedimus materiam aptam eſſe ut Syllogiſmus ſit Demonſtratio *dióti*. Sed cum omnis Demonſtratio ſit actus mentis, vel oratio qua is ſignificatur,

dicendum eſt vera demonſtratio ſit, (de quo ſtatim), eſſe tantum *hóti*, etiam in ſe.

Objicitur porro, eundem diſcurſum diverſis vicibus eſſe Demonſtrationem & *hóti*, & *dióti*. Ut ſi quis prius cognoſcat rem per cauſam, non ſub ratione cauſæ, ſed medii cujuſpiam aliûs neceſſarii, habet tantum Demonſtrationem *hóti*: poſtea vero cum agnoſcit cauſam eſſe cauſam, habet Demonſtrationem *dioti*. Deinde duæ illæ Demonſtrationes ex iiſdem terminis confici poſſunt. Ut ſi ex his tribus terminis, *rationale*, *homo*, *riſibile*, duo fiant Syllogiſmi, & medium in altero ſit *rationale*, in altero *riſibile* prior erit Demonſtratio *dioti*, poſterior *hóti*.

Reſp. Ad prius, Diſcurſum in his caſibus, non fore eundem ne quidem ſpecie. Quia in poſteriori diverſum eſt objectum, nempe cauſalitas medii in majus extremum: adeoque diverſa ſpecie cognitio quæ ad eam terminatur Cognitio enim pro diverſitate objecti formalis ſpecie diverſa eſt. Ad poſterius dicimus, ex iiſdem quidem tribus terminis utramq; Demonſtrationem confici poſſe, diverſimode tamen diſpoſitis & conſideratis, ita ut diverſas propoſitiones conficiunt.

Objicitur denique, diſcurſum in quo ſolum oſtenditur aliquid eſſe, non eſſe Demonſtrationem. Non enim generat Scientiam. Siquidem Scientia eſt notitia in qua mens acquieſcit. At per diſcurſum illum, non acquiritur notitia in qua mens acquieſcit. Avet enim porro mens cauſam ſcire cur res ſit.

Reſp. Neg. primum & ſecundum Antecedens. Ad probationem dicimus, per diſcurſum de quo agitur, acquiritur notitia in qua, quoad certitudinem, & evidentiam de eſſe rei, mens acquieſcit, (quo ad rationem Scientiæ ſufficit): licet ulterius ſcire efflagitet cauſam propter quam res ſit. Unde Scientia per Demonſtrationem *hóti* acquiſita, vera quidem eſt, ſed non potiſſima.

Quæſt.

Quæst. IX. *An Demonstratio per causam remotam, sit hóti, an dioti?* Communis sententia dicit esse tantum *hóti.* Nos sic definimus.

I. *Probatio per causam remotam affirmativa, in eo casu quo reliqua non sunt in actu, aut remotam non necessario sequuntur; non est Demonstratio omnino;* sed Discursus ad summum probabilis. Posita enim sola causa remota, non sequitur effectus. Et cognita causa remota, nisi intelligantur poni causæ intermediæ, non intelligitur effectus necessario sequi. Sequi enim nequit nisi positis omnibus requisitis ad illius existentiam: Ad hanc autem requiruntur causæ proximæ.

II. *Ex negatione causæ, etiam remota, demonstratur conclusio negativa,* in qua effectus negatur de subjecto. Ut *morbum non posse sanari, quia nullius est qui remedia applicet.* Est enim medicus, vel quicunque remedia adhibet, causa tantum remota curationis. Sic *Anacharsis,* Scytha, & Philosophus, cum interrogaretur cur in Scythia non essent tibicinæ, ut in Græcia, respondit pe causam remotam, quia ibi non sunt vites. Quo innuebat tibicinas esse ex ebrietate; neminem autem Scytharum se inebriare, quia nulla inter eos est vitis, ex qua fiat vinum. Exemplum autem quod ex Aristotele vulgo adducitur, *plantas non respirare, quia non sunt animalia,* minus aptum est. Quia vita sensitiva non est proprie causa remota respirandi, magis quam homo est causa remota homicidii. Utraque enim est causa principalis, animal quidem per pulmones, ut instrumentum, & homo per gladium, aut aliquod aliud instrumentum mortis. Causa autem principalis, respectu instrumenti, non dicitur remota.

III. *Probatio per causam remotam, non est Demonstratio hóti, sed imperfecta dióti.* Ratio est manifesta; quia non tantum ostendit effectum esse, sed etiam cur sit, licet non adæquate, sed ex parte tantum. Ut si quis, ignoranti causam cur horologium movetur, ostendat pondus

pondus, ſed de rotis quæ eo circumaguntur, nihil doceant, non tantum indicat horologium moveri, ſed etiam partem aliquam cauſæ cur movetur. Deinde, probatio per cauſam proximam inadæquatam, non eſt Demonſtratio *hóti*, ſed imperfecta *dióti*; ut ſi oſtendas malleum horologii moveri per rotam quæ ei proxima eſt, & nihil indicaveris de pondere quo hæc circumducitur. Ergo ſimiliter probatio per cauſam remotam, erit *díoti*, licet imperfecta. Dico autem utramque eſſe imperfectam, quia ad perfectam notitiam effectus, per cauſas, requiritur ut omnes quæ ſibimet invicem ſubordinantur teneamus. Si enim remotam tantum percipimus, ſtatim quærere incipimus intermedias, dum ad proximam perveniamus: Et cum ſolam proximam invenîmus, non acquieſcimus, dum remotas etiam detegamus, uſque ad primam. Nec aliter perfecte ſcimus unde res ſit.

Objicit *Burgerſdicius Inſtit. lib. 2. cap. 24. ad Theor. 3.* Demonſtratio à cauſa remota non affert eam cauſam in qua animus acquieſcat. Non igitur ſolvit quæſtionem cur res ſit.

Reſp. Diſting. Conſeq. non ſolvit perfecte quæſtionem illam. Sicut nec demonſtratio à ſola cauſa proxima, quando aliæ ſunt remotæ. Et in neutra mens acquieſcit. Solvit tamen ex parte. Eſt enim cauſa remota una è cauſis cur res ſit, ut omnibus notum eſt.

Quæſt. X. *An circulariter demonſtrare liceat effectum per cauſam, & cauſam rurſus per effectum?*

Reſpondent communiter Logici, cum diſtinctione; Duobus modis fieri poſſe circulum in Demonſtrando. Prior eſt cum effectus probatur per cauſam; & deinde cauſa, ſine ulteriori ejus notitia, per effectum. Ut ſi prius dicas *Homo eſt rationalis, ergo eſt riſibilis*, & deinde (ſi quis poſtulet probationem antecedentis) *homo eſt riſibilis* ergo *eſt rationalis.*

Et

Et circulum illum vitiosum esse fatentur: quia in eo idem usurpatur ut notius simul, & ignotius; & ex consequenti, idem probatur per seipsum. Ut si A sit causa *tou* B, & B rursus causa *tou* A, erit etiam A causa suiipsius. Nam *in causis subordinatis, quod est causa per se causæ. est causa etiam causati.* Posterior modus est, cum primo ex effectu noto, colligitur esse res quæ est illius causa, non tamen percipitur esse causa; & deinde postquam talis esse intelligitur, effectus propter eam esse concluditur. Et hujusmodi circulum aiunt esse licitum, ac utilem, & *Regressum* vocari. Sic *Compt. Disp.* 48. *sect.* 3. *Burgersdicius*, capite proxime citato. Addit etiam inibi *Comptonus*, sæpe per effectum causam probari, & effectum vicissim per causam, non quidem eundem numero, sed diversum, ejusdem tamen rationis. Ut ex abundantia vaporum, demonstrare possumus pluviam futuram; deinde ex pluvia abundantiam vaporum futuram, non quidem eorundem, sed aliorum. *Ubi enim natura circulum facit in essendo, ibi etiam nobis licet circulum facere in cognoscendo. Keckermannus* tamen paulo aliter circulum vitiosum describit: scilicet, cum primo per causam proximam probamus effectum, & deinde causam proximam per eum tanquam per causam, *Syst. Log. lib.* 3. *cap.* 15. Consentiunt vero omnes, circulum vitiosum incipere à causa ad effectum, & procedere ab effectu ad causam. Varia hic occurrunt errata.

I. Solutio *Comptoni* & *Burgersdicii* ex parte obscura est. Non enim declarat, utrum cum ex effectu sensibili colligitur causa indistincte, ut res aliqua, sed non ut causa, effectus percipiatur distincte, ut effectus, an solum confuse, ut res aliqua. Et si ut effectus, utrum ut tantum effectus alicujus causæ indeterminatæ, an certæ, & determinatæ.

II. Deinde assumit pro vero quod falsum est: scilicet demonstrari posse causam per effectum, cum interim

interim causa non intelligitur esse causa. Illud autem falsum esse hinc constat. Demonstrari non potest existentia unius rei, per existentiam alterius, nisi mens percipiat connexionem necessariam alterius cum altera. Cum igitur mens, ex effectu colligit causam vel actu existere, vel saltem extitisse, videt ea esse connexa. Atqui vel videt connexa esse ut causam & effectum, vel in aliquo alio genere. Si posterius; Demonstratio erit erronea, finget enim habitudinem inter res quæ non est. Si prius, quandoque colligit causam ex effectu, necesse est ut percipiat causam esse causam. Ut cum ex intuitu hujus universi, colligitur *esse Deus*, qui ejus autor sit.

Dices forte, sufficere si mens videat res quæ sunt causa & effectus, esse in aliquo genere connexas; licet qualem connexionem, in specie habeant, non percipiat. Tunc enim facile ex unius existentia, colliget existentiam alterius.

Resp. Nego Antecedens. Quia mens non aliter cernere potest connexionem rerum, quam percipiendo, in specie, earum naturas, & qualem habitudinem ad se invicem gerant; scilicet causæ & causati, vel subjecti & adjuncti, vel totius & partis, aut aliquam aliam ejusmodi. Nemo enim ex existentia mundi concludere potest esse Deum, nisi percipiat simul esse aliquod ens quod maximæ potentiæ & sapientiæ sit. Hoc est nisi concipiat Deum talem esse ut potuerit mundum creare, seu esse illius causam.

Instabis, Mentem nostram sæpius cernere connexionem necessariam attributorum, & proprietatum quas in rebus invenit, nescire tamen qualis sit habitudo, in specie, unius ad aliud. Ex. g. plerique, primo intuitu, agnoscent simplicitatem connexam esse cum indivisibilitate, & vicissim: pauci tamen ostendere possunt quam habitudinem altera gerit ad alteram.

Resp. Pauci ostendere possunt verbis, & in actu signato. Omnes tamen qui ea percipiunt, inveniunt

unt mente, saltem in actu exercito, habitudinem aliquam, in specie. Impossibile enim est connexionem illam percipere, nisi videat mens indivisibilitatem esse, per quam res divisionem partium respuit; Simplicitatem vero, per quam partibus, aut pluralitate componentium, vacat. Cum igitur mens, ex eo quod res sit indivisibilis, colligit esse simplicem, videt eam nullis partibus constare in quas dividi possit: quod in re idem est, ac simplicitatem esse rationem, seu causam indivisibilitatis; licet non semper verbis istud ostendere queat, eo quod nesciat quibus verbis exprimendum sit.

Ex his etiam manifestum est, effectum, cum per eum innotescit causa, cognosci ut effectus est, seu ut quid dependens ex eo quod indigitat. Secus enim cerni nequiret causa ut cum eo necessario connexa, quoad existentiam, præsentem, vel præteritam. Ut qui videt lunam obscurari, & inde colligit corpus aliquod opacum, lucem solis, quia illustrari solet, intercipere, per illum ipsum actum mentis percipit obscurationem esse ex lucis interceptione. Qui enim aliter percipere posset lucis interceptionem cum obscuratione Lunæ connexam esse, ita ut si hæc sit, oporteat etiam illam esse?

Objiciet forte quispiam, hinc sequi nullam esse Demonstrationem per effectum, sine Scientia, & Demonstratione effectus per causam. Et Scientiam quæ habetur à posteriori includere Scientiam à priori, quod absurdum videtur.

Resp. Sequitur quidem nullam esse Demonstrationem ex effectu, sine Scientia & Demonstratione indirecta effectus per causam, quod verissimum est. Si enim percipio effectum esse effectum hujus vel illius causæ, consequenter & indirecte percipio causam esse causam illius effectus. Probe enim novi causam & effectum esse Relata, & reciprocari.

Pro

interim causa non intelligitur esse causa. Illud autem falsum esse hinc constat. Demonstrari non potest existentia unius rei, per existentiam alterius, nisi mens percipiat connexionem necessariam alterius cum altera. Cum igitur mens, ex effectu colligit causam vel actu existere, vel saltem extitisse, videt ea esse connexa. Atqui vel videt connexa esse ut causam & effectum, vel in aliquo alio genere. Si posterius; Demonstratio erit erronea, finget enim habitudinem inter res quæ non est. Si prius, quandoque colligit causam ex effectu, necesse est ut percipiat causam esse causam. Ut cum ex intuitu hujus universi, colligitur *esse Deus*, qui ejus autor sit.

Dices forte, sufficere si mens videat res quæ sunt causa & effectus, esse in aliquo genere connexas; licet qualem connexionem, in specie habeant, non percipiat. Tunc enim facile ex unius existentia, colliget existentiam alterius.

Resp. Nego Antecedens. Quia mens non aliter cernere potest connexionem rerum, quam percipiendo, in specie, earum naturas, & qualem habitudinem ad se invicem gerant; scilicet causæ & causati, vel subjecti & adjuncti, vel totius & partis, aut aliquam aliam ejusmodi. Nemo enim ex existentia mundi concludere potest esse Deum, nisi percipiat simul esse aliquod ens quod maximæ potentiæ & sapientiæ sit. Hoc est nisi concipiat Deum talem esse ut potuerit mundum creare, seu esse illius causam.

Instabis, Mentem nostram sæpius cernere connexionem necessariam attributorum, & proprietatum quas in rebus invenit, nescire tamen qualis sit habitudo, in specie, unius ad aliud. Ex. g. plerique, primo intuitu, agnoscent simplicitatem connexam esse cum indivisibilitate, & vicissim: pauci tamen ostendere possunt quam habitudinem altera gerit ad alteram.

Resp. Pauci ostendere possunt verbis, & in actu signato. Omnes tamen quæ ea percipiunt, inveni-

unt mente, saltem in actu exercito, habitudinem aliquam, in specie. Impossibile enim est connexionem illam percipere, nisi videat mens indivisibilitatem esse, per quam res divisionem partium respuit; Simplicitatem vero, per quam partibus, aut pluralitate componentium, vacat. Cum igitur mens, ex eo quod res sit indivisibilis, colligit esse simplicem, videt eam nullis partibus constare in quas dividi possit: quod in re idem est, ac simplicitatem esse rationem, seu causam indivisibilitatis; licet non semper verbis istud ostendere queat, eo quod nesciat quibus verbis exprimendum sit.

Ex his etiam manifestum est, effectum, cum per eum innotescit causa, cognosci ut effectus est, seu ut quid dependens ex eo quod indigitat. Secus enim cerni nequiret causa ut cum eo necessario connexa, quoad existentiam, præsentem, vel præteritam. Ut qui videt lunam obscurari, & inde colligit corpus aliquod opacum, lucem solis, quia illustrari solet, intercipere, per illum ipsum actum mentis percipit obscurationem esse ex lucis interceptione. Qui enim aliter percipere posset lucis interceptionem cum obscuratione Lunæ connexam esse, ita ut si hæc sit, oporteat etiam illam esse?

Objiciet forte quispiam, hinc sequi nullam esse Demonstrationem per effectum, sine Scientia, & Demonstratione effectus per causam. Et Scientiam quæ habetur à posteriori includere Scientiam à priori, quod absurdum videtur.

Resp. Sequitur quidem nullam esse Demonstrationem ex effectu, sine Scientia & Demonstratione indirecta effectus per causam, quod verissimum est. Si enim percipio effectum esse effectum hujus vel illius causæ, consequenter & indirecte percipio causam esse causam illius effectus. Probe enim novi causam & effectum esse Relata, & reciprocari.

Pro

Pro Solutione igitur quæstionis dicimus,

I. Postquam ex effectu demonstratur causa, institui potest novus discursus, quo per eandem causam effectus demonstretur. Nec probatio istiusmodi reciproca erit circulus vitiosus: non quia causa tum distincte cognoscitur, seu esse causa, aut quia aliquid de ea detegitur, quod novum medium sit, sed quia causa & effectus, licet assumantur ad se mutuo probanda, non tamen idem, aut eodem modo probant. Effectus enim probat Causam esse, vel fuisse in actu, & qualisnam illius indoles sit: at causa probat non tantum effectum esse, sed etiam ostendit cur, & unde sit. Circulus autem vitiosus est, cum duo usurpantur ad eandem, sive plane similem quæstionem, de se mutuo probandam: ut si concluderes *Petrum esse doctum quia didicit*, & rursus *didicisse quia est doctus. Ecclesiam esse infallibilem, quia sic testatur Scriptura; & Scripturæ credendum esse, quia de ejus veritate testatur Ecclesia*, quemadmodum arguunt Pontificii, contra intrinsecam Evidentiam divinitatis Scripturæ.

II. Interim tamen nullus est usus istiusmodi reciprocationis, nisi ad eum instruendum qui non evidenter capit probationem causæ per effectum. Tunc enim commodum erit dicere, *res illa quam alia esse ostendit est causa ejus quam esse ostendit.* Sed qui ex effectu clare percipit esse causam, simul etiam percipit propter causam existere effectum.

DISPU-

DISPUTATIO XXIX.

De Syllogismo Sophistico, seu Fallaci.

SYllogismus fallax dividitur communiter, in *Pseudographicum* & *Sophisticum*. Prior est qui videtur ex media necessario concludere, sed non concludit. *Pseudographicus* autem vocatur, per allusionem ad *Pseudographemata*, hoc est ad falsas delineationes figurarum in Geometria, quæ incautos & imperitos fallunt. Semper enim assumit principium vel falsum, ex quo falsam conclusionem infert; ut cum *Pontificii* sic arguunt, *Extrema Unctio est Sacramentum*, seu *sacrum signum ab Apostolis institutum*; Ergo *gratiam obsignat, & confert*. *Est ignis purgatorius*; Ergo *etiam vere credentibus, in Christum post mortem timendum est*. Vel veram conclusionem quidem infert, sed ex ratione inepta, seu ex eo quod veram causam non continet. Ut cum Cardanus rationem reddit, cur *fæmina citius adolescant quam mares*, *quia* scilicet *calidiores sunt*, cum vera ratio sit, quia temperamento humidiori constant. Unde discursus istiusmodi errorem, & habitum erroneum gignit, quem Aristoteles *Ignorantiam pravæ dispositionis* appellat, per quam mens habitu quodam male sentiendi inficitur: Cui opponitur *ignorantia puræ negationis*, cum scilicet nec recte de re sentit, nec male; qualis est ignorantia in pueris, & idiotis.

Medium in ejusmodi discursu fallaci sæpius artificiale est, ut in exemplis proxime adductis. Aliquando inartificiale.

1. A

1. A Teſtimonio ſenſum erroneo; ut cum quis putat baculum in aqua eſſe fractum, aut curvum, quia ſic videtur.

2. A Teſtimonio divino male intellecto. Ut cum Pontificii ex verbis Chriſti, *Hoc eſt corpus meum* in inſtitutione S. Cœnæ, inferunt corpus illius eſſe in ea præſens.

3. Cum Teſtimonium Humanum, vel etiam Diabolicum, pro Divino habetur. Ethnici enim oraculis Cacodæmonum fidem adhibuerunt, tanquam divinis. Et multi Pontificii Decreta Pontificum & Conciliorum, ſeu ſententiam definitivam Eccleſiæ Romanæ, pro voce Dei venerantur.

Syllogiſmus Sophiſticus eſt, qui videtur probabiliter concludere, ſed non ita concludit. *Sophiſticus* dicitur à *Sophiſta*, quæ vox olim honoris nomen fuit, & *Sapientem*, vel *Doctum* ſignificabat. Poſtquam vero quidam Sapientum æmuli, ſed vera ſapientia deſtitui, captioſis ratiociniis aliis illuderent, & diſcipulos, lucri gratia, artem decipiendi, & cavillandi docerent, in malum ſenſum verti cæpit.

Quæſt. I. *An utilis & neceſſaria ſit doctrina de Syllogiſmo fallaci?*

Reſp. Affirmative. Ejus enim beneficio, noſtras aut aliorum in ratiocinando hallucinationes, & fallacias, detegimus; earum rationes & cauſas percipimus: adeoque inſtructiores ſumus ad veritatem contra adverſariorum ſtrophas tuendam. Turpe etiam Logico eſſet, ſi, Sophiſma peritiæ tentandæ gratia, ab alio propoſitum, diluere neſciret. Expedit igitur ut non tantum bonarum, ſed etiam vitioſarum ratiocinationum formulas, & locos, aliqualiter teneamus. Quanquam nihil hic opus ſit longa & operoſa tractatione, qualis à nonnullis inſtituitur.

Obj. I. Ars Sophiſticandi eſt illicita & noxia. At talis eſt doctrina de Syllogiſmo fallaci.

Reſp.

Resp. Ars Sophisticandi eo fine tradita, ut fallamus est illicita & noxia. At doctrina hæc non in eum finem traditur, ut fallamus, sed ut à fallaciis caveamus. Unde ars Sophisticandi dici non debet, sed potius ars cavendi à fallaciis.

Inst. At doctrina illa instructiores homines reddit ad fallendum.

Resp. Per accidens id facit, (ut gladius instructiorem reddit latronem ad nocendum) & quatenus in abusum trahitur, non per se, & ex fine suo.

Obj. II. Cum finis omnis artis bonum sit, in nulla debet quidquam tradi vitiosum.

Resp. Non debet vitium tradi ut sequamur, verũ est; ut caveamus negatur. Tradit enim Ethica vitia moralia, ut ea fugiamus; Medicina morbos ut sanentur.

Obj. III. Omne vitium Syllogismi vel est in materia, vel in forma. Si in materia, sufficit, ad eam detegendam, doctrina de Syllogismo Apodictico, & Dialectico; præcipue vero cognitio naturæ rerum de quibus agitur. Si in forma, facile deprehenditur ex regulis quæ legitimam structuram Syllogismorum præscribunt. Nihil igitur opus est peculiari doctrina de Syllogismo fallaci.

Resp. Vitium quidem in forma facile deprehenditur, ex regulis de bona forma. Sed in Syllogismo fallaci, de quo nunc agimus, vitium est in materia. Vel enim altera aut utraque præmissarum est falsa: vel ambigua; vel alia propositio ac esse præsumitur, ut in Sophismate à non causa, pro causa, & ab imperfecta enumeratione partium; vel conclusio alia est quam esse debet, ut in ignoratione Elenchi. Unde licet doctrina de Syllogismo necessario, & contingenti, multum conducat ad vitia ista detegenda, & multo magis notitia rerum, & vocabulorum quibus res exprimuntur, opus tamen est locos communes vitiorum novisse, ut facilius evitentur. Quemadmodum in Ethica, non sufficit naturam cujusque

virtutis describere, sed necessarium etiam est vitia opposita, & qubus in casibus contingant, notare, ut facilius caveantur. Sic etiam multum refert dignoscere, quibus præcipue modis mens nostra, in ratiocinando, hallucinari solet.

Quæst. II. *An recte dividantur Sophismata in ea quæ sunt in dictione, & in ea quæ sunt extra dictionem?*

Resp. Divisio illa communiter probatur: & plerique eam confirmant, & explicant, ut sequitur. In singulis Sophismatis duo, inquiunt, sunt notanda; *causa apparentiæ*, & *causa non-existentiæ*. *Causa apparentiæ* est quæ efficit ut syllogismus videatur verus & bonus, movetque imperitos, aut incautos, ad falsa pro veris amplectenda, *Causa non-existentiæ* est ratio propter quam non vere concludit. Causa autem apparentiæ vel est in *vocibus*, vel in *rebus*. In vocibus, cum vox, aut oratio, una & eadem apparet in præmissis, & conclusione, quæ tamen diversa est secundum significationem, vel etiam quoad materiam. In rebus est, aliqua convenientia, vel diversitas, propter quam putantur ita eædem aut diversæ esse, ut vere de invicem affirmari, aut negari possint. Ergo omnis Sophisma oritur vel à vocibus, vel à rebus.

Objiciunt autem quædam quorum solutione rem ulterius declarant.

Obj. I. Causa fallaciæ est in eo qui fallitur: Et ex imperitia illius oritur. Ergo, saltem non semper est vel in vocibus, vel in rebus. Deinde res sunt causæ veritatis. Ideo enim actus mentis nostræ veri sunt, quia rebus, tanquam ad suum exemplar, conformantur. Et si in vocibus sit causa fallaciæ, sequetur primos linguarum Authores, & Deum ipsum qui linguarum primarum autor fuit, esse, in earum institutione, causas erroris.

Resp. I. Causa interna errandi, est imperitia, aut incogitantia, seu negligentia ejus qui fallitur. Sunt tamen aliæ externæ, quæ movent vel inducunt ad male

male judicandum: illæ autem vel sunt in vocibus, vel in rebus. Nihil enim aliud est in quo esse possint; Dices possunt mali Genii hominibus imponere.

Resp. Verum: Sed istud non aliter præstant, quam efficiendo ut vel a vocibus, vel à rebus, occasionem errandi arripiamus.

II. Res, si recte apprehendantur, sunt causæ objectivæ veritatis, in actibus mentis nostræ. Cum autem male apprehenduntur, causæ errandi evadunt. Rectius respondebis, esse causas per se quidem veritatis, per accidens tamen, propter imperitiam aut negligentiam nostram, causas errandi fieri. Idem de vocibus dicendum: Ideo enim occasionem errandi præbent, quia non satis intelliguntur; aut quia minus intenti sumus ad circumstantias, quæ veram earum significationem exhibeant.

Inst. At saltem voces ambiguæ significationis sunt causæ per se deceptionis. Adeoque & earum primi Authores.

Resp. Non sequitur. Quia voces illæ ita usurpari possunt, ut nunquam per eas fallamur, nisi vel ex inscitia, vel negligentia. Et primi earum Autores, ut infirmitati nostræ consuluerunt in una voce ad plures res diversas. Significandas instituenda, (sic enim lingua paucioribus vocibus constat, & citius addiscitur) ita etiam voluerunt semper eo modo usurpari, ut intelligeretur in quo sensu accipiantur.

Obj. II. Unum & idem Sophisma est & à voce, & à re. Ex g. *Canis est animal latrans. Quoddam signum cæleste est canis: quoddam* igitur *signum cæleste est animal latrans,* est Sophisma *Homonymiæ,* ex ambigua significatione vocis *canis.* Atqui est etiam Sophisma *accidentis.* Ex accidenti enim est quod signum cæleste vocetur *canis.* Membra igitur hujus divisionis coincidunt.

Respondent, quamvis idem Sophisma & à voce, & à re ortum ducat, quoad materiam, habet tamen diversas rationes formales, nempe diversas causas apparentiæ, unam in dictione, aliam in re, ut in exemplo facto. Deinde non omne Sophisma tale est. Quæ duo sufficiunt ad membra divisionis distinguenda.

Obj III. Sunt etiam Sophismata ex affectu inordinato. Cum homines de rebus arguunt eo modo ac esse velint, nec student eas percipere, & explicare ut vere sunt.

Resp. Sophismata illa, quatenus ab iis quæ supra diximus, distinguuntur, non regulis logicis, sed præceptis Ethicis, & bono animo indigent, ut caveantur, aut corrigantur. Adeoque sufficit in Logica ea in genere memorasse.

Quæst III. *An sex tantum sint genera Sophismatum in dictione?*

Resp. Communiter affirmatur ex Aristotele, qui ea omnia ad sex locos revocavit.

Primus locus est *Homonymia* seu ambiguitas in unica voce: Ut *omnis vox est sonus, homo est vox*; Ergo *homo est sonus*. Vel in termino complexo; ut *quod caret principio & fine est æternum; quicquid est rotundum caret principio & fine*: Ergo *quicquid est rotundum est æternum*. Hic dicunt causam *apparentiæ* esse formalem unitatem unius termini, cui unitas significationis subesse videtur. Causam vero *non-existentiæ* esse realem diversitatem significationum. Et unitatem formalem sumunt pro unitate in aliis accidentibus præter significationem, puta in genere, casu, quantitate, accentu.

Secundus locus est *Amphibolia*, seu ambiguitas integræ sententiæ. Ubi causam *apparentiæ* aiunt esse unitatem formalem orationis: *Non-existentiæ* vero, multiplicem illius significationem. Ut *Aio te Æacida*

Romanos

Romanos vincere posse. Ego feci te servum existentem liberum.

Tertius est *compositio* eorum quæ dividenda sunt.

Quartus contra, *divisio* eorum quæ conjungenda. Ubi causa *apparentiæ* est unitas materialis orationis. Causa *non existentiæ* est quod partes aliud significant, si conjunctim accipiantur, aliud si divisim. Ut *duo & tria sunt par & impar; quinque sunt duo & tria:* Ergo *quinque sunt par & impar. Impossibile est sedentem stare; Socrates sedet:* Ergo *impossibile est Socratem stare.*

Quintus locus est *Prosodia*; cum ex similitudine soni identitas significationis in vocibus colligitur. Ut *omnis populus est cœtus hominum: quædam arbor est populus: Ergo quædam arbor est cœtus hominum.*

Sextus denique est *figura dictionis*, cum propter similitudinem terminationis, colligit quis, voces similiter significare, aut eadem accidentia grammatica iis convenire. Ut *Poetam & Planetam* esse fœminini generis, quia *moneta* est fœminini generis: *ardere, stare, quiescere* significare actiones, quia *urere, flare*, actiones significant.

Obj. Sunt etiam Sophismata è vocibus Tropicis, & orationibus figuratis. Ut cum *Anthropomorphitæ*, ex eo quod Deo in sacris literis, manus, oculi, os, facies, tribuuntur, inferunt eum esse corporeum. Aut cum ex verbis Christi sacram cœnam instituentis, *Hoc est corpus meum*, inferunt *Pontificii*, panem post consecrationem transmutari in Substantiam corporis Christi.

Respondent Sophismata ista ad locos Homonymiæ & Amphiboliæ spectare. Et de Sophismatis quidem ex tropo dici istud potest. Sed de iis quæ sunt ex oratione figurata, non concederem. Sic enim sequetur in ipsa Scriptura sacra multas esse formas loquendi vitiosas, quales sunt omnes Amphiboliæ, utpote ex natura sua, & usu, plane ambiguæ.

Sunt igitur Sophiſmata ex oratione figurata. Ut, ſi ſervus, cum ab hero, verbis Terentianis, *heus, bone vir curaſti probe,* increparetur, reſponderet, idem male factum denuo faciendum eſſe. Sed parvi refert ſintne plura an pauciora Sophiſmata ex vocibus, & oratione. Nulla enim ejuſmodi ſunt, quæ regulas quibus caveri & ſolvi poſſint, merentur, præter ea quæ ex homonymia, aut oratione tropica & figurata oriuntur.

Notandum etiam eſt, Sophiſmata ex compoſitione, & diviſione, non eſſe in ſola dictione, ſed etiam in rebus. Pro harum enim compoſitione, aut diviſione, in conceptu & ſermone noſtro, ex ambiguis præmiſſis inferri poteſt concluſio aperte falſa. Ut patet in exemplo trito, *duo & tria ſunt duo numeri, quorum prior eſt par, poſterior impar. Quinque ſunt duo & tria:* Ergo. Ubi ſenſus majoris eſt, *duæ res,* & *tres res* ſunt duo numeri. Et cauſa fallaciæ non eſt in vocibus, ſed in rebus, non minus quam in Sophiſmate accidentis, vel à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.

Septem vulgo ſtatuuntur genera Sophiſmatum extra dictionem: ſcilicet Sophiſma *Accidentis, dicti ſimpliciter* & *ſecundum quid, Ignoratio Elenchi, Sophiſma conſequentis, petitio quæſiti, non cauſa pro cauſa, & multiplex interrogatio.* Quæ ab Ignoratione Elenchi, petitione quæſiti, & dicto ſecundum quid oriuntur, definivimus in *Inſt. part. com. cap* 31. Multiplicem autem interrogationem prætermiſimus, in qua plures quæſtiones inſtar unius proponuntur, (ut deſiiſtine furari an non? amiſiſtine cornua an non?) quia raro aut nunquam in errorem inducit. Et de his quidem nulla poteſt eſſe controverſia. Sed de reliquis diſſentiunt Logici. Sit igitur

Quæſt. IV. Quid ſit Sophiſma accidentis; & an ſemper in forma peccet? Quod ad priorem partem attinet, *Ariſtoteles* de *Sophiſt. Elench. cap.* 5. dicit Sophiſma

phisma accidentis esse, *cum quidvis putatur æque rei, ac accidenti suo inesse.* Sed exempla quæ adfert aliena videntur à definitione, aut non nisi obscure, & per vim quandam, ei conveniunt. Sunt enim ista: *Si Coriscus sit diversus ab homine, erit etiam diversus à seipso,* quoniam *ipse homo est.* Vel, *si diversus sit à Socrate, diversus erit ab homine,* eo quod *Socrates est homo.* At intelligi nequit quomodo *esse diversum á Socrate,* vel *ab homine,* sit accidens *Corisci,* nisi quatenus nomine *Corisci* appellatur. Hinc struit Burgersdicius definitionem Sophismatis ab accidenti: "Cum subjecto "convenire colligitur quicquid de prædicato dicitur. Et inniti dicit regulæ lib. 3. Categor. traditæ, "Quæ-"cunq; dicuntur de Attributo rei, illa de re ipsa etiam dicuntur, sed latius extensæ quam veritas patitur: "Fallit enim regula, inquit, cum de attributo dicitur "aliquid per accidens. Duos hujus Sophismatis modos ponit. Alterum cum aliquid de Attributo dicitur per accidens. Ut *Homo est Species: Socrates est homo,* Ergo, *Socrates est species.* Alterum cum ipsum attributum dicitur de subjecto per accidens. Ut *Mus rodit caseum: Mus est Syllaba.* Ergo, *Syllaba rodit caseum.* Similiter fere *Galtruchius, de Argumentatione cap.* 8. "Fallacia accidentis est quando infertur ali-"quid rei convenire, ex eo quod accidenti ejus con-"veniat. Ut *Homo est Animal:* Atqui *animal est genus;* Ergo *Homo est genus.* Vel, *Petrus est homo: Homo est tertiæ declinationis;* Ergo *Petrus est tertiæ declinationis.* Cum modo illo secundo coincidit definitio ab aliis tradita, scilicet cum arguitur ex eo quod rei convenit per accidens. Ut *Evangelium bellum ciet, vinum inebriat,* Ergo *sunt mala, neque in republica ferenda.*

Keckermannus deniq; *System. Log. lib. 3. cap. 3. sect. 3.* Dicit Sophisma accidentis, priori modo sumptum, in forma peccare: & idcirco inter syllogismos vitiosos ratione materiæ, non esse connumerandum.

Posteriori vero modo revocat ad Sophisma à dicto secundum quid. Idem facit Autor *Artis Cogitandi part. 3. cap. 9.* dum Sophisma accidentis fieri dicit, " quando ex eo quod verum tantum est per accidens, " deducitur conclusio absoluta, simplex & sine restrictione.

Hic reprehendimus in *Burgersdicio.*

I. Quod definitionem hujus Sophismatis non ita tradiderit, ut ambos illius modos quos postea recenset, complecteretur. Secundus enim modus, in quo ipsum attributum de subjecto dicitur per accidens, sub ea non continetur, ut ex comparatione facile liquet.

II. Exempla quæ adducit sunt inepta.

Primum enim, *Homo est species, Socrates est homo,* &c. supponit tanquam verum, *speciem esse.* Accidens Hominis, ex nostro modo cogitandi ortum. Cum sit affectio necessaria omnium hominum, quatenus conveniunt in natura humana.

Secundum vero, *Mus rodit caseum,* &c. innuit *syllabam* esse accidens muris. Atqui nec est accidens vocis *Muris,* sed de ejus essentia. Nequeunt enim tres illæ literæ *Mus,* prout in lingua Latina usurpantur, plures syllabas conficere. Nec est accidens *bestiæ* quæ dicitur *Mus.* De ea enim nullo modo affirmari potest, ut per se patet. Nec cum dicitur *Mus est syllaba;* *Mus* sumitur pro bestia, sed pro sola voce. Idem dicendum est de exemplis *Galtruchii.*

In Keckermanno reprehendimus,

I. Quod Sophisma accidentis semper in forma peccare docuerit. Licet enim exempla quæ apud Burgersdicium & Galtruchium vidimus, sic peccent, sunt tamen alia quæ in sola materia deficiunt Quale est illud ab Aristotele traditum, cujus etiam memorat Keckermannus; *Qui est diversus à Socrate, est diversus ab Homine. Coriscus est diversus à Socrate,* Ergo. Cujus vitium est quod major propositio falsa sit, aut saltem ambigua. Est enim propositio negans quoad

sensum,

sensum, & idem valet ac *qui non est Socrates non est Homo*, hoc est *non est ullus homo*. Et quatenus non est adæquate falsa, ambiguum sensum habet. Vel enim significat eum qui est diversus à Socrate, esse diversum ab omni homine, vel ab aliquo tantum. At non omnis Syllogismus cujus aliqua propositio ambigua est, in forma peccare censetur. Quin nec sophismata Homonymiæ; licet in iis reipsa quatuor sunt termini. Sufficere enim statuitur ad formam bonam, si Syllogismus in aliqua figura aut modo utili struatur. Dico autem ita *æstimari* à Logicis, quia, an ubicunque est terminus qui diversimode accipitur, & sic realiter duplex sit, Syllogismus in forma vitiosus dicendus sit, est quæstio de voce *forma syllogistica*, in qua communi acceptioni standum est.

II. In eodem, & Autore Artis cogitandi, etiam reprehendi debet, quod Sophisma accidentis posteriori modo sumptum, revocent ad dictum secundum quid. Sic enim Sophisma illud, *Evangelium bella ciet, ergo est malum*, solvendum esset dicendo, *Evangelium esse* quidem *malum secundum quid, non* autem *simpliciter*. At quis Evangelii amicus solutionem istam feret? Evangelium enim licet ex accidenti bella cieat, nullatenus est malum. Et Autor artis cogitandi Sophisma à dicto secundum quid, distinctum ponit à sophismate Accidentis; ut & distingui debet.

Nec mala semper est illatio ex eo quod rei convenit per accidens. Ex attributo enim accidentali, recte infertur quicquid ei per se, aut Universaliter convenit. Inferre autem aliquid quod Attributo per accidens, aut in parte convenit, sive sit accidentale, sive essentiale, est in formam Syllogisticam impingere. Ut si dicas *Socrates est Philosophus: quidam Philosophus est Musicus*, Ergo *Socrates est Musicus*. Aut *Socrates est homo, quidam homo est cæcus*, Ergo, *Socrates est cæcus*.

Si

Si igitur per Sophisma accidentis intelligamus Syllogismum in materia defectuosum, nullus alius eo nomine venire debet, præter illum in quo, ex eo quod aliquid alicui per accidens convenit, colligitur de eo aliquid aliud tanquam per se conveniret. Ut, *ex lectione scripturæ nascuntur hæreses.* Ergo *lectio Scripturæ laicis non est permittenda.*

Quæst. V. Quid sit Sophisma consequentis?

Respondet *Burgersdicius Instit. lib. 2. cap. 27.* "Cum "aliqua enunciatio ex alia colligitur, ex qua non "sequitur. *Keckermannus* vero, *Syst. Log. lib. 3. sect. 3. cap. 3.* dicit esse, "quando vitiosa est connexio "medii cum majori extremo, in propositione ma-"jori. Verum utraque Definitio est latior definito. Prior enim complectitur omnem discursum vitiosum ratione consequentiæ. Posterior omnem illum qui vitiosus est, ob majorem propositionem falsam, vel ambiguam.

Sophisma igitur *consequentis est, cum ex consequente infertur antecedens*; aut *ex opposito Antecedentis oppositum consequentis. Antecedens* autem hic dicitur, non propositio aliqua, sed terminus alium inferens, ut Species suum genus, Causa in actu suum effectum. *Consequens* vero qui ex alio sequitur, seu ex eo inferri aptus est. Ex. g. *est blandus*, Ergo, *est adulator. Noctu obambulat:* Ergo *est fur. Blande enim se gerere* est consequens adulatoris: & *noctu ambulare*, furis quia latius patent. Oppositum autem antecedentis ad oppositum consequentis rationem consequentis obtinet. Ut, *Angelus non est animal*, Ergo *nullos habet affectus.*

Quæst. VI. *Quid sit Sophisma non causæ pro causa?*

Respondet *Burgersdicius*, loco proxime citato; esse vel cum, in Syllogismo ducente ad incommodum, falsitas conclusionis absurdæ, propositioni alicui imputatur, quæ causa falsitatis non est, indeque infertur propositionem illam esse falsam. Ut *omne im-*

immortale est æternum? anima humana est immortalis; Ergo *est æterna:* At *conclusio est falsa,* ergo *aliqua ex præmissis: Non major,* ergo *minor. Anima* igitur *Humana est mortalis.* Vel cum in Syllogismo directo causa per accidens, sumitur tanquam esset causa per se. Ut *vinum inebriat.* Ergo *in Republica non est ferendum. Keckermannus* vero, Sophisma non causæ inter syllogismos in forma peccantes recenset.

Nos breviter sic statuimus.

1. Duo illi modi Sophismatis non causæ, quos tradit *Burgersdicius,* defendi possunt. Et prior ab Aristotele adducitur.

2. Sophisma non causæ non peccat in forma: ut patet ex exemplis adductis.

3. Sunt alia Sophismata, quæ non minus recte non-causæ dici possunt. Illa scilicet in quibus pro Causa per se venditatur, quod nullo in genere causa est. Sic multi decipiuntur, putantes se causas rerum invenisse quas non invenerunt: Aut cum ex causis remotis effecta probant.

Objicit *Keckermannus,* eadem ratione statui debent Sophismata *non-Generis* pro genere, *non subjecti* pro subjecto, *non-proprii* pro proprio &c. Et tot erunt Sophismata quot sunt loci inventionis.

Resp. Non sequitur. Quia in reliquis locis inventionis, non attenditur qualitas medii; ex. g. sitne Genus, an subjectum, aut proprium; sed sufficit si conclusio vere sequi ex præmissis percipiatur: At in loco causæ requiritur ut sciamus medium esse causam: alioqui cognitio de conclusione non erit Scientia *dióti.*

Quæst. VII. *An bonus unquam processus sit, in discurrendo, à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter?*

Pro solutione notandum est, *Dictum simpliciter esse* id quod sine adjectione effertur; ut *Homo, albus. Secundum quid* vero, quod cum adjectione aliqua; ut *Homo mortuus, albus dentes.* Deinde triplicem asse

adjectio-

adjectionem; *determinantem, alterantem,* & *repugnantem.* Adjectio determinans est, quæ limitat id cui adjicitur, salva illius significatione. Estque vel *contrahens,* quæ determinat ad certam speciem, locum, aut tempus; vel *diminuens,* quæ determinat ad aliquam partem, vel respectum. Adjectio alterans est quæ significationem ejus cui adjicitur, immutat & variat. Ut in hoc complexo, *probus sutor,* vox *sutor* alterat significationem vocis *probi,* ut nihil aliud nisi *peritum* significet. Denique adjectio repugnans est, quæ significationem ejus cui adjicitur plane destruit. Ut in hoc complexo *Homo mortuus,* vox *mortuus* plane destruit & evertit significationem *hominis,* qui proprie significat aliquid corporeum vivens. His præmissis sit.

Thesis. *A dicto secundum quid per Adjectionem contrahentem, ad dictum simpliciter bonus est processus.* Ut *Socrates heri disputavit.* Ergo *disputavit. Sedit hic,* ergo *sedet. Est animal rationale,* ergo *est animal.* Sed si *adjectio sit diminuens, alterans, aut repugnans, processus est fallax.* Ut *Æthiops est albus dentes,* ergo *est albus. Hic homo est probus sutor,* ergo *est probus. Cadaver est homo mortuus,* ergo *est homo.*

Obj. I. Bene sequitur *Petrus est homo mortuus,* ergo *est mortuus.*

Resp. Processus iste est à dicto cum adjecto repugnante, non ad dictum simpliciter, sed ad adjectum repugnans quod per adjectionem non mutatur. Et idcirco legitimus est. In iis vero quæ per adjectum mutantur vitiosus est processus.

Obj. II. Valet hæc consecutio *Homo est simus naso,* Ergo *est simus: Est crispus capillis,* ergo *est crispus.*

Resp. Processus istiusmodi non sunt à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Quia adjecta, significationem eorum quibus adjiciuntur, nullo modo immutant. Idem enim significat *simus*

naso ac *simus* simpliciter, *crispus capillis* & *crispus* simpliciter. Siquidem simitas soli naso convenit, & crispities solis capillis. Unde adjecta istiusmodi sunt supervacua, nec usurpari solent nisi à poetis ad versus explendos, aut per Pleonasmum, & Emphasin. Secus vero se habent reliqua Adjecta.

Quæst. VIII. *An sunt Sophismata à dicto simpliciter ad dictum secundum quid?* Communiter affirmant. Exempla adferunt, *Dextra non est abscindenda*, Ergo *ne quidem cum gangræna inficitur. Homo est mortalis*, Ergo *etiam anima morti obnoxia est. Depositum est reddendum*, Ergo *gladius reddendus est Domino etiam furioso.* Addi possunt *Æthiops est niger:* Ergo *nigros habet dentes. Christus est ubique*, ergo *corpus ejus ubique est.*

Respondendum tamen est cum distinctione. *Quando dictum secundum quid continetur in dicto simpliciter recte ab hoc ad illud proceditur.* Posito enim toto ponuntur partes: At dictum simpliciter, cum continet dictum secundum quid, habet se ad illud ut totum ad partem; Ut *ignis est calidus*, Ergo *quævis illius pars visibilis est calida.* Ideo autem exempla supra memorata non concludunt, quia dictum simpliciter eo sensu quo verum est, non continet dictum secundum quid. Ut non sequitur, *Homo est mortalis*, Ergo *anima hominis est mortalis*; quia sensus dicti simpliciter est, *homo est mortalis secundum corpus.* Corpus autem non continet animam ut ullo modo eandem cum seipso. Similiter *depositum esse reddendum*, non est verum in quibuslibet circumstantiis, sed tantum cum Dominus est compos mentis, extra quem casum cessat esse Dominus. Idem de reliquis sentiendum est.

Quæst. IX. *An recte omnia Sophismata extra dictionem septem ordinibus supra recensitis contineantur?*

Respon-

Respondemus negative. Sunt enim præter septem illa genera,

1. *Argumentatio circularis*, de qua Disputatione præcedenti.

2. *Imperfecta enumeratio*, de qua in *Instit. part. com. cap.* 31.

3. *Argumentatio à divisis ad conjuncta, & contra.* De hac autem quæri potest quo in casu sit legitima, & quando vitiosa? Regulas aliquot de ea tradit *Derodon. Log. contract. parte* 5. *cap* 2. *num.* 41. Dicit autem licere argumentari à conjunctis ad divisa.

Primo in Enunciatione cujus prædicatum est compositum ex substantivo & adjectivo. Ut *Petrus est animal rationale*, Ergo *est animal*, Ergo *est rationalis*. *Est Homo doctus*, Ergo *est homo*, Ergo *est doctus*.

Secundo in Enunciatione cujus subjectum est compositum ex substantivo & adjectivo procedere licet à conjunctis ad divisum, secundum illam partem subjecti ratione cujus prædicatum convenit toti subjecto. Ut *animal risibile est homo*, Ergo *risibile est homo*. Quia prædicatum *homo* convenit toti subjecto ratione risibilis. Verum prima regula non tenet. Non enim sequitur, *Petrus est homo mortuus*, Ergo est *Homo*. *Appelles est bonus pictor*, Ergo *est bonus*.

Dicendum igitur tunc legitmam esse consecutionem à conjunctis ad divisa, & vicissim quando termini in utroque statu idem significant, nec per divisionem latius extenduntur, ut sæpe fit. Sin per Divisionem mutentur, aut latius extendantur, esse vitiosam.

DISPU-

DISPUTATIO XXX.

De Methodo, & Praxi Logicæ.

Quæst.I. Q*Vorumnam ordo sit Methodus? Rerumne qua cognoscuntur, an conceptuum, & partium orationis externa? Burgersdicius* enim dicit Methodum esse *ordinem rerum eodem pertinentium,* &c. *Derodon* vero, juxta sua principia de modis differendi objectivis, (de quibus supra *Disp.* 1.) dicere tenetur, Methodum de qua agitur in Logica, esse res quatenus certo modo à mente ordinantur; sumendo *quatenus,* non pro ratione formali, sed pro conditione requisita, ut sint Methodus vel ordo objectivus ut ipse explicat *Procemio Logicæ num.* 19.

Thesis. *Soli conceptus mentis nostra, & voces, ac sermones vocales, & scripti* quibus conceptus significamus, *sunt Meteria Methodi.*

Patet. Quia Materia Methodi sunt illa quæ in differendo à nobis ordinantur, per prius, & posterius. At soli conceptus, voces, & sermones, ita ordinantur. Res enim nullum ordinem à nostris ratiocinationibus acquirunt. Verum sive recte sive vitiose procedamus, eundem ordinem servant. Adde quod earundem rerum est Methodus ordinata, & *ataxía.* At hæc est conceptuum duntaxat, & sermonis. Nec ex in ordinatione in differendo ulla in rebus turbatio contingit.

Obj. Methodus est ordo rerum in mente. Ergo non consistit in solo ordine conceptuum,& sermonis.

Resp.

Resp. Cum res non alio modo in mente sint, quam per ideas, & conceptus qui eas repræsentant, ideo dicuntur in illa ordinari, quia conceptus in ea ordinantur: seu quia res tali ordine concipiuntur. Ex quo tamen nullus ordo aut mutatio in rebus obtingit. Similiter qui leges veræ Methodi non observant, dicuntur res confundere, quia conceptus aut orationem inordinate exercent.

Quæst. II. *An Methodus sit instrumentum Logicum à reliquis distinctum; puta à definitione, divisione & Syllogismo?*

Resp. I. *Methodus est instrumentum sciendi* Quia per Methodum multum promovetur Scientia nostra. Et defectus methodi Scientiæ officit. Multum enim refert quo ordine in rebus investigandis procedamus.

II. *Est* etiam *Instrumentum distinctum à reliquis.*

Patet, I. Quia distincta habet præcepta quibus dirigitur.

II. Quia à reliquis Instrumentis separari potest. Recte enim procedere potest Definitio, aut Divisio juxta præcepta propria definiendi, & dividendi, ubi deest Methodus, seu ordo debitus. Ut si prius definias speciem, & postea genus ejus dividas. Aut si definitio rei definitioni nominis præmittatur.

Obj. I. Per Methodum nulla rerum notitia acquiritur, distincta ab ea quam per reliqua Instrumenta consequimur, scilicet per Enunciationem, Definitionem, Divisionem & Syllogismum. Non igitur est instrumentum ab iis distinctum.

Resp. Non sequitur. Ut enim Instrumentum sit sciendi, hoc est, medium Scientiæ acquirendæ distinctum, sufficit quod per eam facilius & perfectius notitiam quæ per reliqua acquiritur, assequamur. At manifestum est facilius & perfectius, per definitiones, divisiones, argumentationes notitiam

rerum acquiri, cum illæ ordinate procedunt, quam cum temere fiunt.

Obj. II. Methodus nihil aliud est nisi habitudo, seu modus prioris, & posterioris, in reliquis instrumentis Sciendi. Hoc ipso enim quod unum ex iis præcedat, aliud sequatur, aut una ejusdem pars prius eliciatur, alia posterius, existit Methodus. Ergo non est instrumentum distinctum.

Resp. Distinguo consequens. Non distinguitur realiter à reliquis, ut hæc distinguuntur à se invicem. Non enim est actus aliquis mentis ab iis diversus. Distinguitur tamen modaliter. Est enim modus reliquorum, et partium eorum. Habetque se ad illa, ut Acies instructa ad milites dispersos, aut temere concurrentes.

Quæst. III. *An Methodus Didascalica institui debet secundum naturas rerum*, an *secundum faciliorem nostram cognitionem.* Prius tenet *Piccolominæus*, posterius *Zabarella.* Sed contentio facile, una vel altera distinctione, componitur: Dicimus igitur

I. *Ad qualemcunque rerum notitiam rudioribus & captu infirmis ingenerandam, procedendum est ab iis quæ facilius cognoscuntur cognitione minus distincta, & imperfecta.* Ut à particularibus ad universalia, ab effectis ad causas, ab accidentibus sensibilibus rerum ad essentias, ab exemplis ad regulas. Unde *Aristoteles* in *lib. Categor.* Summa genera rerum definit *hos en typo,* (ut ipse ait), per exempla. Ut *Substantia* est veluti *homo, equus*: Quantitas veluti *tricubitum,* &c. Ratio est quia finis omnis Methodi est facilior cognitio. At per hanc Methodum rudes et mente infirmi facilius acquirunt cognitionem illam cujus sunt capaces.

II. *Ubi vero cognitionem perfectam & distinctam ingenerare volumus, & si res nobis sit cum iis qui notitiâ provectiores, et ingenio acutiores sunt, observandus est, quantum fieri potest, ordo rerum ipsarum, qui ordo naturæ dicitur.*

Unde progrediendum est ab Universalibus ad particularia, à causis ad ea quæ ex iis oriuntur. A partibus ad tota, à simplicibus ad composita, ab essentiis ad accidentia, &c. Ratio est quia finis Methodi, est non tantum ut facile sciamus, sed etiam ut perfectam & distinctam Scientiam acquiramus, aut communicemus. At procedendo juxta naturas & ordinem rerum, ejusmodi cognitio acquiritur. Et docti ac intelligentes ubiq; hanc Methodum postulant, eaq; dilectantur. Sicut igitur veritas in definiendo, dividendo, & quocunque modo explicando, est conformitas conceptuum & sermonis ad naturas rerum, ita etiam rectitudo & perfectio Methodi est conformitas ipsius ad ordinem, seu habitudinem prioris & posterioris, quam res ad se invicem sortiuntur.

Ex his manifestum est ordinem naturæ, ordini facilioris cognitionis nostræ, si cognitionem perfectam intelligamus, non esse oppositum. Nec enim aliter cognitionem istiusmodi assequimur, nisi ordinem naturæ, seu rerum ipsarum observantes.

Communiter dividitur Methodus in *Syntheticam*, & *Analyticam*. Prior dicitur quæ procedit à principiis intrinsecis rei, ad ea quæ ex illis constituuntur. Eaque tradendas, aiunt, Disciplinas Theoreticas; puta *Metaphysicam*, *Physicam* & *Mathematicam*. Posterior est, quæ facto initio à fine, progreditur ad media quibus finis obtinetur. Et propriam esse affirmant Disciplinarum practicarum. De his sit

Quæst. IV. *Quid de hac divisione: & definitionibus membrorum in qua facta est, sentiendum sit?*

Resp. I. Definitiones illæ reprehensioni obnoxiæ sunt.

Primo enim, male dicitur Methodus Analytica quæ procedit à fine ad media. Methodus enim Analytica est quæ totum aliquod in partes resolvit, ut vox *'análysis indicat*. At Methodus quæ procedit à fine ad media, istud semper non præstat. Siquidem

dem Finis non habet se ad omnia Media sua, ut totum ad partes: nec omnia media sunt partes constituentes finis: ut in arte ædificatoria actiones ædificandi non constituunt domum quæ finis illius artis est. Deinde ex una parte, Methodus quæ Synthetica dicitur non minus Analytice procedit quam illa quæ Analytica vocatur. Incipit enim à re tractanda, quam ut unum quid, investigandam proponit: deinde procedit ad principia illius constituentia, & partes varias. Incipit à genere quod est totum quoddam, & inde procedit ad species, quæ sunt veluti partes in eo contentæ. Ut patet in tribus Disciplinis supra dictis. Metaphysica enim incipit ab Ente in commune, & procedit ad ea quæ principia illius vulgo appellantur, Essentiam & Existentiam. Deinde progreditur ad affectiones illius communes & varias species. Physica ut vulgo traditur, incipit à substantia corporea in genere, cujus deinde principia communia, & species contemplatur. Mathesis incipit à Quantitate in genere, aut eam in Physica jam investigatam præsupponit: deinde in species dividit. Et de singulis agit, primo in genere, deinde principia, affectiones & species considerat. Methodus igitur quæ Synthetica dicitur resolvit objectum suum in principia, affectiones, & species.

Ex altera parte, Methodus Analytica procedit à simplicioribus ad composita quæ ex iis constituuntur, non minus quam Synthetica. Postquam enim Finem proposuit, quem etiam si opus sit, latius explicat, incipit semper à mediis simplicioribus, & facilioribus, si modo ulla sint simpliciora reliquis, & faciliora. Ut Grammatica à literis, & syllabis, à quibus procedit primo ad voces, deinde ad orationem. Logica similiter progreditur à Terminis simplicibus, ad Judicium, & inde ad Discursum. Nullum igitur est discrimen inter illas Methodos, nisi quod id à quo Analytica incipit, sit Finis sequen-

tium, id vero à quo Synthetica incipit, Genus. Adde quod finis sit unum è principiis in Disciplinis practicis. Movet enim ad media eligenda & exequenda. Et intentio finis, expresse, vel virtualiter, ingreditur, & constituit omnes actiones circa media. Sicut igitur Disciplinæ practicæ resolvunt finem in sua media, quatenus partes illius sunt, (ut Ethica Beatitudinem in varias virtutes ex quarum habitibus & actibus constituitur) ita etiam Disciplinæ speculativæ, res compositas resolvunt in suas partes, seu principia; ut Anthropologia Hominem, in corpus, & mentem; & mentem in suas facultates, corpus in sua membra, & organa.

Quin magis dicendæ sunt analyticè procedere quam Practicæ. Semper enim resolvunt Subjectum in sua principia componentia. Ut patet imprimis in Physica & Mathematica. Practicæ autem non semper resolvunt Finem in sua media. Plurima enim in iis tradunt media quæ Finem nullatenus ingrediuntur.

Dices Disciplinas Speculativas procedere à simplicioribus ad composita, ut à generibus ad species, à partibus minoribus ad majores.

Resp. Verum quidem: At idipsum præstant practicæ. Ut patet in Grammatica & Logica. Quin Ethica, postquam finis ultimus proposuit, primum generice tractat media, deinde ad species descendit. Ut primum agit de actionibus Humanis in genere, easque resolvit in sua principia, deinde ad species progreditur, actiones scilicet spontaneas & invitas, bonas, malas, & indifferentes &c.

Concludimus igitur utramque Methodum, tam illam qua speculativæ Disciplinæ, quam illam qua Practicæ traduntur, & Analyticam, & Syntheticam, diversa ratione, dici posse. Quæ enim incipit à Fine, Analytica dici potest, quatenus Finem resolvit in Media illa quæ in eo continentur. Quatenus vero

vero procedit à ſimplicioribus, ad illa quæ magis complexa ſunt, Synthetica vocari meretur, ſimiliter illa quæ incipit à Genere & procedit ad illius ſpecies; Analytica eſt, quatenus reſolvit & dilatat in ſpecies quæ in eo continentur. Synthetica vero, quatenus à ſimplicioribus ad compoſita progreditur.

II. Si genuinam horum vocabulorum ſignificationem recte attendamus, Methodus Synthetica dicenda eſt, per quam veritatem invenimus. Analytica autem, per quam inventam reſolvimus in ſuas partes. Adeoque prior erit illa pars Praxis Logicæ quæ *Geneſis* dicitur; poſterior illa quæ *Analyſis.*

Autor Artis Cogitandi. *part.* 4. *cap.* 2. Methodum definit "Artem diſponendi ſeriem multarum cogitationum, ſive id fiat ad veritatem ignotam inveſtigandam, ſive ad cognitam aliis demonſtrandam. "Methodus itaq; inquit, duplex eſt. Vel enim veritatem invenit, eſtq; Analyſis, ſive Methodus Reſolutionis: Vel inventam docet, et eſt Syntheſis; ſive "Methodus compoſitionis; quæ & appellari poteſt "Methodus Doctrinæ tradendæ. De his ſit

Quæſt. V. *Quam recte tradita ſint?*

Reſp. I. Recte quidem Methodus dicitur *Ars per quam diſponimus ſeriem Cogitationum, &c.* Niſi quod addi debuit, et *ſermonum externorum.* Quanquam ſeries ſermonum, ſeriem cogitationum imitari ſoleat.

II. Sed mirum videri poteſt quod Methodum Analyticam, ſeu reſolutivam, Methodum Inventionis appellet Autor; Syntheticam vero, Methodum docendi. Reſolvimus enim res cognoſcendas in ſua principia, cauſas, partes, ſpecies, affectiones &c. non minus cum alios docemus, quam cũ ipſi veritatem exquirimus, et invenimus. In neutro autẽ ex his exercitiis proprie loquendo cõponimus, niſi quod notitiã notitiæ in mentibus vel noſtris, vel alienis adjicimus. Hoc autẽ utroq; in caſu facimus. Eſt igitur methodus quam Autor prædictus Analyſin vocat, nihil aliud quã *Geneſis*. Quæ vero Syntheſin nuncupat, eſt *Didactica.* III.

III. Cum Analyſis cogitationum & ſermonum aliorum ad Methodum inventionis apte reduci vix poſſit, volueritque Autor, (ut ex definitionibus iſtis apparet) partes Praxis Logicæ exprimere, in hoc etiam deficit quod Diviſionem tradiderit inadæquatam. Nam præter Methodum inveniendi & docendi, datur tertia, ſcilicet Methodus reſolvendi ea quæ alii invenerunt, & docuerunt.

IV. Minus etiam recte partes illæ Artis Logicæ, Methodi nomine vocantur. Quia Methodus proprie loquendo nihil aliud eſt niſi ordo procedendi. At in exercitiis illis præcipue æſtimandæ ſunt operationes Logicæ, definitiones ſcilicet, diviſiones, argumentationes &c. Quarum omnium Methodus eſt tantum modus quidam, ut ſupra oſtendimus. Quod ſi Methodi nomine quamlibet viam præſtandi aut efficiendi aliquod opus, intelligat Autor, (ut, nonnunquam accipitur) ſic non quarta pars Logicæ, (ut ipſe vult) ſed tota Methodus dici poteſt. Et diſtinguenda eſſet Logica in Methodum enunciandi, Definiendi, Dividendi, Argumentandi, & Ordinandi.

Quæſt. VI. *An utilis ſit Doctrina de locis ex quibus argumenta probantia eruuntur?* Negat *Autor* Artis cogitandi *part.* 3. *c.* 17. Quæſtio iſta, ut ab eo agitatur, ad diſputationem de ſyllogiſmo pertinet. Verum quum ibi omiſſa ſit, poſſitque ad omnes locos inventionis tam explicantes, quam probantes, extendi, non abs re erit quæſtionibus de Methodo illam ſubjicere.

Theſ. I. *Ad argumenta* ſive explicantia, ſive probantia *invenienda, media præcipua ſunt bonum ingenium, ſedula & attenta materiæ propoſitæ ſcrutatio, & penſitatio,* una *cum exercitatione,* ſeu *praxi.* Parum autem refert locos inventionis omneſque eorum Canones & regulas tenuiſſe, ſi ad iſta conferantur. Unde *Arriaga in Proamio Summularum*, ſeu *Introductionis in Logicam,*

cam, "Omittam, inquit, Artem inveniendi Medi-"um. Nullam enim aliam video commodio-"rem, nisi felix ingenium, studium continuum, "frequentem disputandi, & respondendi usum, ac "bonam memoriam, retinentem quæ in simili oc-"casione ab aliis audita, aut à se cogitata aliquan-"do fuere. Hinc plurimi qui Artem illam vel non didicerunt, vel oblivioni tradiderunt, facilius, citius, & rectius, Argumenta inveniunt, quam alii qui eam ad unguem callent. Non igitur putandum est eum qui ingenio tardo, aut materiæ propositæ ignarus est, posse ope locorum communium, in inveniendis argumentis, sive explicantibus, sive probantibus, aliquid insigne præstare. Et hoc proculdubio Autori supra laudato concedendum est.

Thes. II. *Est tamen hujus Artis utilitas quædam non aspernanda.*

Prima utilitas est, quod per eam facilius sciamus habitudinem, in actu signato, Medii ad partes quæstionis. Hoc autem licet ad assensum veritati adhibendum necessarium non sit, (ad hunc enim sufficit connexionem terminorum percipere) aliquam tamen evidentiam veritati conciliat.

Secunda est, quod ad adversarium pertinacem convincendum conducit. Vehementius enim pungit Argumentum, si locum ostendimus unde deducitur, & canonem cui consequentia innititur. Tunc enim obsistere nequit adversarius nisi habitudinem medii ad Terminos quæstionis, aut canonem communiter receptum negaverit, & sic novis disceptationibus & difficultatibus se implicet.

Tertia utilitas est, quod is qui facultate insigni inventionis non pollet, locis illis admonitus, plura argumenta, quæ ceteroquin non occurrerent, detegere possit. Quin utilis esse poterit locorum intuitio, si tempus permittat, ut cogitationi etiam acutissimi

cujusque media obveniant. Adde si utilis est doctrina de locis explicantibus ut de rebus definiendis, dividendis, &c. neque illa quæ de mediis inveniendis plane inutilis æstimanda est. Si autem prior prorsus inutilis sit, necesse esset maximam Logicæ partem tanquam inutilem rejicere.

Obj. I. Experientia omnium qui doctrinam illam Inventionis didicerunt, testatur neminem, cum quæstio discutienda occurrit, ad locos illos respicere, sed recta omnes in materiam oculos intendere.

Resp. Fatemur quidem paucos aut nullos solere locos illos in argumentis excogitandis respicere: In prosequendis tamen et confirmandis, multi id faciunt. Ut omium fere scripta testantur, præsertim eorum qui controversias tractant. In his enim locorum et canonum ad eos spectantium frequens occurrit mentio.

Obj II. Natura ipsa, perpensio diligens rei tractandæ, et variarum veritatum præcognitio, nos ad probationes deducunt. Non igitur loci inventionis.

Resp. Hinc tamen non sequitur locos illos esse prorsus inutiles. Quia postquam argumenta invenimus, utiles esse possent, iis quos jam diximus modis.

Deinde licet natura ipsa, diligens rei tractandæ consideratio &c. præcipua media sint inventionis, possunt tamen loci illi occasionem multa inveniendi præbere,, quæ absque eorum notitia nunquam in mentes nostras venirent.

Obj. III. Per Methodum Inventionis non alia argumenta quæruntur, quam quæ Generalia, communia, et aliena sunt, et vim judicandi corrumpunt magis quam juvant.

Resp. Bona verba quæso: Si quis quærens argumenta ad gravitatem peccati contra Deum demonstrandam, oculos conjiciat in naturam et essentiam peccati, in causam efficientem, et Finalem ejus qui peccat,

peccat, &c. indeq; inveniret materiam quæ malum illud quam maxime horrendum ostenderet, an rationibus solum generalibus et alienis uteretur? Hoccine est argumentum generale, et alienum? *Peccatum est violatio legis, & contemptus voluntatis, & authoritatis Dei.* Aut si dicat *Homo habet à Deo quod sit, & quicquid boni possidet; conditus etiam est in honorem Creatoris sui.* Loci enim generales, cum ad hanc vel illam materiam applicantur, media specialia suggerunt. Autor igitur Artis Cogitandi, licet Logica ejus *mirabilis* à nonnullis prædicetur, et multa exhibeat quæ in prioribus Systematibus non occurrunt, quæstionem presentem non satis dextre tractavit.

Sunt etiam quæ de Praxi Logicæ disceptari possent. Verum cum Tractatus ultra magnitudinem in principio destinatam jam excreverit, et satis superque controversiarum complexus sit, hîc tandem Finis esto.

ELEMENTA LOGICÆ

PAUCIS

APHORISMIS

Comprehenſa.

Per eundem Autorem.



DUBLINII,

Excudebat *Joſ. Ray*, ſumptibus ejuſdem; proſtant *Londini* apud *Awnſham Churchill*, Bibliopol. ad Inſigne Nigri Cygni, in vico vulgò dicto Pater noſter-Row. 1683.

PRÆFATIO.

INstitutum Tractatiunculæ sequentis est, ut ea perlecta, & quantum fieri potest, intellecta, instructiores accedant Tyrones ad Systema integrum, quod Artem Sciendi appellavimus. Sic enim statim ab initio exerceri possunt in definitionibus, divisionibus, & ratiociniis, in eo traditis, juxta pauca illa præcepta hic congesta resolvendis. Debuit quidem hæc prælibatio Logicæ, una cum Integro Systemate, in publicum prodire, & compingi. Verum cum occasionem illam amiserit, satius fuit, ut hic in fine Elencticorum, quam nullibi, publicaretur. Eam igitur cum reliquis de re Logica scriptis nostris, boni consulat vel secus Lector quisque, prout ratio incorrupta, & æquitas postulaverit.

ELE-

ELEMENTA LOGICÆ.

I. LOgica est Ars, per quam dirigimur, ad operationes mentis recte formandas, in cognitione rerum quærenda.

II. Quatuor sunt operationes Mentis nostræ; *simplex Apprehensio, Judicium, Discursus,* et *Methodus*.

III. *Simplex Apprehensio* est, per quam res, simplici modo, intuemur, nihil expresse de illis affirmando, aut negando: ut cum cogitamus de *sole*, aut *luce* sigillatim.

IV. *Judicium* est, quo statuimus aliquid de aliquo affirmando, vel negando; ut cum dicimus *Sol lucet, Sol non vivit*.

V. *Discursus* est, per quem inferimus unam veritatem, vel falsitatem, ex alia; ut cum arguimus, *Sol non vivit; Ergo nec mori potest.*

VI. *Methodus* est, per quam judicia, & Discursus nostros recte ordinamus.

VII. Ad operationes illas mentis recte formandas, ut postulat Logica, quædam cognoscenda sunt de rebus, eorumque attributis, & affectionibus communibus; quædam de vocibus, quæ res significant; quædam denique de ipsis mentis operationibus; earumque modis variis.

VIII. Ordines rerum simplicium duo sunt, *Substantia* & *Modus*. Substantia est res per se subsistens; ut *Mens Humana, Angelus, Anima, Planta, Lapis*. Modus est res substantiam afficiens, & ab ea ita dependens, ut citra eam existere nequeat: ut *cogitatio, appetitio, figura, motus, unio actio*, &c.

IX. Res aliæ *universales* dicuntur, quæ in pluribus omnino similes sunt: ut *Humanitas* in omnibus hominibus: Aliæ *singulares*, quæ pluribus vel non insunt; ut Socrates, Bucephalus; vel non per similitudinem, sed per identitatem; ut Deitas, & perfectiones divinæ, in tribus personis S.S. Trinitatis.

10. Hinc

X. Hinc singularia *individua* vocantur, quia dividi nequeunt in plura ejusdem rationis; ex. g. *Socrates* dividi nequit in plures Socrates, ut *homo* dividitur in plures homines.

XI. *Attributum* Rei est, quicquid de ea vere enunciari potest. Estq; vel *positivum*, quod aliquid rei concedit; ut cum *animatum* dicitur de Homine, vitam ei tribuit. Vel *Negativum* quod aliquid à re tollit; ut cum *inanimatum* dicitur de lapide, aut cadavere;

XII. Attributum negativum aliud est quod *puram carentiam* denotat: ut cum invisibile dicitur de mente nostra. Aliud *privativum*, quod præter carentiam rei, capacitatem in subjecto connotat ad rem illam habendam. Ut cum *ignarus* & *cæcus* de homine dicuntur.

XIII. Aliud est *commune*, quod pluribus rebus convenit; ut *animal* homini, & bestiæ: Aliud proprium, quod uni soli convenit; ut spiritui *percipere*, & *se movere*, Homini esse *animal capax disciplinarum*.

XIV. Deinde aliud est *essentiale*, quod negari nequit de re sine contradictione; ut esse *rationis particeps* est Attributum essentiale Hominis; quia si de eo negetur, sequetur hominem non esse hominem. Aliud *accidentale*, quod contra; ut esse *divitem*, aut *doctum* est Attributum hominis accidentale; quia eo negato, non sequitur hominem non esse hominem.

XV. *Essentia* Rei est totum illud per quod res est id quod est; seu quod rem intrinsece constituit. Ut *mens*, *corpus*, & utriusque *unio* sunt Essenita Hominis. *Accidens* vero, quod rei in Essentia jam constitutæ, superadditur; & idcirco *adjunctum* dicitur. Ut Grammatica est Accidens, seu adjunctum hominis.

XVI. Attributum Essentiale vel est *Genus*, vel *Differentia*. *Genus* est Attributum Essentiale, habens se ad modum rei per se stantis, commune pluribus quæ essentiis differunt: ut *Animal* ad Hominem & Bestiam; *Virtus* ad justitiam & fortitudinem. Unde Genus nomine Substantivo semper exprimitur.

17. Diffe-

XVII. *Differentia* est Attributum essentiale, habens se ad modum rei alteri adjacentis; & si perfecta & adæquata sit, rei cujus est differentia *Propria* est. Unde nomine Adjectivo, aut voce æquivalente, sicut & Attributa accidentalia, semper exprimitur. Sic *ratione uti*, & *ea destitui.* sunt differentiæ *hominis*, & *bestiæ*; *tribuere cuique quod suum est*, et *sustinere res adversas*, sunt differentiæ *Justitiæ* et *fortitudinis*.

XVIII. Plura illa quibus Genus commune est, *Species* vocantur: et Differentiæ eorum essentiales *specificæ* dicuntur; ut in exemplis jam datis.

XIX. Porro ex his duobus Attributis, alia sunt *Proxima*, alia *Remota*. Ut Genus proximum Hominis est *animal perfectum terrestre*; differentia proxima est esse *ratione præditum*. Genera vero remota sunt, *vivens*, *corporeum*, *substantia*, *Ens*. Differentiæ remotæ sunt, *sensu* et *vitâ præditum esse*, *per se subsistere*, &c

XX. Ex his vides omnia Attributa rerum simplicia, esse *Genus*, *Differentiam*, et *Accidens*. Et quæ ex illis combinantur Attributa sunt *complexa*: ut cum *animal rationale* dicitur de Homine, est Attributum complexum ex Genere et Differentia: cum *animal bipes* de eodem dicitur, est complexum ex Genere et Accidente.

XXI. Ex Attributis seu affectionibus rerum communissimis, quæ omnibus fere rebus convenire possunt, pauca in præsenti breviter notanda sunt.

XXII. Primum sit, *Distinctum esse* ab omni alia re. Distincta autem sunt quorum unum non est alterum, ut in Homine *mens* et *corpus*, *sensus* et *ratio*.

XXIII. Secundum sit *respicere aliquam aliam*, seu esse Relatum ad aliam. Sic *Pater* refertur ad *filium Dominus* ad *servum*, *simile* ad aliud *simile* &c. et vice versa.

XXIV. Tertium sit esse *unum*. Unum autem dicitur quod non est plura in illa ratione in qua est unum. Estque vel *simplex*, quod pluribus non constat; vel *compositum*, quod contra.

XXV. Componitur autem Res vel ex pluribus *Substantiis*, ut homo ex corpore et mente. Vel è pluribus *modis* ut pulchritudo ex figura et colore, vel ex *subjecto* et *modo*, ut doctus, ex homine et doctrina. Ejusmodi autem compositum *concretum* dicitur. Forma autem per se considerata *abstractum* vocatur.

XXVI. Quartum sit *esse originem alius*. Ad locum autem originis pertinent *Subjectum*, *Signum*, *Causa*, *Objectum*, et *Conditio*, quæ sigillatim explicanda sunt.

XXVII. *Subjectum* rei dicitur, quod eam recipit, vel sustentat. Sic *lapis* projectus est subjectum impulsus, qui ei imprimitur, *Mens* est subjectum Scientiæ, Miles armorum. Quæ autem à Subjecto recipiuntur, & sustentantur, *modi*, *accidentia*, et *adjuncta* vocantur.

XXVIII. *Signum* est quod aliquid potentiæ cognoscitivæ percipiendum offert. Illud autem aliquid *signatum* vocatur. Sic *fumus* est signum ignis; *coactio nubium* pluviæ futuræ.

XXIX. *Causa* in genere, definiri solet cujus vi res est. Estque vel *materia vel forma*, vel *efficiens* vel *finis*. Materia est ex qua res fit, aut constat. Forma vero, per quam materia determinatur ad certum statum, et una cum ea, rem intrinsece constituit. Ut *lignum* est materia statuæ, *figuratio* varia est ejusdem forma.

XXX. *Efficiens* est quæ vera actione causat producendo, vel conservando. Ut efficiens statuæ est *Statuarius*.

XXXI. *Finis* est id cujus gratia res est. Ut, finis statuæ est memoriam conservare personæ quam repræsentat.

XXXII. *Objectum* est id circa quod potentia vitalis, cognoscitiva scilicet, appetitiva, vel aversativa, exercetur. Sic *figuræ* et *colores* sunt objecta visûs; *omnes res* sunt objectum mentis; *bonum* et *malum* sunt objectum appetitionis, & fugæ.

XXXIII. *Conditio* est quod aliquid confert ad esse

rei,

rei; non tamen ut reliqua ſupra dicta, quæ ad originem illius pertinent. Ut *approximatio* ignis ad materiam idoneam, eſt conditio requiſita ad comburendum: *Fides* in Chriſtum eſt conditio novi fœderis.

XXXIV. Quintum Attributum commune ſit, *convenire cum aliquo*, & *ab aliquo differre*. Convenientia alia eſt in *voce*, alia in *re*. Quæ in voce conveniunt ſunt vel *Homonyma* vel *Synonyma*.

XXXV. *Homonyma* dicuntur, quæ in voce quidem conveniunt, ſed in nulla natura quæ voce illa ſignificetur. Seu quorum nomen tantum eſt commune, ratio vero eſſentiæ, nomine illo ſignificata, plane diverſa. Et vox iſtiuſmodi *æquivoca* dicitur, hoc eſt ambigua. Sic *canis latrans*, *canis piſcis* & *ſignum cæleſte* quod *canis* dicitur, ſunt Homonyma reſpectu vocis *Canis*; eſtque vox illa ambigua.

XXXVI. *Synonyma* ſunt, quæ non tantum in nomine conveniunt, ſed etiam in natura quæ eo ſignificatur. Sic *homo* & *beſtia*, reſpectu vocis *animal*, *albedo* & *nigredo* reſpectu *coloris*.

XXXVII. Convenientia in re vel eſt in *eſſentiis*, vel in *accidentibus*. Convenientia in eſſentiis vel eſt *Generica* cum res in parte tantum eſſentiæ conveniunt; ut *homo* & *beſtia* in natura *ſenſitiva*: vel *ſpecifica* cum in tota eſſentia conveniunt: ut *Socrates* & *Plato* in natura *humana*.

XXXVIII. Convenientia in accidentibus, cum in quantitate reperitur, *paritas* dicitur, ſi in aliis accidentibus, præſertim in modis, & qualitatibus, *ſimilitudo* vocatur.

XXXIX. Sextum Attributum commune, ſit *oppoſitum eſſe* alicui. *Oppoſita* autem dicuntur quæ pugnant inter ſe. Suntque vel *diſparata*, nempe omnes ſpecies rerum; ut *homo*, & *beſtia*, *equus*. & *aſinus*: vel *contraria*; ut *album* & *nigrum*, *probus*, & *improbus*; vel *privative oppoſita*; ut *cæcus*, & *videns*; vel denique *contradicentia*, ut *homo*, *non-homo*.

XL. Septimum denique attributum commune, (ut cætera in præſenti mittamus) eſt *ordo*, per quem res dicuntur priores, poſteriores & ſimul. Hoc autem quinque modis fit, tempore, natura, dignitate, diſpoſitione & cognitione.

XLI. *Prius n tura* dicitur, quicquid ad aliud requiritur, licet ſimul tempore cum eo ſit. Sic *Sol* eſt prior *ſua luce, cognitio* eſt prior *volitione*. *Prius cognitione* dicitur, quod noſcibilius eſt, ſeu à cujus cognitione pendet cognitio aliorum. Sic priora ſunt quæ ſenſibus obvia: priora ſunt partes toto, Univerſalia ſingularibus. Reliqua definitionibus vix indigent.

XLII. Hactenus de rebus earumq; Attributis, ſequitur *Propoſitio*, quæ ex rei & ſui Attributi complexione oritur, eſtque judicii objectum, & prout ore effertur ſignum.

XLIII. Eſt igitur Propoſitio in qua aliquid de aliquo vere vel falſo, affirmatur vel negatur. Ut *Deus eſt omniſcius, creatura eſt mutabilis.*

XLIV. Propoſitio alia *ſimplex* eſt, quæ conſtat unico ſubjecto, & unico Attributo: ut in exemplis proxime allatis; alia *compoſita*, quæ pluribus ſubjectis, aut pluribus attributis, aut utriſque ſimul conſtat.

XLV. In propoſitione ſimplici, conſideranda ſunt *ſubjectum* de quo aliquid, & *Attributum* quod de aliquo effertur, quæ materia illius ſunt, ſeu termini; & horum conjunctio, ſeu connexio, in propoſitione affirmante; ſeparatio vero, in negante, quæ forma.

XLVI. *Connexio* interdum verbo *ſubſtantivo ſum, es, eſt, fuit, erit*, & ſimilibus deſignatur: ut *Socrates eſt doctus*: interdum verbo *adjectivo* includitur: ut *Socrates diſputat*. Verbum enim Adjectivum *diſputat*, idem ſignificat ac *eſt diſputans*: adeoque Attributum & copulam ſimul ſignificat.

XLVII. *Separatio* Attributi à ſubjecto, in propoſitione negante, nota negandi indicatur: ut *Deus nunquam*

nunquam deliberat; nihil impurum ingreditur regnum cælorum.

XLVIII. Propositio simplex vel est *Universalis*, vel *particularis*, vel *singularis*.

XLIX. *Universalis* est, ubi Attributum affirmatur vel negatur de omnibus quæ in subjecto continentur: ut *omnis homo est mortalis: Nemo sine crimine vivit*: Particularis ubi de parte tantum: ut *aliquis homo est expers peccati*. Singularis, ubi subjectum est singulare, ut *Alexander Magnus regnum Persicum delevit*.

L. Propositionum simplicium, quædam *opposita* sunt; scilicet cum idem de eodem, in una affirmatur, in altera negatur. Ut tamen duæ propositiones vere oppositæ sint, Termini utrobique eodem modo accipi debent, & idem tempus intelligendum est.

LI. Propositiones oppositæ vel sunt *contrariæ*, nempe quæ non possunt esse simul veræ, possunt tamen esse simul falsæ. Ut *omnis homo est justus; nullus homo est justus*. Vel *contradicentes*, quarum altera semper vera, altera falsa: ut *omnis homo est justus; aliquis homo non est justus*.

LII. Ex propositionibus compositis, alia est *Copulativa*; ut, *Et prodesse volunt & delectare poetæ; Nec sibi nec aliis prodest*. Alia *Disjunctiva*; ut, *vel arbor est bona, & fructus bonus, vel arbor est mala, & fructus malus*. Alia *Adversativa*; ut *Coronæ regum sunt splendida, sed graves*. Alia *Comparativa*; ut *Beatius est dare, quam accipere: Ubi est cadaver ibi congregabuntur aquilæ*. Alia *Exclusiva*; ut *solus Deus est immutabilis*. Alia *Causalis*; ut *quia ego vivo vos etiam vivetis*, &c.

LIII. Est etiam Propositio alia *Absoluta*, ut in prioribus exemplis: Alia *Hypothetica*, seu Conditionalis, in qua aliquid effertur sub conditione; ut *si vivatis secundum carnem moriemini*.

LIV. Sunt denique duo Genera Propositionum imprimis notanda, *Definitio* & *Divisio*.

LV. *Definitio* alia est *nominis*; ut *philargyría est amor pecuniæ*; Alia rei, eaque vel *essentialis*, quæ traditur per Genus proximum, & Differentiam essentialem proximam: ut *homo est Animal rationis particeps*: *Deus est Ens perfectissimum*: Alia *Descriptiva*, quæ traditur per omnia aut aliqua Attributa accidentalia: Ut *Alexander magnus fuit filius Philippi Macedonis, Regni Persici eversor, Imperii Græci Rex primus*.

LVI. *Divisio* alia est *nominis*; quæ distinctio vocis, aut phrasis ambiguæ; ut *canis* vel est *animal latrans*, vel *signum cœleste*. Alia rei; eaque vel *Generis* in species, quæ absolute *Divisio* dicitur; ut *Substantia* vel est *materialis*, vel *immaterialis*: vel *subjecti* in accidentia; ut *Philosophorum* alii fuerunt *Ethnici* alii *Christiani*.

LVII. Sequitur *Discursus*, seu *Syllogismus*, in quo è duabus propositionibus, quæ præmissæ vocantur, tertiam colligimus, quæ conclusio dicitur. Ut *Quicquid currit movetur*, *Petrus currit*; Ergo *Petrus movetur*.

LVIII. In Syllogismo *simplici* sunt tres termini, quorum duo vocantur *extrema*, nempe subjectum, & Attributum Conclusionis; tertius *Medius*, seu medium, appellatur. Ut in exemplo adducto, *Petrus* & *movetur* sunt extrema; id *quod currit* est medium. Et subjectum quidem conclusionis *Minus* extremum, Attributum seu prædicatum *Majus* vocatur.

LIX. *Præmissæ* fiunt ex medio & termino, & extremis combinatis; & illa quidem quæ ex medio & majori extremo constat, *Major* propositio; quæ vero ex eodem & minori extremo, *Minor* nuncupatur. Ut in exemplo prædicto, *Quicquid currit movetur*, est Major propositio; *Petrus currit*, est Minor.

LX. Tres sunt *figuræ* Syllogismorum. *Prima* est, in qua medium majori Extremo subjicitur, in majori propositione, & prædicatur de minori, in Assumptione.

ſumptione. Ejus *modi* ſunt quatuor, & his vocibus indicantur *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.*

LXI. *Secunda*, Figura eſt, in qua medium utrobique prædicatur. *Modi* ejus ſunt itidem quatuor, *Cæſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco,*

LXII. Tertia eſt, in qua medium utrobique ſubjicitur: Et *modi* illius ſunt ſex, *Darapti, Felapton, Diſamis; Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

LXIII. In his vocibus memorialibus quæ modos deſignant, quatuor vocales ſunt notandæ, A, E, I, O. Ex quibus, A denotat propoſitionem Univerſalem affirmantem; E, Univerſalem negantem; I, Particularem affirmantem; O, particularem negantem.

Exempla Modorum Primæ Figuræ.

Bar- *Quicquid percipit etiam appetit:*
ba- *Omnis Spiritus percipit:*
ra. *Omnis* igitur *Spiritus appetit.*

Ce- *Nullus irregenitus ſalvatur:*
la- *Omnis qui à Chriſto alienus, irregenitus eſt:*
rent. *Nullus* igitur *qui à Chriſto alienus eſt ſalvatur.*

Da- *Omnis vere Chriſtianus ſeipſum abnegat:*
ri- *Quidam homines ſunt vere Chriſtiani:*
i. Ergo, *Sunt quidam homines qui ſe abnegant.*

Fe- *Nihil inhoneſtum appeti debet:*
ri- *Quædam voluptas eſt inhoneſta:*
o. *Quadam* igitur *voluptas appeti non debet.*

Exempla Secundæ Figuræ.

Cæſ. *Nullus mendax eſt fide dignus:*
a- *Omnis pius eſt fide dignus:*
re. Ergo, *Nullus pius eſt mendax.*

Ca- *Quicquid se movet, vivit:*
mes- *Nulla pars materiæ vivit:*
tres. Ergo *nulla pars materiæ se movet.*

Fes- *Nulla virtus veritati est iniqua:*
ti- *Quidam amor pacis veritati est iniquus:*
no. Ergo *quidam amor pacis non est virtus.*

Ba- *Omnis virtus cum prudentia conjuncta est:*
ro- *Quidam zelus cum prudentia non est conjunctus:*
co. Ergo *quidam zelus non est virtus.*

Exempla Tertiæ Figuræ.

Da- *Omnis virtus est ardua:*
rap- *Omnis virtus est sectanda:*
ti. *Quoddam* igitur *quod est sectandum, arduum est.*

Fe- *Nullus potest seipsum deserere:*
lap- *Omnis improbus est suiipsius hostis:*
ton. *Est* igitur *aliquis hostis quem homo non potest deserere.*

Di- *Quidam impii divitiis affluunt:*
sa- *Omnes impii sunt miseri:*
mis. *Quidam* igitur *miseri divitiis affluunt.*

Da- *Omnes filii Dei sunt Reges:*
ti- *Quidam filii Dei sunt egeni:*
si. *Quidam* igitur *egeni sunt Reges.*

Bo- *Quædam ira non est vituperanda:*
car- *Omnis ira est passio:*
do. Ergo *quædam passio non est vituperanda.*

Fe- *Nihil materiæ est spiritus:*
ri- *Aliquid materiæ est invisibile:*
son. Ergo *aliquid quod est invisibile, non est spiritus.*

LXIV.

LXIV. Ex his modis videre licet, in prima & secunda figura, majorem propositionem semper esse Universalem: in prima & tertia minorem esse affirmantem: in secunda alteram præmissarum esse negantem; in tertia conclusionem esse particularem. Item in omni Syllogismo, præsertim simplici, debent esse tres tantum termini, non æquivoci.

LXV. Et hi quidem sunt modi Syllogismorum *Universalium*, uti vocantur; illorum scilicet, in quibus altera præmissarum est propositio Universalis. Ex utraque enim particulari, nihil recte concluditur, vi formæ Syllogisticæ.

LXVI. Sunt præterea Syllogismi quidam *singulares*, in quibus utraque præmissarum est propositio singularis; possuntque fieri in omnibus figuris; sed commodissime in tertia. Ut

Judas prodidit Christum:
Judas fuit Apostolus:
Aliquis igitur *Apostolus prodidit Christum.*
David incidit in Adulterium:
David non fuit impius:
Aliquis igitur *qui non fuit impius in adulterium incidit.*

LXVII. Licet ad recte concludendum duæ præmissæ semper necessariæ sint, altera tamen in discursu sæpe supprimitur, seu intelligenda relinquitur. Et tum Syllogismus *Enthymema* vocatur. Ut, *avarus eget*, Ergo *non est dives: concupiscit*; Ergo *angitur*, & *est miser*.

LXVIII. Est & Syllogismi Genus, quod *Hypotheticus* dicitur: in quo scilicet altera vel utraq; præmissarum Hypothetica est. Ut, *si lapides vivunt, nutriuntur:* at *non nutriuntur*; Ergo *nec vivunt*. *Si Deus est, mundus regitur providentia*; at *Deus est*; Ergo, &c.

LXIX. Hactenus de Syllogismo ratione formæ. Ratione materiæ vel est *Verus* vel *Fallax*. Verus rursus, vel est *necessarius*, vel *probabilis* tantum, seu *contingens*.

LXX.

LXX. Syllogismus *necessarius* est, cujus præmissæ sunt necessario veræ; id est, quæ nequeunt esse falsæ, seu semper sunt veræ, vel absolute, vel ex conditione aliqua. Et si aliqua ex iis per se evidens sit, *Axioma* vocatur. Ut *Totum est majus sua parte.* Ergo *Respublica major est Rege.*

LXXI. Si ejusmodi Syllogismus concludat ex causa, vocatur *Demonstratio dióti*: Ut *omne rationale est capax disciplinæ; omnis homo est rationalis, Omnis igitur homo est capax disciplinæ.* Ubi medius terminus, nempe *rationale,* est causa cur *homo* capax sit disciplinæ. Sin ex signo vel effecto necessario, *Demonstratio hóti* dicitur: ut *Luna obscuratur*; ergo *inter eam, & solem* à quo lumen mutuatur, *terra è diametro interposita est.*

LXXII. Ad Syllogismum etiam necessarium pertinent Discursus ex *absurdo,* seu *dia tou adynátou ex impossibili*: ut, *si Deus quidquam optat, quod commode assequi non potest, non esset summe beatus*: at *est summe beatus*: Ergo *nihil optat quod assequi non potest*; sed semper est voti compos.

LXXIII. Syllogismus *contingens* seu probabilis dicitur, in quo altera vel utraque præmissarum, est duntaxàt probabilis: hoc est quæ cum non omnino certa sit, magis videtur esse vera, quam falsa. Ut, *Mater amat liberos: hæc mulier est hujus infantis mater*; ergo *eum amat.*

LXXIV. Syllogismus *Fallax* seu *Sophisticus*, alius est qui aliud probat quam probandum est, & *Ignoratio Elenchi dicitur.* Alius qui assumit tanquam verum quod probandum est, & *Petitio principii* vocatur. Et in his mutari solent voces ad fallaciam occultandam.

LXXV. Alius ex præmissis ambiguis falsam conclusionem infert. Ut, *Canis latrat: quoddam signum cæleste est canis*: Ergo *quoddam signum cæleste latrat.* Reliqua ex Institutionibus petenda differimus.

FINIS.